Universidad de Sevilla
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

IHS
BIBLIOTECA DE LOYOLA.
Sala 1
Estante 50
Plúteo 9

1367
48
3

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Visos, et nihil habet

DE REBVS GESTIS

A FRANCISCO XIMENIO, CISnerio, Archiepiscopo Toletano, libri octo. Aluaro Gomecio Toletano authore.

CVM PRIVILEGIO.

Compluti, apud Andream de Angulo. Anno Domini 1569

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN EFFIGIEM CLARISSIMI VIRI, FRANCISCI XIMENIJ Toletani Præsulis, Simonis Cugnæ Riberæ, Lusitani, epigramma.

Qui stupet ex humili me peruenisse cucullo,
Præsulis ad culmen, Cardineumq; decus.
Adiunctumq; sagis sceptrum, Libyamq; subactam,
Totq; Deo & musis templa, dicata sacris.
Virtutes potiùs stupeat, quibus orbis, & omnis
Cessit honos, tituli, purpura, regna, duces.

ALIVD EIVSDEM.

Ille ego sum factis toto clarissimus orbe
Franciscus, patriæ gloria rara meæ.
E sacco ad sacram quem virtus vsque tiaram
Euexit, nullis fulta patrocinijs.
Cui mox Cardineos eadem accumulauit honores,
Et regni Hispani tradidit imperium.
Qui tecta extruxi sacris amplissima musis,
Imposuiq; iugum terra Libyssa tibi.
Maxima quæ cùm sint, maius tot honoribus auctum,
Nunquam me titulis intumuisse meis.
Qui me ipsum didici, & cunctos deuincere honores,
Et locuples extrà, menteq; pauper eram.

ALIVD EIVSDEM.

Quàm bene pro effigie, quondam dum vita manebat,
Pars habita est, fragilis corporis, ista mihi.
Ecce etenim ex illa vix hæc nunc restat imago,
Cætera habes tenebris mors adoperta caput.
Ast animi æternùm nostri decora alta vigebunt,
Quæ superant mortem, tempus, & inuidiam.
Nam te musarum ante alias domus inclyta, nunquam
Mentibus humanis eximet vlla dies.
Tuq; mihi nomen dabis indelebile, tellus,
Auspicijs tellus Africa victa meis.
Quæq; olim pius extruxi sacra templa manebunt,
Virtutiq; meæ iure tributus honos.
Nunquam ergo interij, melior nam portio nostri,
Quam volui semper viuere, viuit adhuc.

Universidad de Deusto
Biblioteca

El Rey.

POr quanto por parte de vos el Rector y Collegiales del Collegio y vniuersidad de la villa de Alcala de Henares, nos ha sido hecha relacion, que a instancia y a mucha costa vuestra, el maestro Aluaro Gomez auia copilado la historia del muy Reuerẽdo in Chr̃o padre Cardenal dõ fray Frãcisco Ximenez de Cisneros, fundador de esse dicho Collegio y vniuersidad: y nos suplicastes, os diessemos licẽcia y facultad para la imprimir, y priuilegio, para que por el tiẽpo q̃ nuestra merced y volũtad fuesse ninguna otra persona lo pudiesse imprimir, o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro Consejo, y como por su mãdado se hizieron las diligencias que la pragmatica por nos hecha sobre la impression de los libros dispone: por os hazer biẽ y merced, fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula en la dicha razon. Y por la presente vos damos licencia y facultad, para q̃ por tiẽpo de diez años primeros siguientes, que corran y se cuenten desde el dia de la fecha desta nuestra cedula en adelãte, vos, o la persona que vuestro poder ouiere, podays imprimir, y vender el dicho libro que de suso se haze mẽcion. Y mandamos q̃ durante el dicho tiẽpo, qualquier impressor destos nuestros reynos y señorios que vos quisieredes y señaladedes, imprima el dicho libro: y q̃ otra persona ninguna no lo pueda imprimir ni vẽder sin vuestra licencia. So pena, q̃ el que lo imprimiere, o vẽdiere, aya perdido, y pierda todos y qualesquier libros y moldes que del ouiere, imprimiere, o vendiere. Con q̃ primero q̃ se venda el dicho libro lo ayays de traer y presentar ante los del nuestro Consejo, juntamẽte con el original que se vio, q̃ va rubricado y firmado al cabo de Ioã Gallo de Andrada nuestro escriuano de camara de los q̃ residen en el nuestro cõsejo, para q̃ se vea si la dicha impression esta conforme al original, y se os tasse el precio q̃ por cada volumẽ ouieredes de auer. Y mãdamos a los del nuestro Consejo Presidente y Oydores de las nuestras audiẽcias, alcaldes alguaziles de la nuestra casa y corte y chancillerias, y a todos los corregidores, Assistẽte gouernadores, alcaldes mayores y ordinarios, y otros juezes y justicias qualesquier de todas las ciudades villas y lugares de los nuestros reynos y señorios, assi a los que agora son, como a los que seran de aqui adelãte, que vos guarden y cumplan esta nuestra cedula y merced que ansi vos hazemos, y cõtra el tenor y forma della vos no vayan, ni passen ni consientan yr ni passar por alguna manera, so pena de la nuestra merced, y de diez mil marauedis, para la nuestra camara. Fecha en madrid a. xviij de Deziembre de mil y quinientos y sesenta y ocho años.

YO EL REY.

Por mandado de su Magestad.
Antonio de Erasso.

YO Ioan Gallo de Andrada escriuano de camara de su Magestad, de los q̃ residẽ en el su Consejo, doy fe, que visto por los señores del la historia del Cardenal dõ fray Francisco Ximenez Cisneros, de que esta dada licencia y priuilegio por su Magestad a la vniuersidad de la villa de Alcala de Henares, para la vender e imprimir, fue tassado por los dichos señores el volumen del dicho libro en nueue reales en papel, y dieron licencia para que en este precio se pueda vender: con que primero que se venda, se ponga en el dicho libro al principio del esta tassa. En fe de lo qual de pedimiento de la dicha vniuersidad, y por mãdado de los dichos señores del Consejo, di esta fe firmada de mi nõbre: q̃ es fecha en la villa de Madrid, a primero dia del mes de Septiembre, de mil y quinientos y sesenta y nueue años.

Ioan Gallo de Andrada.

PHILIPPO. II. HISPANIARVM REGI CATHOLICO ET POTENTISsimo, doctor Agorreta Rector, & Academia Complutensis, perpetuam felicitatem optat.

NA EST TEMPORIS NATVRA Philippe magne, vt res hominum quanlibet præclaras, paulatim cæca obliuionis caligine inuoluat: contra cuius iniurias nullum aptius excogitari potuit remedium ad rerum diuturnitatem, quàm vt à disertis viris scriberentur. Hac enim literarum arte diuinitus inuenta, factum esse videmus, vt quę multis seculis à nostra ætate sunt remota in oculis hominũ recentia versentur. Scimus, multa eruditorum hominum monumenta quotidie in lucem prodire, quę tuo nomini augustissimo dicata, approbationem & laudem consequuntur: sed nullum inter ea esse existimamus, quod maiori merito sub tanti regis patrocinio in manus hominum venire debeat, quàm hi libri, qui tuæ maiestati à nobis offeruntur, & dicantur. Nam cùm nostræ gentis magnorum virorum tum facta, tum dicta dignissima sint, quæ apud exteras nationes celebrentur, nulla quidem certè digniora videbuntur, quæ sempiternæ memoriæ commendentur, quàm quæ Franciscus Ximenius Cisnerius, Archiepiscopus Toletanus, & Hispanię Cardinalis gessit: siue quis illius viri fortunã, siue incrementa per gradus, siue animum ad maxima quęq; natũ, siue egregia eius facinora mente complectatur. Curauimus ergo diligẽter, ne Ximenij gesta amplissima, & dignitatis plena, ab hominum memoria euellerentur: quod necessario euenturum videbamus, ni antequam monumenta, quę apud priuatos homines erant, aut animam, qui rebus ipsis interfuerunt agerent, ab interitu literarum ope vindicarentur. Precipua verò nobis cura fuit, vt quantum pro viri li cauere possemus, nulla, aut perpauca essent, quę cordatis viris in hisce libris, non quidem verbosis, aut ineptis, quibus omnis ratio otij, & negotij illius magni viri, & post hominum memoriam clarissimi constat, displicere possent. Suscipe igitur rex Philippe qua soles fronte, munus hoc quod tibi offerimus: quo præter vulgares illas historiarum vtilitates, innumera de rebus gerendis documenta his tuis temporibus pernecessaria continentur. Multa hic Philippi aui tui, & Caroli patris inuenies, nonnulla etiam tua præclarissima facta attingũtur, vt quę sunt pro dignitate à tuis historicis conscribenda: sed in primis multa proaui tui Ferdinandi Catholici recensentur, cuius consilia Ximenius plurimum iuuit: nihil enim vnquam eo inconsulto rex ille sapientissimus tentandũ

¶ 3 *esse*

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse duxit. Iam verò quę per Ximenium Hispanię prefectum gesta sunt, & quanta eius contentione & periculo, duris illis temporibus regia maiestas seruata fuerit, quoniam longa narratione in his libris explicantur, nõ est cur nũc repetamus. Illinc tua maiestas apertè colliget, quãtum Ximenio debeatur: qui post tot insignia beneficia, quibus vniuersam Hispaniam affecit, & quotidie afficit, omnium ferè magnatum odia subierit, dum regnum stabilire regi Carolo adhuc puero, & absenti laborat. Hęc si pro merito considerentur, mirabitur nemo, quòd has literarum sedes omni indulgentia rex potentißimus foues, iure & virtute tutaris, & omni studio vt indies sint illustriores curas. Experta est nuper hęc academia quãti illam facias, cùm illorum audaciam, qui eius libertati insidiãtur, tua authoritate compressisti: & literarum studiosos suo iure, & legibus frui, qua polles maiestate, iussisti. Ingentes tibi gratias agit hęc tua academia: cur enim tuam non dicamus, cuius tu patronus Opt. Max. à Ximenio appellatus es? & quę in medio regnorum tuorum sita, Hispanię tuæ ornamẽto est maximo? Gratias inquam tibi agit, quòd tua tutela, & presidio cõtra criminatores maleuolos, in literarum otio gratissimo, honestissimis disciplinis omnẽ operam dat. Quis enim nescit, omnibus scholis publicis, quotquot homines memoria, vel scripto repetere possunt, immunitates complures à principibus viris, & pontificibus max. fuisse semper concessas? & inter eas primarium locum tenere, ne qui sua nomina militię literarię dederunt, alibi quàm sub academię iudice litigare cogantur? Quæ immunitates, & priuilegia si infringerentur, nec iuuentus ita frequens ad literarum studia conueniret, nec animus inquies ea securitate disciplinis vacare posset, quam harum rerum natura postulat. Neq; enim minus silent sapientiæ artes inter molestissimas imperiosorum hominum lites, quã inter bellicos tumultus. Pro tali igitur, & tam magno beneficio, hoc quod possumus diligenter prestabimus: vt hac nostra literaria resp. sacris semper studijs sit occupata, & tales in eis progressus faciat, vt quoties reip. vsus postulauerit, multi viri præsto sint, qui votis tuæ maiestatis satisfacere possint: quod hactenus in rebus arduis abundè præstiterunt, quando eorum doctrina est requisita. Vale Rex potentissime, quem Deus ad defensionem Christianę reip. diu nobis saluum & incolumem seruet.

ALVARVS GOMETIVS

CASTRVS TOLETANVS, AD HORVM librorum lectorem, quos de gestis Francisci Ximenij Cisnerij, Archiepiscopi Toletani, & Hispaniæ Cardinalis scribebat.

ĘPE mecũ demiratus sum lector optime, quæ esset hæc tam sapientissimorum hominum Cõplutensium negligentia, vt amplissimi viri, qui hanc illis academiã condidit, præclara facta paulatim intermori sinerent: & cùm tot felicissima ingenia in eloquentię studio Cõpluti florerent, scriptorem rerum, splendoris, & gloriæ plenarum, ab academia nõ curari, aut multos passim non inueniri, qui vltro laborem scribẽdi subirent. Ergo cùm hoc mecum assiduè voluerem, subijt animum meum mira quædam cupiditas Francisci Ximenij res gestas scribẽdi: non quidem compendij alicuius gratia, sed vi quadam, & impulsu fatali. Nam hic animi affectus, statim vt Complutum veni ad honestas disciplinas cognoscendas, me mirificè tenuit, creuitq; mecũ ad hanc vsque ætatem. Illud tamen me semper malè habuit, quòd nec vnde res scribendæ sufficerentur, nec otium ad eas pro dignitate tractandas erat. Sed postea Deo viam parante, à Bernardino Alcaracio, scholastico Toletano, viro humanissimo, & opibus in vrbe sua pollenti Toletum sum vocatus. Vbi cùm ad Ioannem Vergarã qui Ximenio à secretis fuerat, doctrinæ & dignitatis causa, quę vtraq; in eo homine suprema fuerunt, assiduè venirẽ, & de prudẽtia magnanimitate, cæterisq; Ximenij virtutibus sæpe numero tractaremus, tandem homini quanuis senio, & morbis atrocissimis vexato eam scribendi cupiditatem inieci, vt de Ximenij rebus illustrandis cogitare cœperit. Ergo primo illo animi calore, exordia tãti principis, & incunabula adeò luculenter scripsit, vt etiam si id breui chartarum numero explicuerit, multum tamen Vergaræ debeamus qui res à paucis cognitas, & in ea fortunæ conditione quam Ximenius priuatus tenuit positas, tam diligenter è tenebris eruerit. Magnum me fecisse operæpretium arbitrabar, quod ad rem tam difficilẽ capessendam eius animum permouissem: nam profectò dignum rerũ suarum scriptorem vir clarissimus nactus erat: sed ardore illo ob morbos ingrauescentes extincto, toto quod postea vixit triennio nihil omnino scripsit: non quòd voluntas illi deesset, sed quòd mentis

Universidad de Deusto
Biblioteca

alacritas, quæ rebus huiusmodi conscribẽdis pernecessaria est, mortis vicinitate euanuerat. Postquam vir ille, longiore vita dignissimus viueret desijt, Academia Cõplutensis, quæ ad rem procurandã, sibi posterisq; suis gloriosam, sese demum excitauerat: mihi, quẽ ex Vergaræ communicatione, quo pacto res vniuersa tractãda esset, nosse arbitrabatur, operosam illam scribendi curã demandauit, quanquã nulla ex parte cum illo sim comparandus. Susceptis igitur Vergarę commentarijs, reliquisq; monumentis, quæ ad eam rem parauerat, ad Didacum Lupum Aialam, templi Toletani vicarium me cõtuli. Fuerat is in Ximenij familia à puero educatus, & crescẽte ætate maximis negotijs præpositus, quare gestorum ferme omnium certissimã notitiam ab eo me habiturũ existimabam. Neq; me fefellit opinio: nam literarum fasciculos complures mihi obtulit, quibus non solùm ea continebantur, quæ cum rege Ferdinando de Oranica expeditione conuenta fuerunt, & quæ à Ximenio gesta sunt, sed etiã quæ cum Carolo apud Belgas agente Ximenius regnorum gubernator per arcanas notas tractauerat: vnde sapientis viri consilia, cogitationes, & sensus licet cognoscere. Nactus sum, & Vallegij canonici Seguntini, qui Cardinali Ximenio à cubiculo fuerat, commentarium Hispano sermone de rebus Ximenij, diligẽter quidem scriptum, sed vltra Philippi in Hispaniam aduentum non est progressus. Hunc commentarium Andreas Cuesta doctor theologus, qui postea Episcopus Legionensis fuit, è Nauarra deferẽdum ad me curauit. Incertum erat à quo Cuesta suscepisset: donec cùm ad historiã edendam, academia Complutensis regij senatus, de more approbationẽ curat, vir amplissimus & clarissimus Didacus Spinosa, qui ad senatus regij & Inquisitionis præfecturas, quas nostri pręsidẽtias vocant, assumptus fuit, & nuper magno eius merito Cardinalis Hispaniæ, & Episcopus Seguntinus creatus est, suum esse dixit, sibiq; restitui petijt: sed postquam in academiæ scrinijs asseruari cognouit, liberali animo dono dedit. Venit etiam in meas manus commentarius autographus Floriani Ocampi, regij historici, de Ximenio, quẽ ille ad Vergaram vulgari sermone miserat, cùm hanc historiam scribere meditaretur. Dedit etiam academia Complutensis, si qua ad hãc rem facientia monumenta habuerat: nõnulliq; viri ex Ximenij aula, qui adhuc supererant, permulta retulerunt, quæ quanuis literis mandari non poterant, tamen si à nobis ignorata fuissent, multum gratiæ nostra hęc historia fuerat amissura. Porrò annales Laurentij Galindi Carauajali, quibus vir grauissimus rerumq; illarum cũ primis particeps, quinquaginta ferme annorum memoriam complexus est, haud vulgariter meam operam iuuerunt. Hæc te studiose lector nescire nolui: vt tibi ratio constaret nostri laboris, & scires nihil temere à nobis creditum, nihil ad gratiam, aut odium alicuius confictum hisce libris contineri, sed omnia inuestigata & eruta ex publicis actis, epistolisq; regũm, & Ximenij, & ex magnorum virorũ scriptis, quæ recensuimus. Post opus verò conscriptum, vsus sum cãdidissimo iudice Francisco Varga, viro doctissimo & integerrimo, multorumq; negotiorum vsu prudentissimo, qui post impetratam à Rege Philippo. II. vitæ quietem in Cisiensi secessu, attẽtissimè hos libros audiuit, & amicè monuit, si quid erat quod animum offenderet. Et vt ingenuè fatear, multa eius cõsilio sunt addita, multa immutata, multa etiã expuncta. Huic tantæ nostræ diligentiæ & curæ, accessit approbatio Ioa. Paccij Castri regiæ historiæ scriptoris, cui supremus senatus hanc nostram historiam explorandam & corrigendam dedit: quam adeo attentè perlustrauit, vt nõ modò ea quæ muneris sui erant, sed si quid oscitanter, aut impropriè dictum, si quid parum apto loco collocatum, si quid delicatas aures erat offensurum, insigni candore, & eruditione animaduerterit. Vale.

¶ 5

Universidad de Deusto
Biblioteca

Index locupletissimus rerum omniũ, quæ in hoc volumine continentur.

A Cademię multę conduntur Ximenij tẽpore. fo.3.pa.2.
Academiæ Complutensi decies centies nummûm perpetuo percipiẽdorũ è prouẽtibus regijs, Ximeni' cõparat.43.p.2.
Academiæ gubernandæ, cur Ximenius collegij diui Illephonsi rectorẽ præfecerit. 83.pa.1.
Academiæ Cõplutensis initia & quasi incunabula.84.p.1.&2.
Academiæ patroni. 90.pa.1.
Acanixus nobilis maurus Oranũ prodidisse fertur.114.pa.2.
Acis, Guadix. 131.pa.2.
Adrianus Traiectensis Louanij decanus, à Carolo legatus in Hispaniam venit. 146.pa.1.
Adrianus, Ximenio deprecante, Dertuensis Episcopus creatur. 187.pa.2.
Adrianus Cardinalis creatur.201 pa.2.
Aegidius Albornozi' Archiepiscopus Toletanus. 132.pa.2.
Aethiopes serui ab Hispanis ad nouas insulas transportãtur. 165.pa.1.
Aethiopes ad Indos traducti in Hispanos cõspirant. ibidem.
Alarabes, & corũ mores.114.p.1.
Albaizinus Granatẽsis. 30.pa.2.
Albani reguli maior natu filius in Lotophagorũ insula obtruncatur. 124.pa.1.&.2.
Albani ducis cum Ximenio simultates. 202.pa.1.
Albornozius ex vrbe Ostia, quò naui appulerat, vinctus in Hispaniam mittitur. 17.pa.2
Albornozius è vinculis emittitur. ibidem.
Alfaquinus mauris, idẽ est, quod nobis Archiepiscop'.110.p.2.
Algerij rex sese fidei Ferdinandi tradidit. 136.pa.2.
Algerium nonnulli antiquam Cirtam, sed falsò esse credunt 179.pa.1.
Algerium sub Hispanorum potestate erat tẽpore Ximenij. ibidem.
Algerium exercitus mittitur ad uersus Barbarosam. 179.pa.2.
Almeriam antiquam Abdẽram esse, sunt qui asserant.97.pa.1.
Almoxarifus apud mauros, idẽ est cũ publico quęstore.118.p.1
Alphonsus Mendocius doctor theologus, Crugniẽsis comitis frater. 139.pa.2.
Alphonsus Mẽdocius rector, Ximenij sepulchrum, ferreis cãcellis affabrè factis, cingendũ curauit. 217.pa.1.
Alphõsus.VI.Hispanię rex, Bernardũ natione Gallum, Toletanũ antistitẽ creauit. 9.pa.2.
Alphonsus Cardenas, in ludis nuptialibus Ioannis principis, equo delapsus, moritur.18.p.2
Alphonsi Aguilarij mors.34.p.1

Alphonsus Carrillus viginti sex sacerdotes in templo Iusti & Pastoris instituit, & Frãciscanorum cœnobiũ ædificauit. 93.pa.1.
Alphonsi mendocij Crugniẽsis, in ludis militaribus præstantia. 142.pa.1.
Alphonso Mantico Paxaugustano, Cordubẽsis ecclesia traditur, Ximenio fauẽte.187.p.2
Alphonsus Garsias Matamorus rhetor clarissimus. 88.pa.2.
Alphonsus Tostatus Matricalij natus est. 147.pa.1.
Alphonsina. 91.pa.1.
Amphionis vox. 50.pa.1.
Andreas Cuesta. 222.pa.1.
Antequeram nonnulli Singiliã esse putant. 170.pa.1.
Antonius Augustinus regnorũ Aragoniæ vicecancellarius. 146.pa.1.
Antonius Moralius, Ambrosij Moralij pater. 81.pa.2.
Antonius Nebrissensis ad Ximeniũ, relicto Salmanticensi gymnasio, reuertitur. 86.pa.2.
Antonius Nebrissensis in cathedræ petitione, Salmãticæ repulsam accepit. 87.pa.1.
Antonij Nebrissensis manibus, quotannis academia Cõplutensis iusta olim funebria faciebat. 87.pa.2.
Aquarum calidarũ situs & varia nomina. 61.pa.1.
Aram sacrosanctæ eucharistiæ ministerio dicatam, & in domino sepulchro repertam, Ximenio Hierosolymitanus Guardianus dono dat.47.p.2
Archiepiscoporum Toletanorũ cum Academia Complutẽsi pacta cõuenta, in designatione canonicorum & portionariorum. 93.pa.2
Armastophus pari cum Adriano & Laxao potestate in Hispaniam mittitur. 190.pa.2.
Artiũ liberaliũ collegia.88.pa.2.
Ascanius Sfortia Cardinalis Laurentio Vaccæ fauet. 8.pa.1.
Auellaneda scelus Bernardini suspicãs, Ximeniũ inuisit.16.p.1.
Auellaneda ob egregiam fidelitatẽ Ximenio carus semper extitit. 16.pa.2.

B

BArbarossa Algerium occupat. 179.pa.1.
Barbarossa Hispanorum copias apud Algeriũ fundit. 180.p.1.
Bastetanam ecclesiã Ximenius repẽtendam censet. 125.pa.2.
Bastetanæ vrbis expugnatio.131. pa.1.
Bastetanæ ecclesiæ ad Toletanã diœcesim reductio. 131.pa.2.
Bastetana ecclesia quo tempore in potestatem Acitanorum episcoporũ venerit. 131.pa.2.
Bastetana ecclesia Acitano episcopo rursus commissa est. 133.pa.1.
Belgarũ principes Philippo grati & intimi. 60.pa.1.
Benedicti Cisnerij, Ioannis Ximenij

Universidad de Deusto
Biblioteca

menij filij,educatio & mores. 26.pa.1.
Bernardini Ximenij fratris ingeniũ & mores. 15.pa.1.
Bernardinus cõprehenditur ob petulantiã in fratrem. 15.pa.2.
Bernardinus Ximenium strãgulare nititur. 16.pa.1.
Bernardinus Turrigios vinctus abducitur. 16.pa.2
Bernardini statura & facies. 16. pa.2.
Bernardinus Carauaialius coniurationis in Iuliũ.II.Põt.maxi.author præcipuus.134.pa 2.
Bernardinus Carauaialius Segũtino põtificatu deijcitur.ibidẽ
Bernardinus Carauaialius in Seguntinum episcopatum restituí contendit. 185.pa.1.
Bibliorum editio à Ximenio inchoatur. 37.pa.1.
Bibliorum emẽdatè excudẽdorum cura,quibus commissa. 37.pa.2.
Biblia quantis impensis & laboribus excusa. 38.pa.1.
Bozeguillis Ximenio venenum propinatum fuisse,fama constans est. 206.p.2.
Briocæ oppidi situs, & qua ratione ad Toletanos antistites deuenerit. 45.pa.2
Bugiam, quam nonnulli Iuliam Cæsareã appellãt, Nauarrus capit. 122.pa.1.
Butragiorum montes. 144.pa.2

C

CAdin Afrorum lingua,idem est quod pontifex. 99 pa.1.
Cairus Memphis olim dicebatur. 52.pa.2.
Cancellarius academiæ Cõplutensis. 83.pa.2.
Cancellarius primus. ibidem.
Canonici Toletani de Ximenij voluntate admoniti, secretò Albornozium Romam mittunt. 17.pa.1.
Canonici dant operam,ne ædicula regia sacello maximo adiungatur. 20.pa.2.
Canonici Toletani,ad reginã legatos cum querelis mittunt. 48.pa.2.
Canonicatus & portiones,pro titulorum antiquitate,in academiæ doctores & magistros, Ximenius distribuere cõtendit. 93.pa.1.&.2.
Canonicorum Complutẽsium, &portionariorũ reditus.94.p.1
Canonici Complutenses rectori obtemperant. 94.pa.1.
Capella maxima Toletani templi laxatur. 21.pa.1.
Capellani maximi diui Illephõsi, ius parochorũ in collegas & collegij habitatores tenẽt. 80.pa.1.
Carolus Quintus Rom.Imperator,& Hispaniarum rex, canonicorum Complutensium authoritatem,elogio honestissimo amplificauit. 94.pa.1
Carolus Gandaui natus. 151.pa.1.
Carolo intimi & magis grati viri. 151 pa.2.

Carolu

Carolo,Ferdinãdo auo suo,apud Belgas iusta funebria.splẽdidissimo & regio apparatu,facit. 152.pa.1.
Carolus viua matre rex appellatus est. 152.p.2
Caroli ĩ Hispaniã aduẽtus 211.p.2
Carolus ad Ximeniũ literas dat, quibus eum ad colloquiũ vocat,vt tãdẽ Ximeni quieti suę cõsulens, in Archiepiscopatũ Toletanũ se recipiat.215.pa.1.
Cartagena medicinæ professor. 81.pa.2.
Catherina Ioannæ reginę,& Philippi filia Torquematæ nascitur. 72.pa.2.
Cazorla, antiqua Catastaon est. 57.pa.1.
Cazorla, quot annos in Toletanorum pontificũm potestate fuerit. ibidem.
Cercina insula. 123.pa.2.
Cerui quo tẽpore in venere proniores sint. 137.pa.2
Chebrius omnium procerũ Carolo gratissimus. 151.p.2.
Christi in cruce pendentis signũ, quod Burgis asseruatur.61.p.2.
Christiana religio à quo tẽpore in Hispania florere cœperit. 140.pa.2.
Christophorus Colũbus Genuẽsis incogniti orbis repertor. 33.pa.2.& 164.pa.1.
Cisneri oppidũ. 1.pa.1.
Classis Ximenij aduersus Oranũ cõparata,è quot nauibus cõflata fuerit. 107.pa.2
Classis Ximenij Oranum appellitur. ibidem.
Claustraliũ censura & correctio, Ximenio,& alijs duobus episcopis,cõmittitur. 23.pa.2
Clemẽs Scoti interpres apud Cõplutenses. 81.pa.1.
Coadiutor à Romano Põt.Ioãni Cabreræ,Toletano archidiacono datur. 136.pa.1
Cœnobium titulo sancti Iacobi Pœnitẽtis Ximenius ædificat. 150.pa.2.
Cœnobiũ eodẽ titulo Toleti extruit. ibidem.
Cœnobiũ istũ.Frãciscus Ruizius auxit & locupletauit. 51.pa.1.
Cœnobia duo Ximenius Orani condit. 115.pa.2.
Cœnobium Turrilacunę à Ximenio extruitur. 129.pa.2
Cœnobium hoc,quam magnis impẽsis fuerit ędificatũ.142.p.2
Cœnobia Ioannis Pœnitẽtis titulo,alterũ Cõpluti,Toleti alterũ ædificari cœpta, perficiuntur. 143.pa.1.
Collegij diui Illephonsi,quo tempore iacta sint fundamenta. 28.pa.2.
Collegium Cõplutense,quo tempore proprij habitatores primùm ingressi fuerint.79.p.2.
Collegarũ nomina,qui primi diui Illephonsi collegiũ incolere cœperunt. 79.p.2
Collegarũ diui Illephõsi,& capellanorum numerus. 80.pa.1.
Collegarum Diui Illephonsi,

vestitus

Universidad de Deusto
Biblioteca

vestitus & insignia. ibidem.
Collegij diui Illephonsi anteriores parietes, quis ex marmore extruendos curauerit. 86. pa. 1
Collegia minora à Ximenio instituuntur. 87. pa. 2.
Collegium theologorũ. 89. pa. 1.
Collegio diui Illephõsi admittũtur tantũ theologi. 89. pa. 2.
Collegium sodalium Frãciscanorum. ibidem.
Collegas minores cooptandi, penes quos ius sit. 90. pa. 1.
Collegæ diui Illephonsi cum suo rectore, priuatum singulis semel mensibus, senatũ cogunt. 94. pa. 1.
Collegæ Seguntini, de suis sedibus Cõplutum transferendis agunt. 94. pa. 2.
Cometa, paucis post diebus quã rex Ferdinandus è Castella discesserat, visus est. 69. pa. 2.
Commendatarij vnde dicantur. 164. pa. 2.
Cõplutensem ecclesiam quis collegiatam fecerit. 93. pa. 1.
Complutensibus data est vectigalium immunitas, Ximenij opera. 45. pa. 1.
Cõsiliorũ regũ molestiæ. 44. p. 2.
Cõsiliarij rectori à Ximenio dati. 83. pa. 2.
Conuentualiũ & claustralium libertas & licẽtia, Ximenij tempore. 7. pa. 2.
Corunna olim Brigantinus portus dicebatur. 57. pa. 2.
Corunnæ etymologia. ibidem.
Crugniensis comitis filius, comitatus hæres, Ximenij neptem Ioannam Cisneriam vxorem ducit. 139. pa. 2.
Crux in aëre se ostendit Alphonso. VIII. Hispanię regi. 58. pa. 1

D.

DArrus fluuius vnde sic dictus 36. pa. 1.
Decumam fructuum sacrorum Leo. X. Põt. max. à sacerdotibus exigebat. 195. pa. 1.
Dictum egregium cuiusdam viri, quo molestiæ cõsiliorũ regum declarantur. 44. pa. 2.
Didacus Fernandus Corduba à rege accersitur. 99. pa. 1.
Didacus à Mauris superatur. 99. pa. 2.
Diplomata Roma allata, ad supremũ regis tribunal ex quo adduci cœperint. 144. pa. 1
Diplomata à Carolo Ximenius impetrat, vt omnia ad suũ arbitrium componat. 163. pa. 1.

E

ECclesia Toletana, Ximenio đ amplissima dignitate gratulatum mittit. 16. pa. 2
Ecclesiam Complutensem quis collegiatam fecerit. 93 pa. 1
Emanuellum Ximenius à Philippo seiungere curabat. 66. pa. 1.
Emanuelis Portugalliæ regis ad Ximenium literæ. 78. pa. 1.

Esqui

Esquinas Abulensis canonicus literas à Pont. max. impetrat, vt licet horis sacris non adesset emolumẽta pciperet. 144. p. 1.
Eugenij in Toletanã ecclesiã trãslatio. 217. pa. 1.
Euphemiæ corpus in vido quoda in asseruatũ, Ximenius inuisit. 59. pa. 2

F.

FAstos nostros, ob solis cursum à tempore Iulij Cæsaris nõ nihil variantem, in ordinem redigere niitur Pontif. Max. 143. pa. 2.
Fernandus rex ad comprimendos regis Gallorum motus, in Cataloniam se cõfert. 18. pa. 1.
Ferdinandus Talabricensis, Archiepiscopus Granatensis, cũ Ximenio in maurorum conuersionem incumbit. 29. pa. 1.
Fernandus Cortesius Mexicani imperij expugnator. 133. pa. 1.
Fernandus princeps, Ioannæ & Philippi filius Compluti nascitur. 45. pa. 1.
Fernandus rex, tabulis è Belgis ad se missis, Castellę gubernationi præficitur. 56. pa. 2
Ferdinandi. III. Hispaniæ regis virtus bellica, & pietas admirabilis. 58. pa. 1.
Fernãdum regem, Hispani proceres in odium generi adducunt. 58. pa. 2.
Ferdinandus & Philippus Ximenij opera in colloquium veniunt. 62. pa. 1.
Ferdinandi regis in Manricum Naiarẽsem, & Garsiã Lassum scommata. 62. p. 2.
Fernandus iterum cum genero colloquitur. 64. pa. 2.
Fernãd? p literas Ximenij đ Philippi morte certior fit. 68. pa. 2
Ferdinandus Philippi filius patre mortuo Pinitiam transfertur. 69. pa. 1.
Fernandus rex Ximenio rescribit. 71. pa. 1.
Fernãdus rex post Philippi mortem, ad Castellam gubernãdam redit. 74. pa. 2.
Fernãdus Balbasius sextò rector. 85. pa. 1.
Fernandus Balbasius primũ inter suos competitores honoris gradũ adeptus est. 92. pa. 1.
Fernandus rex Complutensem academiã inuisit. 85. pa. 2.
Fernandi regis in Cõplutensem rectorẽ humanitas. 86. pa. 1.
Fernando veræ, qui nuntius de Oranica direptione ad regẽ mittebatur, literę furtim eripiuntur. 120. pa. 2.
Ferdinandus ad Aragonios cõuentus profecturus, Ximeniũ in suum locum sufficit. 130. p. 1
Ferdinandus rex validam & numerosam classem Gadib' apparat. 133. pa. 2.
Fernandus rex, Ximenio Hispalim venieti, obuiam octo mil lia passuum prodiuit. 134. p. 1.
Ferdinandus princeps, Ferdinandi regis nepos, Ximenium Ho

noris

Universidad de Deusto
Biblioteca

noris gratia, domum deducere contendit. 137.pa.1.
Ferdinandi regis ad Ximenium literæ, quibus Gaditanæ classis apparatū in Gallum transferri, excusat. 137.pa.2.
Ferdinādus rex, Ximenio ad regium comitatū venienti, semper obuiā prodibat extra oppidi mœnia. 145.pa.2
Fernandi regis mors. 148.pa.2.
Ferdinādus rex morti proximus Ximeniū gubernatorem declarat. 148.pa.1.&.2.
Ferdinādum principem alumni admonent, vt iure tabularum Burgensium, authoritatē regiam vsurpet. 148.pa.2.
Ferdinādum principem, Ximenius vt Gadalupum peruenit, ad se adduci iubet. 150.p.1.
Ferdinandus Villalua Placentinus Nauarros fundit. 166.p.1.
Fernandus princeps ad auum in Germaniam amandatur. 212 pa.2.
Ferreræ fratres, Talabricenses. 39.pa.2.
Fœdera inter Ferdinandum & Gallorum regem certis conditionibus sanciuntur. 56.p.2.
Fons prope aquas calidas mirabilis. 61.p.2.
Fōtarabia priscū Olearsum fuisse creditur. 36.pa.2.
Franciscani fratres, de Ximenio apud generalem ministrum conqueruntur. 14.pa.1.
Franciscus Ferrera, Complutensis ecclesiæ abbas, cum pontificijs literis ad academiæ erectionē necessarijs, ad Ximenium redit. 36.pa.1.
Franciscus Ruizius Ximenij sodalis, episcop' creatur. 130.p.2.
Franciscus Ruizius Ximenij sodalis, Toleti in cœnobio diui Ioannis pœnitentis sepultus est. 143.pa.1
Franciscus Ruizius ilices in Cōplutensi tractu disseminari fecit. 148.pa.1.
Frumenti magnam copiā, in publicis horreis asseruandā, Ximenius Toletanis, Complutēsibus, Turrilacunēsibus, & Cisnerijs in publicos vsus largitus est. 140.pa.1.

G.

GAllorum regis, Frāciści, egregium circa expeditionem Hierosolymitanam, dictum 79.pa.1.
Garsias à Toleto, Albani reguli filius obtruncatur. 124.pa.2.
Genuenses ex Hispania iubētur discedere. 181.pa.1.
Genuēsib' in Hispania esse permittitur. 183.p.1.
Germana regina Fernando in matrimonium collocatur, 56 pa.2.
Germanæ rebus mortuo Ferdinando Ximenius prospicit. 150.pa.1.
Gironij Vrennatum comitis cū Ximenio simultates. 195.pa.1.
Gonsaluus Mendocius Cardinalis, iure propinquitatis Ximenio fauisse creditur. 2.pa.1.
Gonsalui Mendocij Episcopi Seguntini, de Ximenio iudiciū & præsagium. 4.pa.2.
Gonsaluus Mēdocius ex Episcopo Seguntino, Hispalēsis Archiepiscopus, & deinde Toletanus efficitur. 5.pa.2
Gonsaluus Mendocius apud Isabellam reginā, miris laudibus Ximenium effert. ibidem.
Gonsalus II. Archiepiscopus Toletanus scholam Compluti cōdidit. 28.pa.2.
Gonsalus Ferdinandus, cognomento magnus dux, familiarissimè Ximenio vsus est. 30. pa.1.
Gonsaluus Egidius Burgensis, theologicæ scholæ à Ximenio præficitur. 80.pa.2.
Gotthorum imperiū quot annos in Hispania viguerit. 40. pa.2.
Gotthicarū literarum characteres. 41.pa.2.
Graduum tituli, quos licētias appellant, quo pacto tribuātur. 90.pa.2.
Grammaticorum collegia. 88. pa.1.
Grecę linguæ professores, Ximenij tempore. 81.pa.2.
Græcis professoribus, ex Ximenij legibus, quiuis auditorū numerus satis est. 82.pa.1.
Granatæ vrbis descriptio, & vnde sic dicta. 34.pa.2.
Gregorius Castellus clarus concionator, 26.pa.1
Guadix, Acis dicebatur. 131.pa.2
Guterij Cardenę obitus. 44.pa.2

H

HAstæ ictus mirabilis. 99. pa.1.
Hebrææ linguæ professores. 82. pa.1.
Helionora in ipso ætatis flore obit. 26.pa.1.
Hieronymus Madritus, & Petr' Zalamea, sodalitatem conceptionis Deiparæ titulo, Toleti instituerunt. 42.pa.1.
Hierosolymitanā expeditionē, Christianis regibus Ximeni' suadet. 77.pa.2.
Hispani proceres Fernando regi infensi, eum à Castellæ gubernaculis deijcere conabantur. 53.pa.2.
Hispaniæ vrbes legatos ad Ximenium, & Senatū regium, cum querelis mittunt, & facultatem in aliquem locū cōueniendi, petunt. 192.pa.2
Horrea publica Ximenius instituit. 140.pa.1

I

IAcobi Hispaniarū propugnatoris die, quotannis è sacello diui Illephonsi ad diui Iacobi ædem, cum soleni pompa proce-

Universidad de Deusto
Biblioteca

proceditur. 80.pa.2.
Illephonsi corpus,quod Zamorę asseruatur,Ximenius inuisere constituit. 54.pa.1.
Illescis Ximenius monialiũ cœnobium condidit. 125.pa.2.
Impẽsas in bello Oranico factas Rex Ximenio persoluere nõ vult. ibidem.
Infantatus dux vicarij Complutensis fiscalem fustibus malé multat. 196.pa.2
Infantatus dux,Ximenius,& Velascus ad fontem Carralium conueniunt. 197.pa.1.
Infantatus dux contumeliosam legationem ad Ximeniũ mittit. ibidem.
Infantula lactẽs,matris interemptę vberibus adhærere visa est, in expugnatione Oranica. 111. pa.2.
Inquisitionis tribunal quo tẽpore apud nos institutum fuerit. 76.pa.2.
Ioannes Ximenius tres ex Helionora liberos procreat.25.pa.2.
Ioannes Vergara vnus ex correctoribus bibliorum Cõplut. 38.pa.1.
Ioanna Philippi vxor in Belgas transmittit. 46.pa.2
Ioannæ cum Philippo iurgia.ibidem.
Ioannæ reginæ deliationes.173. pa.1.& 72.pa.1.
Ioãna regina, patri ad regnorũ Castellæ gubernationẽ accersito,obuiam procedit. 75.pa.1.
Ioãna regina post mariti mortẽ noctu iter faciebat. ibidem.
Ioanna Cisneria,Ioannis Ximenij filia,Petro Gõsaluio ducis Infantatus ex fratre nepoti, collocatur. 129.pa.2.
Ioannę Cisneriæ nuptiæ cũ Petro Gonsaluio, irritæ fiunt. 138.pa.2.
Ioanna Cisneria,post irritas nuptias cum Petro,Gonsalio,Alphõso Mẽdocio Crugniẽsis comitis filio hęredi nubit.139.p.1
Ioannes Velascus,Bernardini comestabilis nothus,præmium elegantis & sciti cultus,in ludis militaribus tulit.142.pa.1.
Ioannes Riuus Toletanus,pirata insignis. 181.pa.1
Ioannes Metyna. 222.pa.1.
Isabella regina priores partes tenebat in administratione regni. 5.pa.2.
Isabella regina Mendozio Cardinali mãdat,vt virum aliquẽ spectatę probitatis quęrat,qui sibi ab arcanis cõfessionib' sit. ibidem.
Isabella regina mirificè Ximenium laudat. 6.pa.1.
Isabella catholicorũ regũ filia,& Emanuelis Portugalliæ regis vxor,ex dolore partus Cæsaraugustæ moritur. 27.pa.2.
Isabella regina grauiulcere laborare cœpit. 47.pa.1.
Isabellæ reginæ mors. 51.pa.2.
Isabellæ cadauer qui deferebant ob imbrium multitudinẽ,id coacti

coacti sunt per aliquot dies Toleti deponere. 52.pa.2.
Iudæi Hispani,ad fidem cõuersi, à Carolo contendunt, vt ederẽtur testimonia,cùm ob violatam religionẽ,ipsi damnarentur. 184.pa.2.
Iulianus Pomerius Archiepiscopus Toletanus,inter diuos relatus. 22.pa.1.
Iulium. II. Pont.max. è pontificatu deijcere,aliquot Cardinales adoriuntur, Gallorũ rege fauente. 134.pa.2
Iuris pontificij professores. 82. pa.2.
Iuri ciuili in academia Cõplutensi locus non est. ibidem
Iusti & Pastoris martyrium. 93. pa.1.
Iusti & Pastoris templũ à Ximenio in meliorem formã extruitur. 23.pa.2.
Iusti & Pastoris templum,Ximenio petente,academiæ à Pontif.summo conceditur. ibidẽ

L.

LApis pluuialis mirandæ magnitudinis. 135.pa.1.
Laurentius Vacca Ximenio obsistit,ne conuentuales ad priscam vitę normam reuocet. 7.pa.2.
Laurentius Mendozius Crugnię comes. 139.pa.2
Laurentij Galindi Caruaialij,de Carolo regis nomine appellãdo,oratio. 135.pa.1.
Laxaus,tertius ad rẽpub.Hispaniã moderandã à Carolo mittitur. 189.pa.2.
Lazari Nosocomiũ,quod extra muros Hispalis est,Ximenius reditibus auxit. 34.pa.1.
Legati post obitũ Isabellę è Belgis in Hispaniam veniunt.54 pa.2.
Legatos Belgarum, de rege Ferdinãdo in Aragoniam detrudendo agẽtes,Ximenius oratione sua perterrefacit.56.pa.1
Libri omnes quibus Maurorum superstitio continebatur, à Ximenio comburi iubentur. 30.pa.2.
Libros religionis nostræ vernaculis linguis circunferri,nefas esse. 33.pa.1.
Libri sacra doctrina referti,quos Ximenius excudi iussit.39.p.1
Libri musici diuinis cãtibus celebrandis necessarij, in mẽbranis à Ximenio excudi iubentur. 39.pa.2
Libri de agricultura Ximenij ductu typis mãdantur. ibidẽ.
Licentiæ,& graduũ designationes academiæ Complutensis. 91.pa.2.
Licentiæ theologicæ celebratæ præsente Ximenio. 91.pa.2
Licẽtiarum & graduũ designationes abrogandas esse,Ximenius censuit. 92.p.1.
Ludi militares(quos vulgò iustas appellant)ad exhilarandum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

regem ęgrotum, splēdidè apparantur. 141.pa.2.
Lupus Conchillus, Ferreræ Aragonij indicio, regi Philippo proditur. 55.pa.1.

M.

MAlacitani motus. 169.pa 1.
Malacitani motus sedātur. 170.pa.1.
Manus pprias deosculari, Maurorum mos est. 30.pa.1.
Marzilla, fortissimum Nauarræ propugnaculū, quo pacto Illęsum manserit. 166.pa.2.
Matricaliū, vt caueret, Ferdinando regi prædictū fuerat. 147.pa.1.
Mauros Granatenses qua ratione Ximenius ad Christi fidē reduxerit. 29.pa.1.
Maurorum Granatensium conuersio quo tempore cœperit. ibidem.
Mauri Granatenses tumultuosè Ximenij domū adoriunt 31 p.1
Mauri Alpujarrēses à Catholicis regibus deficiunt. 34.pa.1
Maurorū aliquot principes Ferdinandi potentiā formidātes, eius se fidei committunt. 136.pa.1.&.2.
Medicis Complutēsibus, quo pacto graduum insignia tribui soleant. 91.pa.2.
Mēdociū Cardinalē, graui laborātē morbo, reges inuisūt. 8.p.1.
Mendocius regibus suadet, vt Ximeniū in Toletanū Archiepiscopum eligant. 8.pa 2.
Mendocij Cardinalis, & Archiepiscopi Toletani obitus. 9.p.1
Mendozæ Ximenij lecticarij luctuosa mors. 135.pa.2.
Meninx insula Lotophagorum, ab Eutropio Girba appellata. 124.pa.2.
Mersalcabir, id est, portus magnus. 96.pa.1.
Mersalcabir adoriuntur Hispani milites. 97.pa.1.
Mersalcabir ani Mauri sese Hispanis dedunt. 98.pa.1.
Michael regum catholicorum nepos, Granatæ obijt. 28.pa.1.
Michael Pardus, Burgensis. 81.pa.2.
Militum Hispanorū, qui ad expugnandā Oranū conscripti sunt, numer°. 101.p.1.&107.p.2
Milites Ximenij tumultuantur, ob nō numeratā sibi pecuniā. 106.pa.1.&2.
Militares copias, multis propositis immunitatibus, Ximenius per omnes Hispanię ciuitates conscripsit, quæ si vocarentur, præsto essent. 160.pa.1.
Minister Generalis Ximenium apud reginam grauiter criminatur. 14.pa.1.
Mirobriga, ab Hispanis, Ciudad Rodrigo. 6.pa.2.
Molinam, Ptolemæi Oliuā, nōnulli esse dicunt. 58.pa.2.
Monachi cuiusdam Ximenij comitis mirandum de ipso Ximenio vaticinium, dum simul

mul it farecerent. 5.pa.1.
Monachorum correctioni potissimùm intendebat Ximenius 22.pa.2.
Monachis claustralibus cur nobiles fauebant. ibidem.
Monachorum correctio intermittitur, iubente Pont. max. 23.pa.1.
Monachi aliquot Hieronymiani ad res indicas componendas mittūtur à Ximenio. 164 pa.1.
Monumentum marmoreum à rustico Talabricæ repertum. 140.pa.2.
Mos antiquus excipiendi Toletanos pontifices, in suo primo in vrbem ingressu. 19.pa.1.
Mota Paxaugustanus Episcopus creatur Ximenij opera. 187.pa.2.
Mozarabum sacra, qua ratione à Ximenio renouari cœperint. 39.pa.2.& 40.pa.2
Mozarabum sacra à quo fuerint instituta. 40.pa.2.
Mozarabum librorum penuria. 51.pa.2.
Mozarabum libros Paulus. III. Pont.max. missis Toletum legatis, ab ecclesia Toletana petiuit. ibidem.

N

NAiarēsium dux Nauarrę gubernationi præficitur. 168.pa.1.
Nauarro summo imperatore designato, Ximenius in Hispaniam reuertitur. 116.pa.1.
Nauarri nomen Mauris formidabile. 123.pa.1.
Nauarri mors. 124.pa.2
Nauarrus, quibus conditionibus Gallorum partes sequutus fuerit. 182.pa.2.
Nauarræ rex schismatis Pisani, & belli aduersus Pontificē suscepti, vnà cum Gallo fautor. 139.pa.2.
Nauarræ rex quibus cōditionibus fœdus cum Gallo pepigerit. 140.pa.2.
Nauarrę rex, Ximenio rerū moderatore, Nauarram recipere conatur. 165.pa.2.
Nauarræ arces, & nonnullorum oppidorum muri, Ximenio iubēte diruuntur. 166.pa.2.
Nauarræ supremus Senatus, pari Senatorum numero ex Agramontensium & Viamontensium familia, more maiorum constabat. 168.pa.2.
Nuptiæ principis Ioannis, cum Margarita, Maximiliani filia, Burgis celebrantur. 18.pa.2

O

ORatio Ximenij ad suos canonicos. 19.p.2.
Oranica expeditio. 95.pa.2.
Orani descriptio. 96.pa.1.
Oranum varijs nominibus à recentioribus appellatur. 96.pag.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Oranicæ expeditionis dux maximus, Didacus Fernãdus deligitur. 97.pa.1.
Oranicum bellum, maleuolorũ quorundã vocibus persuasus rex Ferdinandus protrahere incipit. 102.pa.2.
Oranum inuadũt nostri milites. 110.pa.1.
Oranum capitur. 111.pa.1.
Oranicæ prædæ æstimatio. 112. pa.1.
Oranum proditione captã fuisse, quidam asserunt. 114. pa.2.
Oranum Ferdinandus rex ditioni regiæ vendicare studet. 125 pa.2.
Oranensis Episcopus litẽ Ximenio intendit. 127.pa.1.
Oranicam ecclesiam, collegiatæ titulo Toletanæ adiungendã, inter Ximenium & regẽ conuenit. 127.pa.2.
Orense oppidum, aquę calidę, dicebatur. 59.pa.1.
Oropesam regium Senatorem, in locum Mendocij Archiepiscopi regina sufficere statuit. 10. pa.1.
Oropesa quas ob res Archiepiscopus factus non fuit. ibidẽ.
Ostenta & signa, quæ Oranicã expeditionem præcesserunt. 112.pa.2.

P

PAranymphi Cõplutensis munus. 91.pa.1.
Pasquini & Marphodij statuas, in Tiberim proijcere voluit Adrianus factus Pontif.max. 194.pa.2.
Pericles singulis annis classem apparabat. 180.pa.2.
Petri Martyris de Ximenio iudicium. 6.pa.1.
Petrus Martyr literis Ascanij solicitatur, vt Vaccæ faueat. 8.pa.1.
Petrus Corduba à Mauris cum tribus peditum millibus, in Africa superatus, & extinctus est. 74.pa.2.
Petrus Lerma Burgensis, ethicas Aristotelis Compluti interpretari cœpit. 79.pa.2.
Petrus Siruelus Darocensis. 83. pa.1.
Petrus Campus, primus rector Complutensis. 83.pa.2.
Petrus Lerma, primus Cancellarius Complutensis. ibidem.
Petrus Nauarrus, totius exercitus in Oranum conscripti, Imperator declaratur. 101. pa.1.
Petrus Arias. 123.pa.1.
Petro & Paulo ædem Romæ sacram, in meliorem formam redigere cœpit Leo.X.Pont. max. 142.pa.2.
Petrus Portocarrerius, magisterium sancti Iacobi, per vim occupare contendit. 150. pagi.2.
Petrus Gironius, Vrennatum comitis maior natu filius, ingenti militum manu, in Asidonensem ducatum irruit. 156. pa.1.
Petrus Vrrea, Caroli apud summum Ponti. legatus, simul cũ Hieronymo vico. 184.pa.1.
Philippus catholicorum regum gener, cum Ioanna vxore, per Gallias in Hispaniam peruenit. 36.pa.2.
Philippus ad Belgas redit, incredibile sui desiderium Ioannæ vxori relinquens. 44. pag.1.
Philippus. II. Hispaniarum rex, quinquaginta aulicorum ministrorum filias, Compluti, in cœnobio diuo Ioanni Pœnitenti sacro alit & sustentat. 51.pa.1.
Philippus. I. edicto sancit, ne quis Hispanus, literas se inscio, in Hispaniam mittat. 54. pa.2.
Philippus rex cum Ioanna vxore, in Hispaniam post Isabellæ mortem, appellit. 57. pa.2.
Philippus rex febri corripitur. 66.pa.2.
Philippo morti proximo, principes viri in Ximenij domũ cõueniunt 67.pa.1.
Philippi regis mors. 68.pa.1.
Philippus. II. rex, Hispaniarum delectus & cohortes Ximenias, de summi senatus consilio, instauraui.. 163.pa.1.
Pimẽteli & Zenetẽsis rixa. 65.p.1
Pintiani tumultus causa. 161. pa.2.
Pintianus tumultus sedatur. 163. pa.1.
Pintiæ, publicos procuratores instituit Ximenius, qui quoties senatus cogeretur, adessent. 163.pa.1.
Plus vltra, quis in Caroli gratiã excogitauerit. 151.pa.2.
Poëticis & Philosophicis rebus, quinquennio tantùm sacris initiatos, in publicis gymnasijs incumbere posse, Ximenius concedebat. 143.pa.2
Pompeij Magni erga Posidoniũ Philosophum humanitas singularis. 86.pa.1.
Pontifex maxi. Ximenio per literas imperat, vt Toletanum pontificatum accipiat. 11. pa.1.
Pontifices summi, qui priuilegia & immunitates, Complutensi gymnasio dederunt. 36.pa.2.
Pontifex max. auxilium à rege Ferdinando aduersus Gallum petit. 134.pa.2.
Portenta visa, quo tempore de pontificia dignitate, Iuliũ. II. Pontif. maxi. deijcere conabantur nonnulli ex Cardinalibus. 135.pa.1.
Prædæ Oranicæ distributio. 113. pa.2.
Prodigia, quæ expeditionẽ Oranicam præcesserunt. 112.pa.2.
Professores doctrina præstãtes,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vndique Ximenius, haud cõtemnendis præmijs, in suam academiam accersit. 80. pa. 2.
Professores Complutenses missionem à Ximenio efflagitãt. 84. pa. 2.
Professores artium liberalium, quo tempore creari soleant. 88. pa. 2.
Puella ouium custos, quid feretrum Isabellæ reginæ ducẽtibus dixerit. 52. pa. 2.
Putius Cardinalis. 184. pa. 2.

R

RAneræ beneficium per vim occupare conatur Bernardinus Mendocius. 74. pa. 1.
Rector Complutensis scholæ. 83 pa. 1. & 2.
Rector primus in academia Cõplutensi. 83. p. 2.
Rector Complutensis, Ximenio ab Oranica expeditione redeunti obuiam procedit. 120. pa. 1.
Reges quã ob causam, bello ingruẽte, in oppida inimicis cõfinia secedunt. 141. pa. 1.
Regina Lauretum contendit, vt Ioannam filiam suam ad Philippum sponsum traiecturam, ad naues deducat. 18. pa. 1.
Regij sacerdotes Ximenij decreto, de iungenda ædicula regia sacello maximo, intercedũt. 20. pa. 2.
Rhetorices professores, & quid eis concesserit Ximenius. 82. pa. 1.
Rheumatismus, qui totum ferè orbem terrarum afflixit. 190 pa. 1.
Rhododẽdros seu rhododaphne. 134. pa. 1.
Ripadei comitis priuilegiũ. 205. pa. 2.
Ripadei comitatus litem, Ximenius decidere studet. ibidem.
Rodericus Diasius, Rogius, cum centum leuis armaturæ equitibus, peditibus verò quadringentis, Mersalcabir mittitur. 99. pa. 1.
Rodericus Moschosus Altamirę comes, in expugnatione Bugiæ morte occumbit. 122. p. 2.
Rodericus Ximenius Archiepiscopus Toletanus. 132. p. 1. & 2
Romani horrea publica cõstruebant. 140. pa. 1.

S

SAcra anniuersaria pro Ximenio varijs in locis fiunt. 42. pa. 2.
Salmãticensis schola legatos ad Ximenium mittit. 99. pa. 2.
Sãctæ Mariæ portus, Menesthei olim dicebatur. 100. pa. 2.
Sancti Auditi, vulgò Sanctoid, delubrum. 129. & 144. p. 2.
Santillus Complutensis, homo dicax & vrbanus. 141. p. 1.
Scholastici Complutenses, aliquot

quot homines morti damnatos, impetu facto, seruarunt. 84. pa. 1.
Scholastici adolescentes cum regijs pueris rixantur. 86. pa. 2.
Senatores regij, Ximenio inconsulto, Arandam regem salutaturi discedunt. 213. pa. 1.
Sierra Vermigia nostra tempestate, Orospeda olim dicta. 34. pa. 1.
Siliceus, quo pacto canonicorũ Toletanorũ censuram facere tentauerit. 49. pa. 2.
Synodi à Ximenio coactæ decreta. 21. pa. 1.
Sodalitium, Deiparæ virginis cõceptioni dicatum, quo tempore Toleti cœperit. 43 pa. 1.
Sol in Oranica expugnatione cursum suum continuit. 113. pa. 1.
Sosa, primus Orani muros vi occupat. 111. pa. 1.
Specula, quæ facis dicitur. 96. pa. 1.
Sueui Hispaniam in suam ditionem redegerunt. 61. pa. 2.

T

TAmaij erga Albornoziũ herum suum fidelitas. 17. pa. 2.
Tamaius, mortuo Albornozio, in familiam Ximenij ascisciturur. ibidem.
Tarracona, medicinæ professor. 81. pa. 2.
Taurus Sarabis esse creditur. 52. p. 1
Tauricæ leges, quo tempore primùm fuerint promulgatæ. 53. pa. 1.
Templi Toletani reditus, qui cedit curandis sartis tectis. 58. pa. 2.
Testamentum reginæ quid cõtinebat. 53. pa. 1.
Testamenti reginæ Isabellę exequutores. ibide m
Theologis Complutẽsibus quomodo licentiatus honos tribuatur. 91. pa. 1
Toletanorum Archiepiscoporũ quanta olim fuerit dignitas. 9. pa. 1.
Toletanus pontificatus, ex quo tempore hominibus mediocris fortunę committi cœperit. 10. pa. 1.
Toletanum pontficatum multi ambiunt mortuo Mendocio. ibidem.
Toletum, vrbs regia olim appellata. 40. p 2,
Toletanum templum, quorum ductu & auspicijs, in eam quã nunc habet formam, ædificari cœperit. 58. pa. 1.
Toletana ecclesia, Ximeniũ Oranicam expeditionẽ moliẽtem, pecunia iuuat. 102. p. 1.
Tormentum miræ magnitudinis, à Malacitanis conflatum. 169. pa. 2.
Torquemata olim Porta augusta dicebatur. 72. pa 2.
Tribuni militũ in Oranica expeditione. 101. pa. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Trimesenij Mauri, ob Oranum captam, in Christianos & Iudæos, quibuscũ illis cõmercia erãt, atrociter desęuiũt. 116. p. 1
Tripolis à Nauarro capitur. 123. pa. 1.
Triremibus, quas Hispana resp. obtinebat, Ximenius viginti adiũgendas curat. 163. p. 2
Trugiliũ, antiqua turris Iulij esse creditur. 147. pa. 1.
Tumultus, qui gubernãte Ximenio, concitati sunt. 73. pa. 1.
Tumultus Hispanorũ procerũ aduersus Ximeniũ. 156. & 157.
Turbalano rectore, opus marmoreũ collegij diui Illephõsi cœptum est. 86. pa. 1.
Turrigijs, Tharasia Anriquesia insalutata, Ximenius discedit 133. pa. 2.
Turris Corunnæ, in qua fabulis proditum est, speculum arte quadam arcana fuisse collocatum. 57. pa. 2.

V.

VAldesij prætorianæ cohortis præfecti, factum memorabile. 141. pa. 1.
Valladaro in graduũ designatione quid contigerit. 92. pa. 1.
Valleoletum, antiqua Pintia est. 57. pa. 2.
Vallegius, quomodo narret simultates inter Carrillũ & Ximenium. 3. pa. 1.
Vaticinia & Auguria vana. 147. pa. 2.
Vectigal, quod alcaualã vocant, quãdo, & cur institutũ. 24. p. 2
Vellasquides Arcualũ occupat. 170. pa. 1.
Velenna oppidum. 196. pa. 1.
Velenna Crugniẽsi adiudicatur. 196. pa. 2.
Venenum Ximenio datũ fuisse multi asserunt. 206. pa. 2.
Venetorũ natura. 95. pa. 2.
Vestis pretiosa Ximenio oblata, quę tribus ducatorum aureorum millibus æstimabatur. 13. pa. 1.
Viam, quę maxima à Cõplutẽsibus appellatur, Ximenius lapidibus sterni iubet. 36. pa. 1.
Viam maximam, ad eam quam nunc habet pulchritudinem Fõseca Archiepiscopus reduxit. ibidem.
Vianelli in Hispaniam aduẽtus. 47. pa. 1.
Vianello Villaroelus vulnus infligit. 106. pa. 2.
Vianellus obtruncatur. 123. pa. 2.
Villafratrum flammis vastatur. 200. pa. 1.
Villaluæ mors. 167. pa. 1.
Villaroelus Castorlæ præficitur. 61. pa. 1.
Villaroelum mauri equites adoriuntur. 111. pa. 1.
Villaroelo Oranicę Alcazauę custodia cõmittitur. 118. pa. 2.
Villaroelus, ob cędem cuiusdam ciuis Castorlani, ingenuæ cõditionis, in ius vocatur. 130. pa. 1.

Villũ-

Villumbrale oppidum, Valleoleto proximum, quo pacto in ditionem Toletanorum pontificum venerit. 57. pa. 2.
Vrbium prefecturas viris primarijs committẽdas, Ximenius instituit. 185. pa. 2.
Vultures hominum stragem diuinant. 112. pa. 2

X

XEnodochium diuo Bernardino sacrum, Ximenius Orani exædificat. 115. pa. 2.
Xerezium oppidum, olim Cæsaris Castrum dicebatur. 100. pa. 2.
Ximeniorum antiquitas & origo. 1. pa. 1.
Ximeniorum stemmata & insignia. ibidem.
Ximenij parentes. 1. pa 2.
Ximenius, Gonzalus die lustrico vocatus est. ibidem.
Ximenium ex Cisneriorum familia originem ducere, sunt qui asserant. 2. pa. 1.
Ximenius vbi literarum rudimentis, & postea grauioribus scientijs se addixerit. ibidem.
Ximenius peracto suorum studiorum curriculo Romam contendit. 2 pa. 2.
Ximenius dum Romam properat in latrones incidit. ibidẽ.
Ximenius Archipresbyteratum Vzedę ex pontificio diplomate obtinet. ibidem.
Ximenius in odium & offensionem Alfonsi Carrilli, ob Archipresbyteratum Vzedę incurrens, in vincula conijcitur ibidem.
Ximeniæ felicitatis præsagium. ibidem.
Ximenius ad sancti Torquati custodiam transfertur, & ibi tãdem vinculis liberatur. 3. pa. 1
Ximenius iram Carrilli veritus ab illius ditione concedit, & Seguntiam se confert. ibidẽ.
Ximenius, cum Capellania Seguntinæ ecclesiæ, quam maximam appellant, Vzedanũ Archipresbyteratum cõmutat. ibidem.
Ximenius author fuit Almazani archidiacono, vt Seguntinam academiam conderet. 3. pa. 2.
Ximenius ad sacrarum literarũ, & Hebraicæ linguæ studium, se conuertit, dum Seguntię cõmoratur. ibidem.
Ximenius à ciuilibus & forensibus studijs abhorrebat. ibidẽ.
Ximenio vicariam Seguntinæ diœcesis administrationẽ delegat Episcopus Seguntinus. ibidem.
Ximenium ditioni suæ præficit comes Cifontanus. 4. pa. 1.
Ximenius otium & quietem desiderabat, vt Deo Opt. max. se penitus dicare posset. ibidẽ
Ximenius diui Francisci institutis se dedicat assũpto etiã Frãcisci

Universidad de Deusto Biblioteca

cisci nomine. ibidem.
Ximenius offensus loci celebri tate, precibus obtinet, vt è celebri Toleti cœnobio, in Castaneti oppidi solitudinē mittatur ibidem
Ximenius in Salzedæ monasterium commigrare iubetur, & intra paucos dies Guardianus ibi creatur. 5.pa.1.
Ximenius literis Gonzali Médocij accitur, & cum Isabella regina colloquitur. 5.pa.2
Ximenius rogatur vt reginæ à sacris sit confessionibus, & qua conditione id onus subierit. 6.pa.1.
Ximenij virtus editis à Deo miraculis aliquādo patefacta est. ibidem.
Ximenius in ministrum prouincialem totius Castellæ deligitur. ibidem.
Ximenius Franciscum Ruizium sodalem sibi deligit. 6.p.2
Ximenij integritas in obeundo ministri prouincialis munere ibidem.
Ximenius de traiectione in Africā cogitat, dum Bęticā lustrat. 7.pa.1.
Ximenius è Bætica per literas ab Isabella accitur. ibidem
Ximenius omnium ordinū monasteria ad antiquam sanctimonię & religionis normam redigere studet. ibidem.
Ximenius à regibus interrogatus, cuius conditionis hominē in Archiepiscopum Toletanum eligi oporteret, patritiū respondit. 8.pa.2.
Ximenio inscio, regina pontificium diploma Roma afferēdum curabat, quò ipse Archiepiscopus designaretur. 10 pa.2.
Ximenio pontificias literas, quibus ipse Archiepiscopus designabatur regina ostendit. ibidem.
Ximenius Toletanum pontificatū inuitus tandem inire cogitur. 11.pa.1.
Ximenius vbi inauguratus fuerit. 11.pa.2.
Ximenij integritas & animi magnitudo in declarando Castorlę præfecto. ibidem.
Ximenius Archiepiscopus eodem fere apparatu vtebatur, quo priuatus. 12.pa.1.
Ximenius summi Pōtificis literis & impulsu, splēdidiori cultu & ornatu vtitur. 12.pa.2
Ximenij admirabilis delectus in recipiendis famulis. 13.pa.1.
Ximenius decem fratres ex ordine Franciscano domi apud se habebat qui cum eo sacra officia Deo persoluerent. 13.pa.2.
Ximenius in odium Franciscanorū incurrere cœpit. ibidem
Ximenij præclara moderatio in dissimulandis generalis ministri calumnijs. 15.pa.1.
Ximenius fratres illos, quos sibi sodales domesticos delegerat, dimittit, tribus tantùm retentis. 15.pa.1.
Ximenius conatur vt canonici & portionarij ad vitæ cōmunitatem redeant. 17.pa.1
Ximenius Albornoziū regia authoritate comprehendēdum curat. ibidem.
Ximenius impetrata à regina venia Complutum peruenit. 18. pa.2.
Ximenius locum construendo collegio aptū Compluti designat. ibidem.
Ximenius reginæ literis Burgos accitur. ibidem
Ximenij primus in Toletanam vrbem ingressus. 19.pa.1
Ximenius ædiculam regiam capellæ maximę iungendam, & regum reliquias illuc transferendas curat. 20.pa.2.
Ximenius primum conuentum Compluti celebrat. 21.pa.1.
Ximenius Pontificias literas impetrat, quibus cautum erat, ne in sua diœcesi aliquis se ab eiꝰ foro posset eximere, prætextu Pontificij diplomatis. 24.pa.1.
Ximenij circa exactionem vectigalis (quod alcauàlam vocāt) mira industria, & in rempub. beneficium. 24.pa.2.
Ximenius fratri suo vxorē dat Helionoram, Ioannis çapatæ filiam. 25.pa.2.
Ximenius synodum sacerdotū Talabricæ cōgregat, dum reges Toleti commorantur. 26.pa.1.& 2.
Ximenius post synodum Talabricæ celebratam regum literis accersitur, vt eos in Aragoniam ituros sequatur. 27. pa.1.
Ximenius, dum per Aragoniā iter facit, crucem quæ Toletanos Antistites præcedere solet, se antecedere iubet. ibidē.
Ximenius dat operam ne in Cæsaraugustæ ingressu honorifice (vt moris est) excipiatur. ibidem.
Ximenius de Maurorum seditione, traditis Ęthiopi literis, reges Catholicos admonet. 31 pa.2.
Ximenius Ruizium sodalē suum ad reges mittit, vt ab illo Granatensis tumultus culpam dimoueat. 32.pa.1.
Ximenius Granatensi Archiepiscopi consilium improbabat, qui vulgari Maurorum idiomate multa ex veteri & nouo instrumēto edi permittebat. 32.pa.2.
Ximenij cōsilium, vt à cædibus & rapinis noui orbis habitatores liberaret. 33.pa.2.
Ximenius in grauem morbum Granatæ incidit. 34.pa.2
Ximenius Mauræ cuiusdam mulieris opera in pristinam valetudinem restituitur. 35. pa.1.
Ximenius quibus artibus rātus vir euaserit. 40.pa.1.

Xime

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ximenij in multas ſodalitates & cœnobia liberalitas. 42.pa.2.
Ximenius ſacra funebria, in maiorum ſuorum antiquo domicilio, Ciſneris inſtituit. 48. pa.1.
Ximenius in ſacerdotum eccleſiæ Toletanæ mores per vicarium ſuum generalem inquirere inſtituit. 48.pa.2.
Ximenius honorificentiſsime à Ferdinando rege excipitur poſt Iſabellę mortem. 52. pa.2.
Ximenij precibus aqua pluuialis elicitur in oppido Villumbrali. 58.pa.2.
Ximenius vt Ferdinandum genero reconciliet Compoſtellam proficiſcitur. 59.pa.1.
Ximenius Ferdinādum certiorem facit, de his quæ cū Philippo egiſſet. 60.pa.1.
Ximenij cum Compoſtellano Antiſtite controuerſia. 65. pa.1.
Ximenio, mortuo Philippo regno habenæ traduntur. 69. pa.2.
Ximenius Hiſpaniæ gubernator factus Vianelli opera militum manum conſcribendā curat. 70.pa.2.
Ximenius neceſſariam armorū copiam è cantabris adduci iubet. ibidem.
Ximenius Ciſneros ſe confert. 73.pa.1.
Ximenius Ferdinandi regis opera in ampliſsimum Cardinalium ſenatum cooptatur. 75. pa 2.
Ximenius inquiſitor generalis creatur. 76.pa.2.
Ximenij mores & natura. 95.p.1
Ximenius, regi Ferdinādo, vt Bugiam & Tripolim caperet, & Carolo.V. vt Gulętę pręſidiū occuparet autor fuit. 96.pa.1.
Ximenij ad ſuos milites oratio. 109.pa.1.
Ximenius Orano capta, funebria ſibi iuſta quotannis in tēplo maximo perſoluenda, inſtituit. 115.pa.2.
Ximenius Oranicis rebus ritè compoſitis in Hiſpaniā redit. 118.pa.2.
Ximenij in academiam Cōplutenſem ingreſſus, poſt Orani direptione. 120.pa.1.
Ximenij in Iulium. II. Pōt. max. liberalitas. 135.pa.1.
Ximenius regnorum gubernationi præficitur mortuo Ferdinando. 148. pa.2.
Ximenij in gubernatione ſibi cōmiſſa authoritas. 149.pa.2.
Ximeni' & Adrianus de regnorum gubernatione contendunt 150.pa.1.
Ximenius, tabulas ab Adriano & Laxao ſignatas rumpi iuſſit, quòd nouiſſimum locū ipſi ad ſubſcribendum reliquiſset. 190.pa.2.
Ximenius & ſenatus literas ad Carolū mittunt, Hiſpanorū hominem querelis plenas. 192 pa.2.
Ximenij mors. 215.pa.2.
Ximenij corpus Complutū defertur. 216.pa.1.
Ximenius die Eugenio ſacro humandus Complutum defertur, quam ob cauſam illi quotannis eodem die iuſta funebria perſoluuntur. 216.pa.2
Ximenij ſepulchrum. 217.pa.1
Ximenij mores, facies & totius corporis lineamenta. 218. pa.1.

Z.

ZAmora, Sentica olim dicta. 54.pa.1.
Zegri Maurus Granatenſis, Ximenij conatus, qui Mauros ad fidem Chriſtianam reducere ſtudebat, maximè retardabat. 29.pa.2.

PRæceptores, in ſuis quoſq; ſcientijs & artibus inſignes, Academię admirabiles progreſſus, cum Archiepiſcopis Toletanis contentiones, in octauo libro require.

FINIS INDICIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

FRANCISCI XIMENII

CISNERII, HISPANIAE CARDINALIS, ET ARCHIEPISCOPI TOLETANI, Vita, & res gestæ, libris octo.

LIBER PRIMVS.

CISNERIS, haud ignobili municipio in regno Legionensi, antiqua gens Ximeniorum est: in qua honestissimi, & immunis conditionis homines permulti fuerunt, nonnulli etiam equestri dignitate, de more nostro, aucti. Nam Gonzalus Ximenius Cisnerius cognomento Bonus, ad Villaizar Cisnerorum suburbanum, in æde virginis Mariæ sepultus est. Huius sepulchrum candido è marmore constructum, & clypeus appensus, satis demonstrant hominis nobilitatē. Est enim clypeus quindecim tetragonis (quos nostri jaqueles vocant) depictus, & Bandæ baltheo in transuersum diuisus. Sunt autē tetragoni gentis Ximeniæ insignia: Banda verò, ordinis equestris à rege Alfonso. XI. instituti: ad quem non nisi nobiles admittebantur. Sunt circū illud Sacellum gentilitia quędam prædia ad Ximenios pertinentia: quibus & eius delubri, & sepulchri cura est. Quos autem liberos, quamúe sobolem Gonzalus ille bonus reliquerit, posterorum incuria incertum est. Hoc saltem ex vetustis membranis anno M. CCCXCVI. scriptis constat, Ioannem Ximenium Cisnerium, Ximenij Archiepiscopi proauum, sodalitatis titulo sancti Iacobi, quæ adhuc Cisneris durat, primum abbatem (sic enim præfectos sodalitatum vocant) fuisse: ad quam viri duntaxat nobiles admittuntur. Hi verò socij statis quibusdam diebus Gonzali Boni manibus parentant: vnde eam sodalitatem à Ioanne Ximenio fuisse institutam populariter creditur. Nam à Gonzalo Bono genus Ioannem ducere, cuncti municipes pro certo habent, cui Toribius filius fuit. In æde Diuo Petro sacra Cisneris, est sepulchrum Ioannis

Universidad de Deusto
Biblioteca

familię cõmune, intra ædiculã probè constructã, in qua Franciscus Ximenius Archiepiscopus sacra hebdomadaria cõstituit, reditibus ad eam rem necessarijs sua pecunia cõparatis. Toribius Ioannis Ximenij filius tres liberos procreauit: Garsiam, Aluarũ, & Alphõsum: à quibus duplex Ximeniorũ familia processit. Si quidẽ Garsias, & deinceps eius posteri antiquos adhuc Ximeniorum penates possident: nam cùm maior natu esset & ingenio (vt aiunt) difficili & pręfracto, generoso tamen pręditus, fratribus amandatis, gentilitia prędia sibi asseruit. Is primarium locũ quoad vixit Cisneris obtinuit, summis quibusq; municipij honoribus functus, filias viris nobilibus elocauit: nam Garsias eius filius, quem virilis sobolis vnicum suscepit, Benedictino ordini initiatus, primũ Pinciano cœnobio Prior Monti deinde Serrato Abbas pręfuit: cuius in sancti Laurentij, ad Garsię patris sacellum, monumenta nonnulla cernuntur. Ex Maria quę maior natu fuit, Ioanna procreata est, Garsię Villaroello matrimonio iuncta: qui in Africam cum Ximenio Archiepiscopo traiecit, non ille quidem Castorlanus pręfectus, sed manipulorum quorundam in ea expeditione ductor. Hæc Ioanna vtpote Gonzali Boni hęres, quosdã eius sepulchri violatores, qui aurata calcaria, aliaq; item militaria ornamenta subripuerant, diris de more Christiano, deuouit, & sacris arcuit. Villaroellus ex Ioanna vxore Mariam suscepit, quæ Sanctio Brauo, viro nobili nupta, Brauum peperit, virum sanè præstantem, & manu strenuum, cuius rei signa permulta dedit aduersus Mauros pro Rep. dimicans: qui Garsiæ Ximenij Archiepiscopi Patrui domum in præsentia tenet. Aluarus & Alphonsus, duro Garsiæ fratris ingenio cedentes, Campensi regione relicta, in transmontanam sese contulerunt. Verùm Aluarus post Garsiæ fratris mortem Cisneros repetens, in partem sortis paternæ ablatæ, Garsiæ domum sibi vindicauit, qua tamen postea sponte Ioannæ consobrinæ cessit: nam nullos hic liberos procreasse traditur. Alphonsus verò, à quo Ximenij Archiepiscopi causa, multò illustrior familia deriuatur, Turrilacunæ fortè subsistens, cùm coactiones numarias curaret, quæ ex Romani Põtificis cõdonationibus regis fisco debebãtur, virginẽ honestã, bonis prognatã, cuius forma captus est, vxorem duxit, quæ Maria vocabatur. Ex hac Franciscum Ximenium maiorem natu, Ioannem & Bernardinum sustulit. Franciscus de quo agimus, die lustrico dum sacro fonte tingitur, Gonzalus di-

ctus est, Alfonso (vt opinor) patre, illius Gonzali Boni maioris sui memoriam sic conseruare cupiente: sed hoc nomen postea, religionis Franciscanæ cui se addixit causa, mutauit. His rationibus adducti nonnulli, ex vetusta & illustri Cisneriorum gente, quæ (vt ex nostris monumentis constat) plurimis & splendidissimis familijs, aut principium, aut claritatem dedit, eum originem ducere affirmant. Nam Didacus Fernandus Mendozius, in libello quem de stemmatibus, & nobilium in Hispania familiarũ insignibus edidit, scriptum reliquit, Cardinalem Gonzaluum Mendozium iure quodam propinquitatis incitatum, Ximenium tam studiosè prouehẽdum, & ornandum curasse. Nam vt genealogi nostri testantur, Didacus Furtatus Mendozius, Almirantus, Leonoram Garsię Lassi Iunioris, & Metiæ Cisneriæ filiam, vxorem duxit, ex quibus Inachus Santillanæ Marchio nascitur, Petri Gõzalui Cardinalis Pater. Nos tamen apud grauissimum præsulem Ximenij clarissimam virtutem, plusquam vllum cognationis vinculum valuisse pro certo habemus. Hunc igitur parentes, iam inde ab ipsis incunabulis ecclesiastico ordini dedicatum, honestè, & sanctè educauerũt: puerilibusq; literarum rudimentis domi institutum, ad grammaticæ præceptores Complutũ miserunt, qui ibi etiam id temporis habebantur nõ ignobiles. Quod propter loci vicinitatẽ, mihi verisimilius videtur, quàm quod in Vallegij commentario legimus, Roam scilicet, Siruelani comitis oppidum, ad patruum sacerdotem missum, qui illũ paulò post in Cuellaris oppidi gymnasium, quod in eo tractu multis retro annis percelebre fuit, ire iussit. Aluarum illũ Vallegius fortè innuit, quem nullos liberos habuisse diximus. Sed is sanè (vt existimo) errat: nam nec Aluarum sacerdotem fuisse scimus, & Ximenius puer à parentibus in domum Garsiæ Ximenij missus est, qui Aluari & Alfonsi minorum natu frater fuit. Hinc, vbi satis in eius disciplinæ cognitione promouisset, Salmanticã florentissimam omniũ doctrinarum Academiam veniens, ciuilis, Pontificijq; iuris studijs operam non inutilem, neque infelicẽ dedit. Nam & priuatim haud multo post tempore domi suæ ius docuit, & paternum sumptum collecta ex auditoribus stipe leuasse dicitur, sibiq; laudem, & ingenij & industrię peperisse. Ad optimarum verò artium, ac diuinarũ in primis literarum cognitionem propensissimus, quicquid temporis ex iuris studio subducere poterat, theologiæ impertiebat, non

Universidad de Deusto
Biblioteca

grauatus etiam in publicis philosophię,theologiæq; scholis,operam dare magistro Roensi celeberrimo tunc harum doctrinarum professori. Ergo iuris curriculo peracto, in patriam reuersus,ex parentis Alphonsi authoritate, qui forenses causas procurabat, Romam contendere statuit,peruulgato nimirum omnium mortalium affectu sese à dira egestatis tyrannide vindicandi. In ea peregrinatione, cùm in latrones semel atque iterum incidisset, viatico,veste,ipso etiam quo vehebatur equo despoliatus, apud Aquas sextias iter susceptum sistere coactus est, donec commodùm pręteriens Brunetus quidam, qui eius Salmanticę contubernalis fuerat, pecuniam mutuauit, & in communis itineris societatem(vterque enim Romam contendebat) admisit. Dum Ximenius Romę causis sese actitandis exercet,morte patris nuntiata domum continuò redijt.Certè matris viduitati, &fratrum orbitati commodè se posse subuenire arbitrabatur, si saltem Pontificium diploma impetraret, cuius vi, & potestate sacerdotium aliquod inter suos indipisci posset: literas vulgo expectatiuas vocant. Harum igitur literarum quas obtinuit authoritate,Archipresbyteratum Vzedę oppidi, tunc fortè vacuum factum occupauit ,sacerdotium quidem minimè opimum, sibi tamen cùm natalis soli vicinitate,tum iurisdictionis, quæ ipsos etiam Turrilacunenses amplecteretur, dignitate peropportunum. Is sacerdotia vindicandi modus, apud omnes Episcopos inuidiosus est, quòd iure suo fraudari videantur : vnde quibus ad resistendum minor vis est, vel inuiti cedere coguntur. Cum Alphonso Carrillo Archiepiscopo Toletano homine potentissimo, & cerebroso negotium fuit tractandum, qui domesticum quendam sacerdotio statim pręfecerat. Quare grauissima Antistitis offensione cōtracta,& captus,& custodię traditus,in penitiore Vzedanę arcis turri,quę ipsi deinde Archiepiscopo facto pro gazophylacio fuit,nō sine vinculis tenebatur.Hunc inter cæteras custodias mœstum & cōticentem,non ignobilis conditionis sacerdos,eius oppidi ciuis, qui in vinculis etiam erat,perhumaniter solatus,sic finem dicendi fecisse dicitur.Depone mœrorem,quo angeris,vir optime, nam in hoc ipso quo teneris vinctus cubiculo,Ioannes Zerezuella Aluari illius magni Comestabilis frater,grauioribus vinculis constrictus, acerbiorem custodiam passus est : cui ad Pontificatum Toletanum assumpto rerum pręteritarum, & iniquę sortis memoria iucūda fuit.

Quin

Quin postquā tuę frontis probitatem, totiusq; corporis dignitatem sum contemplatus, talem tibi rerum commutationem futurā animus mihi iam dudum diuinat.Egit illi gratias pro tam blando sermone Ximenius: sed duriora principia esse dixit, quàm vt exitum tam felicem essent habitura. Nō defuerunt aliquot huiusmodi prędictiones,& ostenta, quibus eius futura magnitudo quantum curæ immortalibus esset, prædiuinari,animaduertiq; potuit: quæ profectò non commemorassem,nisi id exemplo summorum historicorum à me fieret: & à viris grauissimis relata mihi essent, qui id non semel à maioribus suis audiuisse affirmauerunt. Quare non verebor suis locis aliqua interserere, quæ illum non humano aliquo fauore,aut cęca fortunæ temeritate,sed potius diuino consilio, & nutu ad tot res amplissimas gerendas destinatum fuisse ostendunt. Ab hac Vzedanæ arcis custodia, haud ita multò post ad arcem oppidi sancti Torquati, publicum sontium sacerdotum carcerem translatus, complures ibi dies detentus, vna sacrarum literarum lectione duram fortunæ, in qua versabatur,conditionem tolerabat : donec Archiepiscopus per Bondiani comitis nepotis sui vxorem tandem exoratus,abiecta cessionis spe,quam de iure sacerdotij extorquere à capto conabatur, liberum hominem abire permisit. Ille cōceptam semel Antistitis indignationem veritus,ne quęsita,vt fit, nō tantum expectata occasione, rursus erumperet, solum vertere statuit, atq; ab vniuersa illius ditione ipse se exilio spōtaneo multauit. Quocirca composita cum capellano maximo ecclesiæ Seguntinæ mutua sacerdotiorum permutatione, Capellaniam quam maximam appellant,ecclesiasticæ dignitatis titulo insignem, adeptus est, sed nonnullo, quòd vberioris prouentus esset quàm Archipresbyteratus,annuę pensionis onere pręgrauatam.Ioannes Vallegius aliter facta hęc fuisse dicit : nam ei statim vt à Salmantica in patriam peruenit,Alphonsum Carrillum,eius virtute cognita,vltro sacram Turrilacunæ, Talamancæ, & Vzedæ præfecturam detulisse: postea tamen Archipresbyteratus Vzedani causa, quem sibi sine Carrilli authoritate ex summi Pontificis diplomate vindicauerat,simultate orta, in vincula (vt supra dictum est) coniectum, clam deinde exolutum, Romam ad ius obtinendum petijsse : indeq; lite composita reuersum, permutationem illam fecisse. Sed quoniam hominem officiosissimum id inconsulto hero facturum fuisse,verisimile

Universidad de Deusto
Biblioteca

non est:& leuioris mométi res illa erat,quàm vt fido ministro Carrillus indignaretur:placuit Florianum Ocampum,& Ioannem Vergaram sequi,qui de eo disidio ita vt diximus prodiderunt.Sed vtcunque ea gesta sint,Seguntiam Ximenium petijsse constat:vbi ita integrè vitam instituit, vt ab omnibus bonis eius amicitia certatim ambiretur: inter quos familiarissimè vsus est Ioanne Lupo Medinensi,Almazani Archidiacono, viro singulari morum probitate,atq; rerũ gerendarũ prudentia prędito,tum etiã opibus,& authoritate pollenti: cui iam tunc author Ximenius fuit eius Collegij literarij condendi,quod in suburbio Seguntino ius Academiæ publicæ tenet.Qua in re,non obscurum sanè documentum dedit, animi ad literas prouehendas propensi,secumq; tale aliquid meditantis, modò fortuna par votis offerretur. Fuit per ea tempora diuinus quidam in multis ad extruẽdas Academias per Hispaniam ardor: nam partim pacis beneficio inuitati,quæ perinde atque vernum tẽpus in arboribus flores,ita hæc omnes bonas artes aura quadam indulgenti euocat:partim Dei Opt.Max.consilio,barbariem & ignorantiam ab Hispania relegare iam parantis,Franciscus Aluarus Toletanam erexit: Magister Rodericus à sancta AElia , qui dictionarium ecclesiasticum composuit, Hispalensem:Fernandus Talabricensis Hieronymianus , primus eius vrbis Antistes , Granatensem: quam Daualus successor & collegio, & reditibus adauxit . Quin & aliquot postea annis , adhuc eodem studio in quorundam animis durante , Mercatus Abulensis Episcopus , in medijs Cantabrorum montibus Onnatinam: in Bætica Gironius Vreniæ regulus Vrsaonensem: Alexander. VI. Pont. Max. Valentinam : sed ferme inter primos Complutensem Ximenius. Ergo cùm is Seguntiæ ageret, iam vitæ,& diuitiarum modo constituto,totum sese ad diuinarum literarum studium conuertit , adhibito etiam Hebræo præceptore perdiscendæ Hebraicæ,Chaldaicęq; linguæ desiderio : nam à ciuilibus,& forensibus studijs adeò natura sua abhorrebat , vt multi seriò affirmantem audiuerint, quicquid illius disciplinę pectore concepisset,se si fieri posset, libenter euomiturum. Interea Petrus Gonzaluus Mendozius Cardinalis , qui & Seguntinus Episcopus erat, magna hominis fama permotus,nihil tale cogitanti, aut ambienti vicariam detulit vniuersæ diœcesis administrationem . Quod ille munus quanta potuit contentione recusauit , & deprecatus est. Sed

cùm Antistes potentissimus acrius instaret & vrgeret, subijt tandẽ onus, ne illius authoritatem cõtemnere videretur. Susceptũ igitur munus tanta animi moderatione prudentiaq; gerebat,vt vniuersi facilè intelligerent,neminem inueniri posse, qui ab omni vel auaritię vel insolentiæ labe magis abhorreret.Quo factum est,vt ab Antistite suo plurimi fieret , & sacerdotijs non contemnendis augeretur:& simul maiorem bonorum omnium beneuolentiam comparauerit.Nam Alphonsus Sylua Cifontanus comes,ad Granatẽsem expeditionem profectus , dum egregiè pugnat à Mauris est captus. Hic ergo Granatę cùm intra custodias haberetur, Ximenium quẽ prestare vitę integritate sciebat,ditioni suę vniuersę prefecit: remq; publicam,& familiarem, eius fidei , & tutelę commendauit. Cùm itaque Seguntię,in litibus ecclesiasticis iudicandis cæteris omnibus abunde satisfaceret,sibi vni tantum displicebat:nimirum mens diuinis assueta rebus , quę ab illo vitę strepitu in tutissimum otium se iam receperat, haud ferre poterat tempus ferè omne rebus sordidis impendi. Quare suas meditationes , & assidua cum Deo colloquia suspirabat: non tamen reperire modum poterat , quo se à suscepto munere extricaret,& in pristinam libertatem assereret. Cœpit ergo monachatum cogitare,nam hęc sola via Ximenio reliqua videbatur,qua & Cardinali Mendozio satisfaceret,& sui voti compos esset.Cùm rem ad amicorum quam plurimos detulisset , illorũ nonnulli haud quaquã pari spiritu afflati , magnopere hominẽ ab eo consilio dehortari,ac deterrere conabantur. At ille cùm obfirmato in ea sententia animo , hanc viam liberatorem nostrum Christum Opt. Max. commonstrasse diceret , qua illum expeditiùs mortales sequerentur:amici diuinitus hanc homini mentem datam intelligentes,minimè quidem repugnandum rati,de sacerdotijs quibus præerat cum eo agere cœperunt , vt ad Bernardinum eius fratrem natu minimum deferri,operam daret. Vagabatur tunc temporis adolescens,nec satis constabat vbi nam locorum ageret. Prouidẽdum ergo dicebãt,quà fieri posset,ne egestate oppressus, vt qui & parentum iampridem auxilio,& nunc fraterna ope destitutus esset,malis artibus victum quæreret.Ille dictis amicorum cedens,successores sacerdotiorum ipsos constituit,fratrem interim illis commendans,modò idoneus esse videretur.Domesticis rebus vtcunque compositis,Diui Francisci instituto,quod ex toto potissimùm mo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nachiſmo delegit, ſeſe mancipauit. Cùm verò eius ordinis monaſte
rium nuper Toleti à catholicis regibus Ferdinando & Iſabella con
ditum, ſynceræ & antiquę religionis cultu florere audiret, illius ſe ſo
dalibus adiunxit. Elapſo verò tyrocinio, quod probationis annum
vocant, huic ſe vitæ inſtituto profeſsione ſolenni addixit, aſſumpta
(vt diximus) Franciſci appellatione, quò in nomen quoque ipſum,
haud minus quàm in familiam adoptatus videretur. In Vallegij cō-
mentario legi, Mendozium Cardinalem ęgrè quidem tuliſſe priua-
ri ſe, ſuamq; Epiſcopen integerrimo vicario: & nonnullis quibus cū
familiariter agere erat ſolitus dixiſſe, magnum virum Ximenium
eſſe: & augurari ſe, ab illo cœnobio ad præclariſsimam aliquam di
gnitatem abducendum: quod ſi eueniret, in magnum ceſſurum to
tius Reipub. Chriſtianæ emolumentum. Hoc prudentiſsimi viri di
ctum in hominum memorijs hæſit, & rei euentus veram eſſe vul-
garis Gręci verſus ſententiam docuit: benè qui conijciet, vatem
hunc perhibeto optimum. Toleti igitur monachus factus, tanta cō
tinuò, tamque pręclara veræ pietatis documenta dare cœpit, vt
breui maximam de ſe ſanctiſsimi viri opinionem excitarit. Sed
offendebat hominem quietis & tranquillitatis percupidum, ce-
lebritas loci: quò frequens & virorum & fœminarum turba va-
rijs de rebus interpellantium quotidie confluebat. Ergo vt ad ſo-
litudinem quandam mitteretur magnis precibus obtinuit. Qua-
re in anguſtam quandam perpaucorum ſodalium domunculam,
non longè à Toleto quam à circunfuſa frequentium caſtaneorum
Sylua Caſtanetum vocant, amādatus eſt. Hic ille iam voti compos
factus cæleſtem quandam vitam cœpit meditari: ſatagebat cor-
pus inedia, & labore, & vigilia attenuatum, animi imperio ſubige
re: mentem precatione, lectione, & contemplatione exercitam in
ſublime tollere. Inuitabat ad hoc, præter loci ſilentium, ac ſoliti-
dinem, lucus quidam vicinus tam proceris, & denſis arboribus, vt
vix internitentis ſolis dubium lumen per meridiem admitteret.
Hic ſeſe ille penitiſsimè recondebat, vno duntaxat diuinarum ſcri
pturarum codice comitatus: vbi poſt mentem ſacra lectione re-
fectam, precationibus intentus, nunc poſitis genibus, nunc herbi-
do ſolo recumbens, totus à ſenſibus propemodum abſtractus, in ſu
pernam regionem ferebatur. Multo poſt tempore humanis nego-
tijs redditus, hanc ſolitudinem ſolebat requirere: & ſub aureis la-
quearibus

quearibus poſitus, tuguriolum quod ad vitandas cæli iniurias hoc
loco conſtruxerat, ſæpe numero ſuſpirabat. Illinc nonnunquam à
ſui ordinis magiſtris Toletum euocabatur, quò ille inuitus, ſed ta-
men veniebat. Mirum quiddam accidiſſe fertur dum aliquādo hoc
iter faceret. Erat illi vir comes Sanctiacus, ſui ordinis monachus, vir
integritate vitę, ac ſimplicitate Chriſtiana inſignis: cùm multa no-
cte Aiofrinum, non longè à Toleto oppidum perueniſſent, in fru-
gibus ad triturationem paratis recumbentes indormierunt. Euigi-
lauit Petrus, & Ximenium inclamans, Te nunc (inquit) ô pater Ar
chiepiſcopum Toletanum venerabar, galero etiam rubro inſi-
gnitum: Deum optimum Max. precor, vt inſomnium à ſe, vt cre-
do, miſſum, verum efficiat. Ximenius autem nihilo ob id commo-
tior, dormi (ait) obſecro: nam hæc ſunt mera ſomni ludibria. Hoc
memoriæ mandare libuit, tum propter Sanctiaci ſanctimoniam:
tum propter oſtenta, quæ Ximenij potentiā pręceſſerūt. Sed ille nul
lis diuitijs Caſtaneti ſeceſſum cōmutaſſet, quo tamen haud ita diu
frui potuit: nā Franciſcani ordinis mos eſt, vt ſubinde monachi ſedes
mutēt. Verùm eius votis Deo fauēte, æqualis facta eſt permutatio: cō
migrare enim iuſſus eſt in perpuſillum aliud monaſterium, quod à
proximo ſalicto Salzedā noſtri vocant, nec amœnitate, nec ſolitudi
ne Caſtaneto inferius. Ibi multò incultiorē, & horridiorem vitā age
bat: nā & vino abſtinuit, & herbis aqua elixis, vt mitiores eſſent, ad
cibū vtebatur. Sed neq; hoc quidē viuēdi genus diutius ſequi, vt pro-
poſuerat, permiſſum fuit: breui ſi quidem illius monaſterioli Guar-
dianus (vt vocant) factus, minus illi licuit vt inſtituerat viuere. Hoc
munus inuito & recuſanti datum, ſumma cū laude, in primis verò
tam nullo ſupercilio gerebat, vt monachos exēplo potius quā impe
rio in officio cōtineret. Nā & infima quæq; miniſteria ſibi vltro aſ-
ſumebat, & nōnunquam aliorū operam pręſtabat tā lubēti animo,
vt omnes pro virili anniterentur, ſeſe ita gerere in munijs demādā-
tis, vt Ximenius neceſſe non haberet ipſorū etiā res agere: vſq; adeò
verum eſt vim acrem imperandi eſſe, ſi ductor ipſe pręcedat. Quo
circa cōtra prioris inſtituti ſententiā, rebus iam geredis intendere,
actionis induſtriā animi contēplationi cōiungere, operam omnem
ſuā foras quoq; ad res externas curādas perducere coactus fuit. Enim
verò pugilem Deus hactenus in vmbra exercitū, in mediam eccle-
ſiæ arenam parabat immittere: quē è latebris illis ſylueſtribus hac

 potiſsi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

potiſsimũ ratione produxit in lucẽ. Erat hoc tempore Petrus Gõza lus Mẽdozius Cardinalis, qui ex Segũtino Epiſcopo Hiſpalenſis Ar chiepiſcopus, ac deinde Toletanus factus fuerat, in ſumma apud reges catholicos authoritate, & gratia: Iſabellæ verò reginę ſupra fœmineum captum prudentiſsimę in primis carus. Erant autem prio res reginę partes in adminiſtratione regnorum, quę iure hęreditario ad illam peruenerant, quàm mariti: quanuis vtriuſq; primę eſſe viderentur. Igitur cùm regina Granata vrbe non ita pridẽ è Maurorum poteſtate recepta, in Caſtellæ regnũ diſcedere pararet: huius Mendozij Cardinalis fidei, ac diligentię commiſit, & ſummopere cõmendauit, vt quempiã ſpectatę religionis & probitatis quęreret, qui ipſi ab arcanis confeſsionibus eſſet: nã qui eam operã hactenus reginę pręſtiterat Fernãdus Talabricenſis Hieronymianus eximia ſanctitate vir, ex Abulẽſi Epiſcopo, nuper Granatẽſis Archiepiſcopus factus, aula relicta in vrbe ſua remãſerat, anno M.CCCCXCII quo hęc ſunt geſta. Cardinalis qui nimis ſolicitã hac de reſentiebat eſſe reginam, nõ eſſe dixit opus longa indagine: habere enim ſe hominẽ illi miniſterio ad vnguẽ factum, atq; formatũ. Ergo illi Franciſcum Ximeniũ, ſuum olim Seguntinum vicarium, tunc verò Salzedæ Guardianum, ſuis coloribus accuratiſsimè depingit: ſe tamen vereri affirmat, ne homo priſcæ ſeueritatis, & ſanctimoniæ, ſuam illam contemplationem quietã, & vitę modum quantũuis incultum, velit conditione alia mutare. Regina Cardinalis ſermone permota, quem ſciebat nõ temerè, qua erat prudentia, quenquã laudare ſolitũ, flagrare cœpit ſtudio hominẽ videndi, atq; alloquendi familiariter: quare Cardinali mãdat, vti illum aliquã ob cauſam accerſat. Ximenius per literas Cardinalis accitus, quãquam ęgerrimè à ſeceſſu illo Salzedano diuellebatur, tamen ne optimo patrono deeſſe videretur, ad illũ in regium comitatũ venit. Vbi cõmunicatis quę Cardinalis voluit negotijs, à regina deinde, tanq̃; per occaſionẽ vocatus, iniectis varijs ſermonibus prudẽtiſsima fœmina Ximenij animum interrogãdo, & percontando elicere ſatagebat. Ille regio conſpectu, alloquióue nihilo cõmotior factus, vultú atq; habitu corporis ſedatę mentis cõpoſitionẽ prę ſe ferente, tum oratione ipſa ſapiẽtiſsimis ſententijs plena, quę vera eſt latentis animi imago, facilè reginam in ſui admirationem adduxit, & cõceptam de ſe opinionẽ impleuit. Poſt aliquot dies rogatus eſt, vt reginę eſſet à cõfeſsionib⁹: quod onus

ea ſe reſpondit conditione ſubiturum, ſi regium comitatum ſectari non cogeretur: ſe quoties ſua opera regina indigeret venturum eius iuſſu, mox tamen rediturum in ſuum cœnobium: nec aliud multis precibus à Ximenio impetrari potuit. Magna tunc erat Ximenij fama apud omnes Hiſpanos, ob eius integritatem, & ſanctimoniam. Nam regina apud maritum, cęteroſque viros prudentes, non ceſſabat Ximenij dotes laudare: reperiſſe ſe hominem dicens omnibus pietatis, religionis, & ſapientiæ numeris abſolutum. Certè Petrus martyr regum catholicorum hiſtoricus, qui ſtyli ruditatẽ rerũ à ſe traditarum fide egregiè compenſat, in epiſtolis ſcribit, eum ex abditis ſyluis extractũ, vultus pallore, & ob vitæ aſperitatẽ totius corporis obducta macie, Paulum, aut Hilarionẽ eremi incolas poſt tot ſecula in lucẽ retuliſſe: magnamq; ſui apud regios comites admirationẽ cõcitaſſe. Relictis enim Segũtinis ſacerdotijs, fortunaq; nequaquã aſpernãda, in ſemotã ſolitudinẽ ſeceſsiſſe, & eum viuẽdi rigorẽ delicijs, quas aulici tãtopere cõſectantur prætuliſſe, haud vulgariter mẽtes hominũ cõmouit. Nec dubitat Petrus martyr ipſum Auguſtini acumine, Hieronymi abſtinẽtia, Ambroſij ſeueritate exornare. Addit pręterea ab eius ſodalibus iactatũ fuiſſe, mentis plerũque veluti exceſſu, aut cum cælitibus ipſis collocutum, aut certè rebus ipſorum cõtemplandis occupatum, ſenſuum quendã ſtuporẽ, & alienationem ſubire ſolitũ. Illud etiã à viris doctis memoratur: cùm dei tinere laſſus eſſet, conſediſſe propter aquę riuulum: cuius comes inediam minus ferens (nam vterq; erat impranſus) modò nõ animam videbatur agere. Qui dũ Ximenius vt vires colligat hortatur, & vt in memoriã Dei prouidentiã, & curam quã habet de vilibus etiam paſſeribus reuocet, vidiſſe fertur puriſsimũ panem petræ quæ riuulo imminebat, impoſitũ: quẽ inter ſe partiti, & aqua ſumpta, quod itineris ſuperabat cõficere potuerunt. Cùm ergo Ximenius in magna eſſet apud reginã authoritate, atq; omnia ferè Reipublicę negotia de eius cõſilio & ſentẽtia gererẽtur: accidit vt Ioãnes Toloſas magiſtratu Prouinciali, qui & peramplа dignitas eſt, & per triennũ durat, ſe abdicaret: erat enim vir à negotijs alienus, et cõtẽplationi ſupra quã credi poteſt deditus. Vnde Ximenius à cõcilio ſui ordinis in cœnobio Frãciſcanorũ quarto à Burgis lapide, in Toloſatis locũ abſens ſuffectus eſt: quanq̃; monachiveriti fuiſſe perhibẽtur, ne homo rerũ iſtarũ nequaq̃; appetẽs, magiſtratũ qui illi mãdabatur, recuſaret. At ille

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod paulò ante cũ reginę nullas operas debebat, omni ratione depulisset,perlibenter accepit : vt occasione huius muneris,quod assiduas habet occupationes,haud ita frequẽter ad reginã,& aulã venire cogi posset.Sed nihilo rariùs ob hoc ab illa accersebatur:in cuius sinũ non solùm occultas animi noxas quas in Deum cõmiserat,sed quicquid publica aut priuata negotia molestię aut solicitudinis incusserãt,familiariter & amicè effundebat: quæ cũ semper maximis de causis in illa fortuna oriãtur:necesse est, vt mole sua eos etiã quibus cum cõmunicantur,obruant:aut saltẽ ingẽti solicitudine & tumultu corũ animos impleãt.Quocirca quantũ fieri poterat ad regiã itiones vitabat. Cùm itaq; vtriusq; Castellæ prouincia,tã quę cismõtes,quàm quę vltra est,Ximenio visenda,&peragrãda esset(erat enim amplior quã nũc est ministri Prouincialis administratio)multęq; res examinãdæ & describendę essent: monachum aliquẽ quęrere cœpit,& ętatis vigore,& ingenij dexteritate præditũ,quẽ in laborum partẽ assumeret.Qua de re dum Cõpluti fortè moraretur,&cũ Ioãne Marquina Cõplutensis monasterij Guardiano sedulò ageret: peropportunè (inquit)hoc mihi vt curẽ mandas: nã nõ ita pridem adolescẽs quidã huc à Toleto aduenit,qui in nostrũ sodalitiũ per me cooptatus pręclarã indolem prę se ferre videtur:nam & viuido ingenio,totiusq; corporis vegeta natura,omnia industrię & virtutis munera,ni malè cõiecto,mihi pollicetur:prorsusq; ijs rebus quibus ipse in pręsentia tractãdis indiges,apparet aptus:pulchris enim literis,celeriq; tractu manu minimè torpẽti scribit:vnũ est tamẽ cur à nobis diuelli doleamus,quòd cùm voce,&artis musicę peritia excellat,magnã noster chorus iacturã est facturus.Nã totã pueritiam inter pueros tẽpli Toletani ministerio dicatos egit:post verò in quoddã Collegiũ migrauit, quod Franciscus Aluarus Toletanus scholasticus in horũ puerorum gratiã domi suę instituit,antequã Academiam Toletanã cõderet,vbi latinas literas discerent.Permotus Marquinæ sermonibus Ximenius,ad se Franciscũ Ruizium (hoc enim erat adolescẽti nomen)quã primũ duci iubet: cuius liberali aspectu delectatus sibi sodalem delegit, & ad vitæ finem retinuit:eiusque fidem & vtilem operam in rebus maximis, & grauissimis expertus,primùm quidem Mirobrigæ Episcopum,Ciuitatensem nostri dicunt,postremò Abulẽsem faciendũ curauit.Igitur Ximenius in suscepto munere strenuè gerẽdo totus occupatus,eo quo priuatus solebat apparatu

Mirobriga.

singula

singula prouincię cõtubernia lustrabat:hoc est,vnico dũtaxat sodale vię comite,& asello quo & sarcinæ nõnullę portarẽtur,& defessus nonnũquã sodalis veheretur:ipse enim religionis suę tenax,nisi ęgritudo aliqua cogeret,semper iter pedibus cõficiebat. Ostiatim ab vtroq; petebatur cibus,nisi illũ nonnũquam ex itinere malè habentẽ Frãciscus Ruizius vt quiesceret moneret,sibiq; eas partes cõcederet, orabat.Nã Ximenius ad hãc rẽ planè ineptus,plerũq; domũ vacuus redibat,& oleribus tantum vescebatur. Quocirca Ruizius si quãdo acrius de mendicatione facienda contenderet, hisce verbis obiurgare solebat. Quin tãdem nõ sentis ô pater, minimè te ad has operas esse aptũ,aut genitũ?non omnibus omnia diui cõcesserunt.Tu precibus & meditationi vacato:& mihi hanc mendicandi prouinciam relinque. Aliquando dum Bętica ex officij ratione perlustraret ad fretum Herculeum, vbi Calpe mons est, quem nunc Gibraltarũ ex corrupta Arabica nomenclatione appellant,appulit.Hîc & Africę terrę conspectu inuitatus,& quòd iam diu desiderio teneretur eò trajiciendi, quod & diuum Frãciscum fecisse didicerat,cœpit de nauigatione cogitare. Ardebat Ximenius miro quodã desiderio transmarinis hominibus Christũ annunciandi, paratus supplicia & mortẽ subire. At quoniã per viros religiosos certior factus fuerat, fœminã ordinis sui cultricẽ(ex his quas vulgo Beatas vocant)ibidẽ esse, vitæ & morũ sanctitate clarã, & quæ diuorũ pręsentia sępe numero frui crederetur: captato extẽplo fœminę colloquio,ad ẽam rem quã animo cõceperat eius sententiã prius requisiuit. Deterruit hominẽ vates mulier,& vt à proposito desisteret effecit: seruari enim eũ ad res maximas perficiendas dicebat,in quibus grauiora certamina sustinẽda forent,quàm si inter barbaras & punicas nationes versaretur. Retardatus Beatę dictis sententiã mutauit:& è Bętica rursus ad Reginã quę illũ per literas vt maturè ad se veniret rogabat, in Castellã redijt. Accidit per id tempus ad reginæ votum de Ximenio apud se diutius retinendo, peropportuna occasio:cœperat enim ille summo studio cũ Regina agere,vt quod iam olim à Regibus nostris tẽtatum erat,atq; minima ex parte confectũ,per delectos quosdã censores perficiendũ curaret, qui corrigẽdis atq; in veterẽ disciplinam reuocandis omnibus omnium ordinum per totam regiam ditionẽ, tum virorum,tum fœminarũ monasterijs,animũ intẽderent. Obsoleuisse omnem vbiq; prisci monachismi synceritatẽ ingemiscebat:

maximè

Universidad de Deusto
Biblioteca

maximè verò apud ſuos minoritanos,quibus vt naſcẽtibus arctior quondam,& ſanctior diſciplina fuerat,ita collapſis,& degenerantibus altior caſus,atque turpior contigerat.Nam præter vitæ licentiã quæ ſanè labes communis per id tempus religioſis collegijs propemodum eſſe videbatur,pleraque illorum ſodalitia aduerſus tam cõmendatam illam à diuo Franciſco paupertatem, prędia vbiq; cùm ruſtica,tum vrbana,vectigaliaq;,& cenſus obtinebant.Huius inſtituti qui erant,conuentuales fratres,& clauſtrales paſsim dicebãtur. Hi pleraque omnia magnifica,frequentiſsimaq; incolebant Hiſpaniæ monaſteria:illi verò,quos propter accuratiorem ordinis ſui obſeruationem fratres obſeruantes appellabant, pauca quędam ; eaq; exigua cœnobia obtinebant.Per ſpeciem autem huius cenſurę, quã illi viſitationem vocabant,hoc Prouincialis Ximenius agebat,vt cõuentualium fratrum domus vel prece,vel pretio, quacunque demũ arte atque aſtutia in obſeruantium poteſtatem traduceretur.Et negotio,quoniam cum opulentis,& potentibus aduerſarijs contendendum erat,cùm ſe imparem eſſe videret, reginę fauore decreuit vti, atque longius ſolito apud illam morari: quę ea de cauſa Ximenio longè beneuolentior & ęquior erat,& ipſe competitoribus terribilior,& formidoloſior. Quod ſanè conſilium pietatis quidem plenũ grauiſsimarũ tamen diſſenſionum atque turbarum fuiſſe cauſam cõſtat.Nam & ſtatim in Archiepiſcopum Toletanum aſſumptus,nõdum ea de cauſa Prouinciali præfectura abdicata,cùm adhuc acriùs poteſtate auctus inſtaret de clauſtralibus illis reformandis, exortus eſt quidam Laurentius Vacca,Sancti ſpiritus monaſterij Segobienſis commendatarius,qui prætextu Pontificię conceſsionis,ſibi facultatem eſſe aſſeuerabat,quoſcunq; vellet conuentuales in Sancti ſpiritus libertatem aſſerendi:hoc eſt arctam Minoritanorum diſciplinam in ſuam quandam laxiorem commutandi.Is ſanctiſsimos Ximenij conatus diplomatibus Pontificijs eludebat.Nemo erat licentię paulò amantior,qui non apud illum rationem mueniret,qua ſemel ſuſceptam religionem abijceret ; ſeq; ab excõmunicationis vinculo exolueret.Itaq; fiebat, vt quantũ vigilantiſsimus cenſor ad priſcam ſanctimoniam ſodales ſuos diligẽti ſtudio reuocare niteretur, tantum ille commentitijs priuilegijs ad petulantiam & immodeſtiã deflecteret. Qua de cauſa ab optimis & religioſiſsimis principibus Ximenius impetrauit, vt is ſalua ſummi Pontificis authoritate, qua

præter fas & ius abutebatur, per regios lictores in vincula conijcere tur:ibiq; tantiſper pœnas læſæ religionis daret, donec ſuſceptum negotium Ximenius conficeret:remq; omnem è Reip. Chriſtianæ vtilitate,ſuiq; ordinis integritate componeret. Laurentius tamen è vinculis aufugiens Romam ad Aſcanium Sfortiam Cardinalem contendit,quem patronum quõdam habuerat:vt eius pręſidio cùm ſeueriſsimi hominis indignationẽ vitaret,tum in regũ noſtrorũ gratiam rediret:qui Ximenij ſtudia tantopere iuuantes,nõ niſi per magnos interceſſores placari poſſe exiſtimabat.Suſcepit illum benignè Aſcanius:deq; eius innocentia facilè ſine aduerſario perſuaſus , literas fauoris plenas ad reges dat: & Petrum martyrem Mediolanenſem virũ doctum,& in rebus gerendis ſtrenuum,per epiſtolam rogat,vt ſuo nomine Ximeniũ adeat:detq; operam, vt ſi patria tandẽ Laurentius propter ſummi Põtificis rectè adminiſtratã cõceſsionẽ carere debeat,ſaltem ablata per ſummam iniuriam ſupellex, & intercepti ex facultatibus ſuis fructus illi reſtituantur. Inuitus id Petrus martyr fecit,qui probè rem omnẽ,vt erat,cognouerat: ne quid tamẽ in officio ceſſaret,Ximeniũ adiuit,eiq; Aſcanij mandata expoſuit. Ad quẽ Ximenius (vt idẽ martyr in epiſtolis ſcribit) contracta & obducta fronte cõuerſus,hominẽ (inquit) Petre martyr, qui tam ſancta regũ decreta auſus fuerit reſcindere tueris? minatuſq; in regię odium venturum ſi verbum amplius pro eo faceret, abire iuſsit. Hoc idẽ vt actũ fuit,ad Aſcanium martyr reſcripſit: ſimulq; ipſum à patrocinio Laurentij Vaccę,qui tanta inuidia apud noſtros laboraret,dehortatus eſt,multa obiter de Ximenij ſanctimonia,grauitate,& prudẽtia cõmemorãs.Proceſſerat iam bienniũ, & eo amplius, ex quo Ximenius à Cardinali Mẽdozio Toletano pręſule accitus ad reginam venerat:qui difficili correptus morbo, relicta aula in vrbẽ Guadalfajaram, natale ſolum,coactus eſt ſecedere.Poſt dies aliquot morbo ingraueſcẽte, Reges qui in Ciſmõtanis ęſtatem cõſumpſerant,cùm ſalutẽ hominis pręſtãtiſsimi,ſibiq; multis maximiſq; de cauſis cariſsimi,propemodum deploratã cõperiſſent, ad Tranſmõtanos viſendi illius cauſa venire cõſtituũt. Annus M.CCCCXCIIII ad finẽ vergebat,quãdo illi rectà Guadalfajarã veniunt,vbi decũbentem familiariſsimè ſalutarũt, beneq; ſperare iuſserũt. Quòd ſi quid humanitus accideret,ſuã operã &authoritatẽ ſunt polliciti ad res omnes, quęcũq; illi curę cordiq; eſſent,cõficiẽdas.Cardinalis augusto

Universidad de Deusto
Biblioteca

illo tantorum Principum conspectu exhilaratus, post actas offi-
ciosissimè regibus gratias, submotis arbitris multa cum ipsis de re-
bus ad rem publicam pertinentibus egisse, multa item quę sibi vide
bantur vtilia, pro sua erga illos pietate, atque fide, moribundus con-
suluisse dicebatur. Ex quibus tria potissimum fama vulgauit. Pri-
mum, vt pacem cum Francorum rege omni ratione perpetuò con-
seruandam curarent: deinde vt serenissimum iuuentutis principem
Ioannem filium, quem imperij sui successorem fore sperabant, Ioā-
nę illi quam excellentem vocabant, quę Alphonso Portugallēsium
regi pacta de Castellę imperio certauit, matrimonio iungerent: po-
stremò, quod magni referre putaret, vti mediocris cōditionis homi
nem, modò alijs integritatis, prudentię, grauitatis, & doctrinę doti-
bus pręditus esset, in Pontificatum Toletanum sufficerent: quod itē
posteris vt idem facerent, inuiolabili exemplo demandarent: eam
esse, inquiens, eius sedis amplitudinem, & potentiam, vt haud tutò
committeretur cui & natalium splendor, & numerosę familię patro
cinium esset. Afferebat autem in exemplum, quantum molestiarū
Alphōsus Carrillus eis exhibuisset, regi Portugallię adhęrens. Habe
re eos virum omnibus numeris ad eam dignitatem obtinendā ab-
solutum, Franciscum Ximenium Franciscanorum sodalium Pro-
uincialem, quem sibi de mortuo successorem darent. Verùm è duo
bus primis alterum Ferdinandus, vt docuit euentus, aspernatus est:
nam dum Gallicam potentiam suę dignitatis ęmulam vidit, nihil
minus in animo habuit, quàm pacem cum Gallo firmare: quod nō
sine graui reipublicę incommodo ad hæc vsque tempora accidisse
vidimus: donec per Philippum pronepotem huius nominis. II. Hi-
spanię regem potentissimum, non solū fœderibus, sed Isabellæ Val-
lesię Henrici. II. Gallorum regis filię felicissimo coniugio, pax in-
genti vtriusq; regni lętitia diutissimè duratura inita fuit. Alterum
verò ita reginam malè habuit, quam in sceptra Hispanica, ex Ioan-
nę illius excellentis repulsa, ius habere certum erat, vt hominē aliō-
qui prudentem, sibiq; non vulgariter carū, palàm desipere ex mor-
bo iactauerit. Tertium tamen, quod ad imperij conseruationē perti
nere videretur, auidis auribus suscepisse dicuntur. Quanquam roga
tus postea à regibus Ximenius quid de ea re sentiret, lōgè aliam sen
tentiam sibi esse dixit: neque enim alium decere magis ad amplissi-
mum Pontificatum vocari, quā hominem tam stemmatibus, quàm
propin-

propinquorum, & clientum familia clarissimum. Nam prętęr His-
panorum erga reges suos obseruantiam, qua semper illos colunt,
postq̄ regia potentia tot amplissimorum regnorū incrementis ad-
aucta est, minimè verendū esse, vt vllos vnquā motus Archiepisco-
pi Toletani sint concitaturi. Ex altera autem parte perdifficile sibi
videri, hominem humili fortunę assuetum, & innutritum, repentè
eum animum posse suscipere, qui ad tantam rem pro dignitate ge-
rendam aptus esset. Quare reginæ suadebat, vt Didacum Furtadū
Tendillani comitis filium, ex eadem etiam Mendoziorum familia,
Petri Gonsalui Cardinalis ex fratre nepotem, qui Alexandrini Pa-
triarchæ titulo condecoratus, pontificatum Hispalensem obtine-
bat, alijs qui eum ambiebāt reiectis, Toletano præficeret: id enim
è reipublicæ vtilitate multis de causis esse videbatur. At Cardinalis
digressis regibus, anno insequenti paucos post dies naturæ conces-
sit, vir sanè omnibus modis magnus. Nam prętęr clarissimum tum
natalium, tum fortunæ, tum dignitatis splendorem, quę in illo or-
namenta summa erant, incredibilem animi sublimitatem cum pa
ri morum facilitate, elegantiaq; coniunxerat: vt merito locum in
Rep. summo proximum ad supremum vsq; diē tenuerit. Post eius
ergo mortem, cura continuò reges incessit Archiepiscopum Tole-
tanum sufficiendi: nam Petri Gonzalui Cardinalis hominis prudē-
tissimi de ea re sub mortem sentētia eorū animis infixa remaserat.
Rursus Archiepiscopi Toletani authoritas tanta semper apud His-
panos fuit, vt si quando de rebus ad Remp. pertinentibus agere-
tur, is statim post regem sententiam diceret: nihilq; vnq̄ illo incon
sulto, aut rogatum aut decretum sit: Vnde & maximus regni Cācel-
larius, & Pontificum Hispanorum primas ingenti potentia & di-
gnitate iā olim creatus, adhuc his titulis suo iure nominatur. Nam
quanuis antiquus ille splendor, quem quondam tenuit, non omnino
perierit, tamen multū ex prima quam obtinebat potestate amisit:
& longè infra illam maiestatem est, qua nostri illum maiores exor-
narunt. Iccirco Toletanæ Ecclesiæ sacerdotes, quandiu ius designan
di apud eos fuit, anxiè & solicitè dispiciebant, qualem virum ad eā
rem deligerent. Itaq; aut homines virtute præstantissimi, aut maio
rum natalibus clari, ad amplissimam dignitatē assumebantur. De
Gotthorum temporibus, post cladem illam quam ab Arabibus His
pania sustinuit, & qua omnia ferme rerum antiquarum monumē
ta

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta perierunt,nihil est quod certũ tradi possit:quãquã ex concilijs Toletanis cõstat,sæpenumero viros ex Gotthico sanguine illustres Toletanæ sedi præfuisse:quibus & concilia cogẽdi,deq; rebus sacris tractandi frequẽtem vsum fuisse,accepimus.Postea tamen Gotthico nomine & Christiana gente per africanos Arabes ex Hispania ablata,præter paucos qui in montibus Asturum & Cantabrorũ diuino beneficio ad patriam recuperandam,religionemq; reducendã sunt seruati: Alfonsus.VI.Hispaniæ rex Anno.M.C.LXXVII.XV calendas Ianuarij,sexto post mense ab expugnata Toleto, conuocatis regni principibus,Archiepiscopis,& Abbatibus, permultisque alijs pijs,& religiosis viris,Bernardum hominem Gallum, pietate, morum innocentia,animi magnitudine,& prudentia commendatum,quem non ita pridem Alfonsus ex Gallia,vt sanctorum Facundi,& Primitiui monasterio præesset,accersiuerat,Toletanum Antistitem creauit: & vrbi clarissimæ ac totius Hispaniæ principi Pontificatus in Hispania primatum restituit: Vrbano secundo Pontifice maximo ad regis efflagitationem libenter concedente. Postea verò rex idem oppidis multis,arcibus,villis, opulentisq; prædijs Pontificiam dignitatem locupletauit.Igitur tanta illico Antistitis Toletani authoritas fuit,vt Bernardus ex Hierosolymitana quam instituerat expeditione Toletum Roma rediens,viros quos ex diuersis Galliarum partibus literis & moribus exornatos secum adduxerat,ferme vniuersis Hispaniæ ecclesijs præficiendos episcopos curauerit. Ex his Raimundum quem Vranensi ecclesię præposuerat,successorem in Toletana habuit:cui Alfonsus Rex Oretano tractu expugnato,eorum locorum ecclesias Toletano Pontificatui adiecit, parte quoq; vectigalium quæ ad regem pertinebant,religiosè & liberaliter concessa. Tres aut quatuor huic successerunt, quorum plerique Bernardi comites fuerunt,vt ex cognominibus colligere licet, neq; enim alia monumenta supersunt,quos sola morum probitate & doctrinæ opinione ad eam dignitatẽ euectos fuisse,credibile est. Nam paulò post viris ex primaria Hispanorum nobilitate Pontificatum amplissimum ambientibus,non nisi regum filijs, aut cognatis cedebat. Siquidẽ duos Sanctios, alterum Castellę,alterum Aragoniæ regum filios,non longè ab ipsis principijs ad id sacerdotium electos esse legimus. Quod cùm serie perpetua,pręterquã in paucis quibusdam vsque ad Franciscum Ximenium,de quo agimus,obser

ua

uatum sit: in eam amplitudinem Pontificatus Toletanus creuit, vt regibus non ita grata iam esset tanta Archiepiscoporum potentia. Quas ob res Ferdinandus,& Isabella reges catholici,huic dignitati virum qui nobilitate,& clientela valeret, noluerunt præficere. Sic ergo Archiepiscopus Toletanus ad homines mediocris quidem fortunę, sed virtutis & probitatis spectatæ quasi post liminio deuenit. Atque ita Petro Golsaluo Mendozio vita functo,cùm diu reges secum deliberarent, quem in demortui locum sufficerẽt,nam & Didacus Mendozius Archiepiscopus Hispalensis totius nobilitatis studijs ei succedere ante alios contendebat:Regina(vt Ximenius postea referebat) Ioannem Belalcazarem ex Astuniga familia,qui non ita pridem Belalcazario principatu relicto, Franciscano ordini se addixerat,designare voluit: Rex certè pro filio Alfonso Aragonio Cæsaraugustano Antistite vehementer laborabat. Sed posteaquam vxorem virilis animi fœminam,neq; precibus, neque blanditijs,neque odio denique in suam sententiam pertrahere potuit,facilè totam eam curam ex animo reiecit. Regina verò cuius arbitrio res conficienda erat,quanuis Ioannis Belalcazaris, de quo diximus,sanctimoniam ante oculos haberet:cum nullius ex optimatibus familiam tanta potentiæ accessione augere uellet,varijs cõsilijs fluctuabat. Sed tandem in iurisconsultum quendam Oropesam nomine,regium senatorem,animus inclinauit,virum sanè præstanti morum integritate atq; grauitate præditum, qui ętate iã fessa domesticæ quieti veniam à regibus impetrarat. Hunc ergo regina communicato cum Ximenio prouinciali consilio Archiepiscopum Toletanum designare statuit. Quare suo apud Pont.max.legato per literas mandat, vt suæ nominationi apostolicam authoritatem more maiorum interponendam curaret. Verùm haud ita multò post religiosæ mulieris animo est obortus scrupulus, quòd Prouincialis viri optimi rationem nullam habuisset,quamlibet ab eiusmodi honoribus abhorrentis. Nam qui procul ab omni ambitione sunt,& nulla imperandi alijs cupidine ducuntur,ad magistratus,prę fecturas,munera deniq; omnia obeunda,vel inuitos esse pertrahendos optimè nouerat. Huic errori opportunè succurri posse videbatur:nam Romæ habendus erat ea de re non semel legitimus Patrũ senatus,& ob frequentiam negotiorum credibile erat non defutura impedimenta,quæ priorem designationem morarẽtur. Igitur mis-

Didacus frat Fadus Mendoccius Archiep. Hispalen.

Universidad de Deusto
Biblioteca

so magnis itineribus veredario, legatum suum regina mutatę sententiæ admonens, Franciscum Ximenium prouincialem designari iubet Antistitem Toletanum: eiusque designationis sancitam authoritatem & literis Apostolicis (quas breues vocant) præscriptam, magna ad se celeritate perferri, iusto diplomati expediẽdo dilatione, vt fieri solet, impetrata. Romæ igitur negotia ex sentẽtia reginæ processerunt: cùm interim omnia inscio Ximenio, secretò gererentur. Sunt qui Oropesam oblatam dignitatem, quod ei gerendæ imparem sese arbitraretur, constanti animo renuisse dicant. Erat iam dum hæc confecta sunt, ad solenne Quadragesimæ ieiunium Anni M. CDXCV. deuolatum tempus: quare necessariò Matritum, vbi Regina aderat, Ximenius venit, qui illi à confessionibus erat: & post quã muneri suo satisfecisset, in spei cœnobium, quod Ocannę est, discedere parabat: quò sacris interesse posset, quæ solenni Christianorum ritu, in memoriam dominici funeris celebrantur. Iam Franciscum Ruizium sodalem admonuerat, vt asellum, quo vehi solebat, sterneret: simulque aliquid herbarum condiret, ne impransi viã ingrederentur. Sed insperatò, dum hęc moliuntur, Castellus vnus ex cubicularijs reginę ad Ximenium venit, & priusquã discedat ad reginam maturet, iubet. Doluit ille eo nuntio accepto, veritus ne quid, tempore præsertim tam sacro, impedimenti accideret. Continuò ergo ad Reginam adiuit, sese quanto ocyus posset explicaturus. Regina Romani Pontifi. literas tunc allatas, post sermones alijs de rebus, ex consulto primum iniectos, in manus tradidit: & videto, inquit, quęso quidnam hisce literis summus Ponti. sibi velit. Prouincialis ad primã statim inscriptionẽ, quę sic àtergo erat (venerabili fratri nostro Francisco Ximenio electo Toletano) vehementer commotus, depositis continuò in reginę gremio obsignatis literis, & nihil ad se pertinere inquiens, de scabello surrexit: atque nulla, vt solebat, expectata missione, vultu admodum conturbato ad sodalem abijt. Ât regina, qua erat grauitate, dissimulandum interim rata, dũ scilicet interiecta tẽporis morula animũ hominis rei nouitate perculsum redderet sedatiorẽ, abire in pręsens facilè permisit, petita tñ priusquã cubiculo egrederetur ab eo facultate, quicquid literarũ illud erat resignãdi. Paulò post Henricũ Auriciũ Villadę dñm, regisq; aumculũ, eiusq; familię pręfectũ, & Aluarũ Portugalliũ regij senatus pręsidẽ, summa viros dignitate, ad prouincialẽ mittit, qui peterẽt ne

Franciscus Ximenius inuitus Archi-pręsulatum Toletanum assumpsit.

vel

vel Reginæ quæ illum tanti faciebat, vel Pontificis Maxim. cuius in ipsum imperij ius esset, authoritatem contemneret: quin vtriusque voluntati, imò diuinæ potiùs vocationi facilem se dictoq; audientem præberet. Simulq; alia in eam sententiam adderent mandat, quæ ad hominis ingenium emolliendum facere viderentur. Illi suscepto negotio ad monasterium venientes, cùm comperissent prouincialem iam dudum inde profectum, Pintum versus contendere, citatis equis eam viam ingressi, hominem cum duobus sui ordinis socijs ad tertium ab oppido lapidem consequuntur pedibus iter facientem: reductumq; paulisper è via, post multum sermonem, vltro citroq; habitum, huc tandem perpulere, vt relicto itinere quod institerat, Madritum reuerteretur. Igitur cùm & reginæ, & procerum omnium hortatu, precibusq; rogaretur, vt delatam dignitatem capesseret, fortem omnino animum atq; inuictum præstabat, semper propositi sui tenax: adeò vt Gutterius Cardenas è reginæ intimis, Ximenium aliquando de ea re compellans dixerit: Non est pater cur nos suspensos teneas: nam si annuis, Archiepiscopi Toletani ratione: siue renuis, magnanimitatis tuæ, & religionis causa, manus tuæ sunt à nobis deosculandæ. Reges paulò post Burgos deuenerũt, quò allatæ sunt literæ Pont. Max. ad Ximenium prouincialem, quibus illum non modò hortabatur, sed pro suo in eum iure imperabat, vti Pontificatum Toletanum, cui rite præfectus esset, omni posthabita mora acciperet. Hîc ille nihil amplius repugnandum ratus animo dolenti & inuito se ceruicem submittere asperrimo iugo, post sex ferme menses quibus hac de re controuersum fuerat, professus est: nihil tamen addubitabat, quin Deus opt. max. qui ineundi tãti muneris author fuisset, obeundi quoq; adiutor esset futurus: illud semper excipiens, si nullis conditionibus, nullaue pensione pręgrauatam eã dignitatem darent. Nam sinistris quibusdam rumoribus sparsum fuerat, eius mediocritati quemuis sumptum sufficientem forè, quo circa prouentibus modicis, qui tamen idonei essent, contentum, regibus qui magna & religiosa meditabantur, reliquis qui superfuissent libenter cessurum. Non ideo indignati aut offensi sunt reges: quinimo incredibile dictu fuit, quanta regum animos, procerumq; omnium lætitia perua serit, quòd ab eo tandem impetratum fuerit, vt Archiepiscopus Toletanus, hoc est, inter regni primarios authoritate & opibus primus esse non recusaret. Tanta est virtutis vis, &

 tam

Universidad de Deusto
Biblioteca

tam potens verus potentiæ honorumq; contemptus. Digressi Burgis paulò post reges cùm Turiassonem nobilem quondam Romanorum coloniam, & nunc regni Tarraconensis non obscuram vrbem, venissent: ibi Franciscus Ximenius Archiepiscopus designatus in diui Frãcisci ęde magna celebritate, astãtibus etiã regibus, V. Idus Octobris (qui dies Franciscanis sacer, octauus à diui Francisci festo numeratur) solenni ritu inunctus, consecratusq; est. Sacris verò peractis confestim ad reges accedens, illorum dextras per speciẽ deosculandi de more appetens, non tam (inquit) quòd beneficio vestro reges inclyti, Archiepiscopus factus sum, vestras exosculari manus velim, quàm quòd eas mihi vos confidam porrecturos esse officij mei adiutrices: vt tandem mihi liceat in cælo archiepiscopi locum mereri. Reges contra quòd ille per speciem regij cultus fecerat, re ipsa religionis ergô facientes, & post vniuersi qui aderãt proceres eius manum venerabundi sunt deosculati. Deinde omnium aulicorum congratulantium comitatu, ingenti quoq; quacunq; præteribat populi plausu, in domum suam reductus est. Mittit illico per totam diœcesim Toletanam præstantes viros, qui oppidis, arcibus, & præsidijs nouos custodes & præfectos designarent, quorum fidẽ verbis conceptis Antistiti per iusiurandum de more astringerent: cæterosq; omnes, tum sacri tum profani fori ministros, donec sibi per otium lustrare liceat, quàm idoneos & strenuos præficiant. Est enim ingens numerus in hoc pontificatu honorum, præfecturarum, & munerum, quæ temerè quibuslibet, propter oppidorum celebritatem nunq̃ committuntur. Erat illi quoq; prouidendum de perampla cùm dignitatis, tum opulentiæ plena, Castorlæ præfectura, quã Petrus Furtadus Petri Gonzalui cardinalis frater eo viuente semper obtinuerat. Quo circa cum reguli quidam ex Mendozia familia ad Ximenium venissent, reginæ nomine (vt aiebant) rogantes, vt Petrus rursus per eum præficeretur, ne cogeretur priuati habitu ab administratione prouinciæ discedere: futurum enim perquã iniquum, neq; ingratitudine insigni cariturum, si Gonsalui quondam patroni immemor, cuius nempe authoritate & testimonio in tam sublime fastigium conscendisset, fratrẽ modò dignitate deturbaret, qua Golsaluus illum decorauerat. Solent reges dum rogant cogere, nec tam id precibus videbatur agi, quàm imperio. At Ximenius excelsi animi, quem diu intra syluas obscuras presserat, aperta iam documenta

menta exhibens, renũciare Reginæ iubet, se quod petitur nequaquã facturum. Potero (inquit) rursum ad priuatam vitam & humilem cucullum, vnde inuitus abstractus sum, redire, neq; enim vnquam hanc dignitatem ambiui: cęterum Toletanum Pontificatum mutilum, aut gleba vna imminutum nunquam profectò suscipiam. Audita voce tam constanti, ad reginam reguli cum responso redierũt, non tam Ximenij robur apud illam collaudantes, quàm ingratum animum obijcientes: neq; ea de re verbum amplius est factum. Post aliquot verò dies, cùm nihil tale iam expectaretur, fortè Antistiti Aulam ingresso Furtadus obuius factus est: qui aliò cùm vellet iter diuertere, nam Ximenij conspectum, veluti ab eo læsus, vitabat: voce paulò altiore illum honorifice appellat, & Castorlę pręfectum salutat: addens se pro certo habere, talem se regibus, Reipublicę, & præsuli suo Toletano præstaturum, qualem hactenus sub fratre illustrissimo. Hunc igitur quandiu vixit, in magno pretio & honore habuit, & Castorlæ imperio præesse voluit. Ergo tanta fortunæ dignitatisq; accessione, nouus antistes ceu nouus quoq; homo factus, parem extemplo personam tanto fastigio induere visus est, nihil iã nisi sublime & excelsum animo agitans: seu quòd ita natura comparatum sit, vt magni animi magnis honoribus fiant apti, seu quòd diuinitus huic sanè homini ad res magnas gerendas, vt cætera instrumenta, sic quod primum omnium est, par animi robur & magnitudo data fuerit. Primum igitur diœcesi suæ constituendę vehementer intentus, consiliarios, seu assessores iuri dicundo, tum morũ censores (quos visitatores appellant) homines cùm doctrina, tum vitæ integritate pręstantes vndiq; conquisitos, sibi asciuit. Quod verò ad rem priuatam attinet, nullam sanè aut sumptuosi, aut magnifici apparatus rationem per id tempus habere, vnquamúe habiturus videbatur: non frequentis familiæ, non pretiosæ supellectilis: quin priscam illam sanctorum pontif. frugalitatem, cum Francisci sui humilitate cõiungere visus est. Nam asello quo solebat vehebatur monachis sui ordinis assectantibus, aut ibat pedibus. Non argento mensam, non aulæis parietes ornabat. Totum porrò annuum censum statuerat ita partiri: vt ex parte dimidia pręsentibus egenorum necessitatibus subueniretur, reliqua vero deductis cùm familię, tum Pontificatus necessarijs sumptibus, in opera publica quæ religionis cultui prouehendo, iuuandisque sacrarum literarum studijs necessaria

Universidad de Deusto
Biblioteca

Franciscus Ximenius Ioannem Cardenam pijs largitionibus præfectum destinauit.

saria essent, impenderetur. Totum ergo semissem pauperum vsibus destinatum Ioanni Cardennæ Burgensi, viro Theologo, & antiqui moris homini, quem pijs præfecerat largitionibus, vnica syngrapha decreuit, nulla expensi ratione deferenda, in egenos distribuendum. Verùm deinde succedentibus maximorum sumptuum occasionibus in primis verò graui ære alieno, ex effusa in Granatenses nouos Christianos liberalitate contracto, semissis illius largitionem, ad arbitrariam distributionem redigere coactus est. Quod sanè consilium in dies magis necessarium animaduertebat: cùm impositam sibi tum moderatoris, tum pacificatoris publici personam, dubijs turbulentisque Reipubli. temporibus, cerneret sine magna pecuniæ vi sustineri non posse. Ad familiæ quoque frequentiam, domesticumque cultum, atque ornatum, paulò post Ponti. Maxim. hortatu pertractus est. Quam quidem mutationem quoniam eius æmuli, quos egregia virtus semper est habitura, leuitati animi eo tempore ascripserunt, non alienum ab instituto erit, literarum exemplum, quas ad Ximenium Ponti. Maxi. ea de re misit, adscribere: quod sic habet.

Alexander 3. Pan. f. cum literas ad familiæ frequentiam et exterior. cultum et ornatum hortatur.

Dilecto filio Francisco, electo Toletano, Alexander Papa sextus. Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem. Sancta, & vniuersalis Ecclesia, sicut te ignorare non putamus, ad instar cælestis Hierusalem multis, ac diuersis decoratur ornatibus: in quibus, sicut in excessu præuaricando peccatur, ita in defectu nimium declinando erratur. Grata est Deo, & laudabilis cuiuslibet status condecens obseruantia. Et propterea quicunque, præsertim prælati Ecclesiæ, sicut in moribus, ita in habitu & incessu, studere debent, ne nimio fastu superbi, neue nimia abiectione superstitiosi esse videantur, cùm vtroque authoritas ecclesiasticæ disciplinæ vilescat. Eam ob rem hortamur te, vt postquam te sancta sedes Apostolica de inferiori statu ad Archiepiscopalem dignitatem euexit, quemadmodum te in interiori conscientia secundum Deum viuere intelligimus, de quo plurimum gaudemus, ita extrinsecus iuxta condecentiam status tui, habitu scilicet, familia, & cæteris ad dignitatis decorem conuenientibus te habere & obseruare coneris. Datis Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die. XV. Decembris. M. CDXCV.

Ponti-

Pontificatus nostri anno. IV. Sic ergo Pontif. authoritate impulsus, cui minus audientem esse religio erat, vix tunc sibi imperare potuit, vt familiam modicè augeret: domum vtcunque ornaret, & lautiore denique vitę cultu vteretur. Procedente tamen deinde tempore, animaduertens quantum splendor hic vitæ apud vulgus momenti habeat, ad vindicandum à contemptu publicæ personæ dignitatem, quam in pretio haberi permagni ad quietem publicam refert: non modò ad iustam familiæ frequentiam, mensarum magnificentiam, & elegantiam, ad omnis quoque apparatus gloriam amplitudinēque peruenit, sed cultum etiam sibi accersiuit non incuriosum. Nam & holoserica veste superinduebatur, & pretiosis pellibus, sed pręcipuè leucophæis (quod vesti scilicet Franciscanæ concolores essent) vtebatur. Longo post tempore dum Reipublicæ gubernandæ præesset, Beltranum Metinensem regium apud nouum orbem senatorem, vestem illi obtulisse aiunt, rarissimis pellibus ornatam ex animalibus transmarinis, quæ tribus ducatorum aureorum millibus æstimabatur. Retinuit quidem illam Ximenius domi per aliquot dies, ne videretur offerentem contemnere, sed paulò post ad Beltranum remisit morbi prætextu, quo postremò laborauit, quasi sibi parum commodus eo tempore eiusmodi cultus & necessarius esset. Mirum quiddam in illis pellibus fuisse traditur: nam si quando explicabantur, aut quouis modo agitabantur, suauitas quędam odoris ex illis afflabatur, quę totum opplebat locum. Lectos item sericis & purpureis stragulis ornatos, cùm tamen ille Franciscanę regulę ad vltimum vsque spiritum obseruantissimus fuerit, & sindones lineas semper respuerit: & sæpè à ministris deprehensus sit mollibus culcitris, & pretiosis pannis è lecto ablatis in nudis tabulis, aut humi somnum carpere. At in familiaribus, tam primo hoc tempore, quàm deinceps recipiendis, maximum morum delectum habuit: nam & inculpatam vitam, omnique turpitudinis non modò labe, sed & suspicione vacantem exigebat. Pueros verò ingenuos ferculorum ad mensam ministros seuerissima disciplina continebat, pędagogo admoto qui illorum ingenia bonarum literarum rudimentis excelereti à quibus & ipse nōnunquā diurni stu

Universidad de Deusto
Biblioteca

dij operam exigebat. Familiæ porrò vniuersæ, hoc ipso Pontificatus sui rudimento, non exigua pars ex Franciscanis sodalibus constabat. Decem quippe ex illis spectata probitate viros contubernales sibi delegerat, quorum societate religiosæ vitæ memoriam, & quo ad eius fieri posset formam quoque tueri, perque eos sacra officij sui munera exequi destinarat. Quo fiebat, vt penes huius ordinis viros futuram iam inde partem maximam Pontificatuum, honorum, magistratuúmque sacrorum omnes arbitrarentur: tanta erat Archiepiscopi in illos, tanta Reginæ in Archiepiscopum amoris & beneuolentiæ significatio. Vnde non vulgares spes sibi proposuerunt, non ij modò qui familiari illo Archiepiscopi vsu atque conuictu fruebantur, sed alij etiam eiusdem ordinis viri, insigni aliqua religionis atque doctrinę opinione clari. Qui si apud aulæ primates, & authoritate & gratia pollerent, porrigente vtcunque manum Archiepiscopo, facilè emersuri credebantur. Sed vtrosque sanè sua spes fefellit: omnino enim Ximenius, seu quòd religiosos homines longè ab humani ambitus scopulis retrahendos esse iudicaret, seu certo quodam alio consilio, nihil sanè suis illis contubernalibus publicorum negotiorum vel communicabat ipse, vel ab alijs sinebat communicari. Interuentores verò, quales permulti rerum alienarum curiosi, & fumos vendere soliti, in aula regia esse consueuerunt, ad eos ingredi haud temerè patiebatur: sed neque pedem in palatium inferre, aut inter proceres aulicos versari permittebat: adeò vt angustiùs, in Archiepiscopi ędibus agere, quàm in suis cœnobijs viderentur. Cum viris ordinis sui primarijs quoties familiares sermones conferre contigerat, nihil aliud quàm de tuenda religionis disciplina, de continendis in officio sodalibus, de precationis, lectionisque frequentia, alijsque id genus exercendis pietatis studijs, non sine summa oris grauitate disserebat. Qua de re non vulgari inuidia apud monachos laborare cœpit, quasi ordinis sui ornandi parum studiosus: nec verebantur nonnulli sinistros sermones de nimia hominis seueritate in vulgus spargere. Accidit per id tempus, vt Franciscani ordinis summus magister (quem illi ministrum generalem vocant) ex vrbe Roma in Hispaniam mune

muneris sui exercendi causa veniret. Nam quòd quidam in hoc illum à Ximenij æmulis conspiratione facta accitum putant, quò illius opera ad facessendum Ximenio negotium abuterentur, affirmare nolim. Illud certè satis constat, homines sui ordinis ministri generalis aures grauissimis in Ximenium criminationibus onerasse. Nam insignem eius liuorem & maleuolentiam criminabantur: qui cum monachos doctrinæ & religionis laude præstantissimos facilè posset in amplissimis dignitatibus collocare, maximo deinde vsui atque ornamento vniuerso ordini futuros, non modò ipsorum incrementis non faueret, sed & reginæ animum sua sponte ordini deuotissimum aliorsum deflectere, atque abalienare conaretur. Sed neque in fratrem suum vterinum Franciscano quoque ordini initiatum quem secum haberet, vlla amoris significatione propensum esse. Multa præterea in eius ingenium moresq; indignè iacientes, quæcunque nimirum exulceratis animis odium, ob spes frustratas suggerebat. At ille homo quidem externus, rerumque nostrarum ignarus, & suapte Ximenio magnopere infensus (erat enim conuentualis) vita, & studio, facilè tot calumnijs irritatus, in Ximenij perniciem cœpit incumbere, palam & impotenter iactitans minimè conquieturum, donec eum è fastigio quò indignè conscendisset, deturbatum, ad sordes pristinas reuocaret. Reginam ergo adit: & post paruam temporis à prima salutatione moram, eius attentione, tanquam de re magna dicturus, efflagitata, mirari se dixit, quonam consilio Franciscum Ximenium ad tantum honoris & potentiæ culmen prouexisset: cùm nec natalium splendore moueri potuerit, nec doctrinæ opinione, cùm omnium iuxtà bonarum disciplinarum ignorans haberetur. Nam iurisperitiam in qua se exercuisse dicebatur, à limine tantum (quod aiunt) salutauerat. Iam verò eximiam quampiam prudentiam, rerumúe gerendarum vsum, quî potuisset ex solis Seguntiensium sacrificulorum iudicijs, quibus breui aliôqui tempore pręfuisset, tam vberem tamq; regijs negotijs tractādis accomodatam sibi comparasse? Quòd si vulgata illa ac proinde fallax summę sanctitatis opinio, qua supremos ipsos cęlites proximè credebatur accedere, ad eū augendū ipsam impulisset, caueret hasce fictas sanctitudines, quæ nec horū tēporū aut morū essēt: satisq; nobiscū pręclarè agi putaret, si vitā vtcūq; innocētē pręstarem?. Quòd si mētis caliginē remoueret, satis magnū habere poterat

Universidad de Deusto
Biblioteca

poterat argumentum animi leuis & inconstantis, quod non ita pridem in totius domus, & familiæ ratione designauerat. Nam ab austeriori norma, quæ monachum decebat, ad sybariticum luxum traduxerat, non sine magna omnium reprehensione. Quòd si vellet commemorare ingenij acerbitatem, rigidos, agrestesq; mores, orationem asperam & insuauem, nullóque lepôre conditam, ad hæc pallorem accersitum, tristitiam & supercilium, tum demum intellecturam quantum à proposito aberrasset. Hæc enim omnia animi tumidi, & arrogantis propria esse, non autem veræ sanctitatis indicia, vt regina existimabat. Nam syncera sanctitas suauis est, & mitis, placida, hilaris, & tractabilis. Quare non esse cur dubitaret, quin fucum suæ simplicitati planè factum fuerit. Nam quòd delatum honorem tam longa ille cunctatione distulisset, vulpini hoc ingenij, potius quam sancti indicium fuisse. Siquidem probi, nec dissimulatores viri, vt non ambiunt honores, atque magistratus, ita ritè atque incorruptè delatos modestè accipiunt, nõ tam preæsse quã prodesse cupientes. Quare oportere quidem etiam atque etiam circunspiceret, qua nam tandem ratione tanto huic ecclesiæ Toletanæ vulneri mederi posset, nisi suæ existimationis, atque adeo etiam animæ salutis obliuisci potius vellet. Nam nihili hominem, ad ea se dignitate abdicandum adigere, cui par esse gerendæ nequeat, nihil profectò negotij esse. His permulta addidit conuitiorum & fœditatis plena. Ęgrè se iam regina continebat, quin procacem hominem, & inuerecundũ è conspectu suo rapi, atque exportari iuberet: verùm quid suam maiestatem deceret memor, sese continuit. Ergo nihil aliud quàm satisne sanus esset, ad verbosam eius orationem subiecit: & an qui cum loqueretur intelligeret? Hic ille acerbius irritatus, satis (inquit) sanus sum, neque qui cum loquar ignoro, nempe cum Isabella regina, quæ pauculus puluis est, vt ego. Et simul consurgens foras furenti similis abijt. Multum Archiepiscopi causam iuuit, generalis ministri tam effusa petulantia, quæ reginæ quidem iram & indignationem meruit potius, quàm gratiam aut assensum. Facilè sapientissima fœmina intellexit, morbo illum animi stimulatum potius, quàm certo vllo iudicio ductum, in tam illotum sermonem prorupisse. Interim Ximenius quanquam maturè satis quid in ipsius caput minister ille moliretur amicorum indicio intellexerat, recti conscientia fretus, tantum

abfuit

ab fuit, vt vel reginæ aures (id quod illi facillimum factu fuisset) duceret præoccupandas, aut certè post intentam calumniam, de apologia cogitaret, vt nec verbum vllum ea de re cuiquam facere sustinuerit: nec ministro quidem vllam offensi animi speciem præbuerit: quin singulari illum studio, mirificaque pietate colere, venerariqúe persistebat. Itaque omnia Ximenio moderatè dissimulanterque ferente, facilè totus ille sæuientis inuidiæ feruor contepuit, & paulò post in fumum euanuit. Porrò quanquàm nihil aduersus sodales illos suos, quos sibi domesticos elegerat, querelarum habere præ se ferebat, quos neque conscios quidem illius in se coniurationis fuisse existimabat, tamen vel æmulorum aliorum tędio, vel quòd arctam viuendi normam istis displicere sentiebat, quęsitis occasionibus alium aliò, in cœnobium quenq; suum amandauit, tribus modò retentis Francisco Ruizio, Didaco Camachio, & Didaco Villalano, qui Ximenio ab arcanis confessionibus, & a priuatis sacrificijs essent. Quibus leges pendenti in tabula pręscriptas dedisse fertur, varias quidem illas, sed quę huc tandem omnes tenderent, vt intra suum angulum abditi, ab omni negotiorum strepitu, & ab omni profanorum hominum commercio abstinerent. Hęc tamen tam rigida illis imposita viuendi conditio in causa fuit, vt ad honores emergerent, fauente non nihil Ximenio. De Francisco Ruizio diximus: Didacus verò Villalanus cùm validis lateribus ad populum concionaretur, & aptus esset affectibus permouendis, regius concionator est factus, & in Abderitanum deinde episcopum assumptus. Quartus his annumerandus est Bernardinus Archiepiscopi germanus, nam nec morum æquabilitate, nec iudicio satis sano erat pręditus. Hic enim vt supra commemorauimus, cùm a Nauarra redijt opera Ximenij amicorum, & fratrem Monachum factum resciuit, eidem ordini se addixerat. Sed non erat cuiquam illorum trium, quos Ximenius domi habebat conferendus: ac proinde fortunam infœlicem sortitus, verum esse satis declarauit, suam moribus fortunam vnumquenque fingere. De quo, quoniam fraternam indignationem commeritus, domo Antistitis per hæc ferme principia perpetuò pulsus miseram atque calamitosam vitam duxit, pauca præfanda sunt. Erat Bernardinus in monachatu haud vulgariter pius & religiosus, quã obrem fratri erat carior. Sub ipsa etiam Pontificatus tempora, non

modò

Bernardinus Francisci Ximenij germanus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

modò consiliorũ particeps, sed & totius Põtificię familię primus, vt par erat, habebatur. Aiunt tamen in eo Ximenium desiderasse animi constantiam, circunspectionem, & in rebus tractandis prudentiam. Nonnunquam enim naturali quadam temeritate, non sanæ mentis dabat indicia: sed quicquid id erat, fraterna beneuolentia dissimulabatur. At cùm ęgrè animi vitia contineantur, præsertim vbi paululum licentiæ accedit, Bernardinus insolentior factus, cùm neminem sibi apud fratrem præferri pateretur, non solùm Archiepiscopi amicis & ministris, sed ipsi etiam, dum omnia pro libidine tractare cupit, cœpit esse grauis. Nam quicunque eum, aut leui facto, aut dicto offendisset, domo Pontificia fratre inconsulto, statim pellebatur. Quòd si quid illum Ximenius obiurgaret, eadem erga eum libertate vti: grauibus verbis inuehi: eius œconomiam impudenter culpare: protinusque locum aliquò in propinquius cœnobium mutare: aliquotque dies conceptam indignationem absentiæ mora testificabatur. Mansueto animo ea omnia Ximenius tolerabat, & simul atque ira fratri deferbuerat, rursus ad se admittebat: nullumque amplius rei ante actæ verbum faciebat. Accidit tamen, vt aliquando iratior multò quàm solebat Bernardinus Compluto Guadalfajaram sese receperit: vbi bilis impetu vehementer agitatus, nulla fratris Archiepiscopi ratione habita, libellum quendam scripsit, quadraginta & amplius rerum capita continentem, quibus non modò Archiepiscopi mores, sed familiæ luxum & intemperantiam, & totius Pontificiæ ditionis sub Antiste fratre licentiam, falsò & immeritò taxabat. Ea cum Ioanne Viana probo homine, & sibi amico, cæterùm fideli fratris ministro communicauit, dictitans quam primum occasio daretur, se libellum in manus reginæ traditurum. Nihil iniquius Ximenius (animo aliôqui excelso) ferebat, quàm si aliquid sinistrum apud reginam de se iactaretur. Id Viana cùm Ximenio statim notum fecisset, illico per sedulos ministros agit, vt captus Bernardinus deferretur, & simul quę scripsisse ferebatur. Ergo vniuersis thecis, & armarijs eius reclusis, tandem libellus inuentus est: ipseq; acerbę custodię traditus, atque paulò post Guadalfajaram deportatus: vbi indignabundus & animi impos biẽnio integro decũbens, cõtumacię quidẽ morbum cõcoquere potuit,

ni

ni etiam insanię vitio miser laborasset. Sanior tamen post illa factus, fratris læsi clementia implorata, rursus humanissimè receptus fuit. Sed vt vulgò dici solet, qui semel bonam mentem amisit, haud facilè curari potest. Ęgrotabat Compluti Ximenius & aderat Bernardinus frater: accidit verò, vt tunc causa quædam apud Archiepiscopi iudices ageretur, Bernardinus verò in alteram partem adeò inclinauerat, vt litem suam fecisse videretur: Iudices enim ex suo arbitrio sententiam quanuis iniquam vt proferrent impulit. Id Ximenius euestigio resciuit, altera parte nimirũ proclamante, & iudicum suorum sententiam rescidit, morbo interim ob indignationem adaucto. Hîc insanè Bernardinus fremere: & specie visendi fratris ad illum ingressus, multa primum conqueri cœpit, & quòd ipse in nullo pretio apud eum esset: multa deinde iudicum nomine, quos graui infamia eo pacto notasset, prorsusque despicatissimos fecisset. Inualidus ob morbum Ximenij animus solitũ in eo tolerando vigorem retinere non valens, acri illum oratione increpat: & vt taceat pro imperio iubet, aliôqui statim in vincula conijciendum minatur. Bernardinus puluinari quo caput Ximenij fulciebatur arrepto, os obturauit: & tanta vi guttur vtraque manu furibundus compressit, vt omni facultate ministros inclamandi adempta, qui in proximo cubiculo excubabant, modò non animam efflauerit. Bernardinus siue quòd eũ iã mortuũ credidit, seu rei atrocitate deterritus, nec animi pręsentia nefario sceleri absoluendo necessaria præditus, de cubiculo dissimulanter exiens, ministris ne strepitu dormientem excitarent admonitis, in obscuram latebram se proiecit, vnde rei euentum aucuparetur. Aderat inter ministros adolescens quidam Auellaneda, qui paulò quàm cęteri attentior, vultum Bernardini immutatum conspicatus, vocem etiam titubantem, gressus inconcinnos & ferme vacillantes subnotauit. Ergo sinistri quippiam accidisse suspicatus, præsertim quòd Ximenium & Bernardinum vicissim iurgantes audierat, suspensis passibus ad Archiepiscopi lectum accedens, ex vultus pallore, & ex frequenti suspirio animo illum defecisse credidit: Socios aduocat, & ad medicos accersendos aduolat: qui id vi morbi accidisse existimantes, quod medicæ artis erat, sedulò faciebant, sed vt in re subita & ambigua, velut cęspitantes. Donec ille ad se reuersus, nihil celans aut dissimu-

lans

Universidad de Deusto
Biblioteca

lans, fratrem palàm incusare cœpit, scelestum, sacrilegum, parricidam appellat: remque vt acta fuerat exponit. Sunt qui Bernardini furorem non ob sententiam rescissam obortum fuisse dicant: sed sacerdotiorum quorundam causa, quæ cùm à fratre petiisset, nec potuisset impetrare, eò tandem insaniæ peruenit, vt fratrem strangulare voluerit. Ergo Bernardinus per gnauos exploratores conquisitus, Turrigios oppidum iuxta Toletum, olearum fertilitate celebre compedibus vinctus abducitur: vt in humili tunc temporis cœnobio, vitam sordidam, vt meruerat, traduceret. Quod in commune ab omnibus monachis curatum est, quibus Bernardini facinus indignissimum visum fuerat. Tarasiæ tamen Auriquesiæ matronæ sanctissimæ benignitate, quæ Turrigiorum ditionem eo tempore tenebat, bona molestiæ pars ablata fuit, quam in custodia pertulisset. Ab eo tempore tanto ille odio Ximenio fuit, vt nullius vnquam precibus simultatem deposuerit: nec hominem amplius videre sustinuerit, nedum alloqui, aut in familiam recipere. Amor enim quò vehementior aut coniunctior est, si iustis de causis aliquando lædatur, nunquam ad pristinam charitatem redit, nec offensione obliterata coalescit. Ferdinandus Rex longo post tempore vix à Ximenio impetrauit, vt mitiùs contra fratrem germanum præsertim absentem ageret, eumque benignè iuuaret. Assignauit ergo Bernardino octogena numûm millia in singulos annos, ea conditione tamen, ne vnquam in eius conspectum veniret. Hunc ego Bernardinum extremam penè senectam agentem puer olim Compluti vidi, molli otio & genio indulgentem. Erat statura procera, fronte perfricta, vultu mirum in modum rubro flammeóque, naso prælongo, & incuruo, oculis introrsum reductis, totiusque corporis firma quidem compactione, sed macra. Auellanedæ verò sedulitatem semper ante oculos Ximenius habuit: nam & adolescentiæ vitio sæpius peccantem paterna emendabat indulgentia, præter seueritatis suæ consuetudinem: & ne quid illi dum viueret deesse posset benignissimè prouidit. Sed vt ad initia pontificatus reuertamur: vt primum Ecclesia Toletana resciuit Ximenium in Aragonia vbi tunc agebat inauguratum, legatos ad eum mittit Franciscum Aluarum Toletum, & Ioannem Quintanapalliam canonicos, illum iurisconsultum, hunc theologum, qui illi totius Ecclesiæ nomine gratu-

gratularentur. Quibus cum longum sermonem habuit: & multa se dixit cupere denuo instituere, & multa corrigere, & in antiquum statum restituere, quæ in rem communem essent cessura: sed illud in primis, vt canonici & eorum socij, qui portionarij dicebantur ad vitę communitatem, quoad eius fieri posset, redirent, qui iam diu ad vitam secularem & vagam desciuerant. Vt saltem altaris ministri, qui per hebdomadarum vices sacra faciunt, illis diebus intra claustra templi continerentur, quò religiosiùs munere fungerentur suo: se verò vt bona domicilia extruerentur curaturum, quibus commodè vti possent. Legatis verò diligenter mandat, vt id ad capitulum referant, & primo quoque tempore ea de re decretum faciendum curent. Legati quanuis rei difficultatē probè intelligerent, noluerunt tamen quid sentirent aperire: sed eius mandata ad capitulum bona fide relaturos, quemadmodum iubebantur, promittunt. Canonici verò per legatos de Antistitis sui voluntate certiores facti, mirum quàm fuerint rei nouitate, & insolentia commoti. Non tam quidem quòd intolerandum videretur, tres illos sacrorum ministros pauculis diebus intra ædem sacram contineri, quàm quòd vererentur ne homo seuerus & restituendæ veteris disciplinæ cupidissimus, qui tunc summa contentione agitabat, vt omnes omnium religiosorum virorum fœminarumque per vniuersam Hispaniam societates ad prisca viuendi instituta reuocarentur, idem quoque de canonicis suis cogitaret. Auxit illorum suspicionem Ximenij ad præfectum fabricæ mandatum, vt super interiori templi porticu, quæ impluuium viridario consitum, ad mea vsque tempora cingebat, domicilia construeret: in quibus multò plures quàm illi tres sacerdotes laxè habitare possent. Quare inito statim secreto consilio, Alphonsum Albornozium canonicum, qui & capellani maioris dignitate fungebatur, prudentem virum, & industrium Romam ad Pontif. Maxi. alijs negotiorum causis prætextis, mittunt, qui pręsentem ecclesię Toletanæ statum capituli nomine tueretur: & Archiepiscopum si opus esset, in ius vocaret, vt res nouas moliri desineret. Sed Ximenius qui paulò post ista resciuit, non esse cessandum ratus, viatores, satellitesque, non sine authoritate regia statim in portum misit, qui Albornoziū cōprehenderent. Sed quanuis magnis itineribus profecti, nauim conscendisse, & plenis

Quas desiderauit Canonicos et portionarios solutos ad vitę communitatem redigere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis velis nauigasse repererunt. Sed Ximenius vir prudens & experiens, ita posse euenire ratus, vno tempore ad portum satellites, & Romam expeditissimam triremem mittit, qua viri sibi cari & strenui cum mandatis regijs vehebãtur, qui Garsię Lasso, tunc apud Põtif. Oratori edicerent, vt quamprimum Albornozius appulisset, ablata in vrbem veniendi facultate, vinctum in Hispaniam remitteret. Lassus statim vt regias literas accepit, & rem totam intellexit, Ostiam contendit, vbi quinque dies Albornozij celeritatem anteuertit: tot enim cùm esset ibi moratus, descendentem de naui vocauit ad cœnam. Vbi postquã de Hispanię rebus multa inter se collocuti sunt, regia illi mandata exponit: & Centurioni in custodiam traditus rursus in Hispaniã traijcere cogitur. Postquã Valentiã appulit, ad Attienzę arcem translatus est, & tandem Complutum ad Antistitem deducitur: vbi totos ferè duo de viginti menses partim vinctus, partim in libera custodia retentus fuit. Carceris molestiæ duriores Albornozio exhibebãtur, quã mitis Ximenij natura ferebat. Sed cùm punitio potius regis nomine, quàm suo fieret, non nisi regis intercessione dimittendum putabat. Solent etiam qui nouam aliquam potestatem ineunt, seueritatem quandam penè inexorabilem sub ipsa principatus initia exercere, quò asperi & formidolosi vulgò habeãtur. Sic enim qui contumaci sunt ingenio, & nouarum rerum auidi, sibi cauere curãt: & in officio faciliùs omnes continentur. Interea Ximenius Toletum profectus, vt se Albornozius sequeretur iussit: & cùm illic relinquendus crederetur, rursus secum Complutum reduxit, vbi tandem missum fieri placuit. Vsus fuit Albornozius fidelissima opera Tamai eius ministri in maritimo itinere vinctus, & post etiam Compluti: adeò vt se maximam suæ calamitatis partem, in verbis & consilijs prudentis famuli deposuisse fateretur. Quare post omnes turbas sedatas iam liber, Tamaium gratitudinis ergô portionarium Toletanum faciundum curauit. Ximenius qui Tamai pietatem erga herum, & fidem ac sedulitatem à viris laudatis prędicari audierat, post Albornozij mortem, in familiam suam asciuit, & domus suæ præfectum esse voluit: ac canonicum Toletanum creauit, vt summum benè nauatę operę pretium. De statu ecclesiæ mutando, aut de sacrorum ministris intra ecclesiã continẽdis, mentionem nullam ab eo factã Vergara existimat. Ego Didacum Lupum Aialam aliquando

quãdo dicere audiui, Ximeniũ in priuatis sermonibus, quos interdũ ad canonicos habuit, de ea suspicione sese purgasse, qua ad regularẽ viuẽdi modũ eos reducere velle insimulabatur. Quanq; nõnulli referunt, vsum illũ aliquãdo ad hanc rem exẽplo tenuissimi pãni Leucophęi, quẽ canonici Ximenio obtulèrunt, vt inde sibi vestẽ clericalẽ conficiendã curaret: tunc enim pannũ laudasse, sed conditionem nõ probasse: vtcunq; enim res caderẽt, sub diui Frãcisci cuculla vitã viuere decreuisse, se dixit. Iubebat ergo, vt ipsi etiã canonici ad Augustini regulã se cõpararent & viuerent, quã multis adhuc cęremonijs referrent. Sed sibi propositum esse dicebat Helię verba vsurpans, nõ in igne, neq; in commotione, sed in aurę tenuis placidissimo sibilo, hoc est, in lenitate & mansuetudine, omnia cum ecclesia sua tractare, & componere. De hebdomadarijs autem ministris se non quidẽ præcipere, suadere tamen vt inter se ea de re agerent & tractarent, qua nihil sibi aut religiosius, aut sanctius videbatur. Ego vt his de rebus asseuerare nihil possum, ita ex ædificij perampla structura, & ex sermone cum legatis ecclesiæ in Aragonia habito, & ex portæ forma quam ad vicum crepidarium adaperuerat, suis & ciuitatis Toletanæ quæ adhuc visuntur insignibus ornatam, eam quę iactabatur animi sui sententiã fuisse, conijcere licet: cæterùm tumultus & turbas emersuras preuidentem, nihil amplius de vtraq; re siue priuatim, siue publicè Toleti egisse. Habitacula verò illa, magnifico atque sumptuoso opere constructa in pontificalis palatij partem concessisse videmus. Post celebratum in Aragonia conuentum, & res omnes compositas, reges Almazanum oppidum in Castellę limine situm peruenerunt. Sed rex paucos post dies, ad comprimendos Caroli Gallorum regis motus, qui in Gerundensium fines hostilia moliri nunciabatur, in Cataloniam redijt. Regina verò Burgos Ximenio adstante profecta est: vbi Lauretum oppidum septentrionalis Oceani portu celebre adire constituit, vt Ioannam filiam suam ad Philippum Austrium sponsum, Maximiliani Cęsaris filium, traiectura ad naues deduceret. Sed cùm itineris difficultas (nam per angustias quasdã & infestas montiũ salebras eundũ erat) atque oppidorũ vicorũq; infrequentia tot hominũ millia, qui reginã comitabãtur, cũ tãto prę̃sertim apparatu & tot impedimẽtis, excipere nõ posset: Archiepiscop°, qui omnes omniũ occasionũ articulos ad ecclesiã Toletanã visendã captabat, idoneũ tẽpus nactus, facilè à regina

Universidad de Deusto
Biblioteca

gina impetrauit,vt ſibi tandiu abeſſe liceret, dum illa Burgos rediret. Ergo Complutum Toletanorum pontificum regiam ſine vlla mora profectus,poſtquã ſe ibi ab externis negotijs feriatũ videt, ea ſolùm in animo verſabat,quæ ad boni pontificis partes bene agendas neceſſaria eſſe arbitrabatur.Quocirca eccleſiam Toletanam inuiſere,& cõuentum ſacerdotũ(quem Synodum dicunt)indicere,demum totam diœceſim circunluſtrare cogitabat.Sed antequã proficiſceretur,aream circũſpicit ampliſsimis & magnificis ędibus in ſtudiorum collegium ædificandis aptiſsimã.Cùm ergo in his deſignandis cum architectis eſſet occupatiſsimus , regina quæ à Laurentano portu Burgos redierat,Ximenij abſentiam cuius conſilio multum ſe iuuari ſentiebat,diutius ferre noluit,& hominem ad ſe accerſiuit: cunctantem verò & cauſas morę nectentem,tandem occaſione inſtantium Ioannis filij nuptiarum cum Margarita Maximiliani Auguſti filia omnino ad ſe venire iubet:negabat enim principem iuuẽtutis,in tot tantorumque regnorum ſpem natum, per aliũ quã per primatem Hiſpaniarum matrimonio iungi debere. Ergo magna omniũ celebritate,atq; ordinũ frequentia nuptię cõiunctæ ſunt.III. nonas Aprilis,anno M.CCCCXCVII. quibus ipſe ſtipulãdis & ſanciẽdis interfuit,& matrimonij ſolennia in cõſpectu regum religioſè iuxta & ſplẽdidè peregit.Poſthæc cùm diſceſſurũ ſe iã ad cœpta negotia arbitraretur,miſerando quodã caſu præter votũ manere fuit coactus. Alphõſus Cardenas Gutterij Cardenę filius,magnę ſpei iuuenis,dũ inter ęquales in ludis nuptialibus, qui magnificẽtiſsimi ob principes facti ſunt,equũ incautius admittit,dorſo excuſſus corruit & ceruice fracta,è veſtigio animã efflauit magno omniũ mœrore. Erat Gutterius Cardenas reginę perfamiliaris,& intimorũ conſiliorũ particeps:vnde haud vulgariter,ob eius calamitatẽ doluit. Alleuabat ęgritudinẽ Ximenius pio &prudẽti ſermone:nec minus acerbũ Gutterij patris vulnus cõſolando leniebat.Poſtq̃; illa mœſtitia nouis (vt fieri ſolet)rebus ſubnaſcẽtibus excuſſa eſt:decreuerunt reges, terminos quibus Caſtella à Luſitania diſtinguitur viſere,& obiter Pintiam etiam, & Metinã . Hæc Ximenio peropportuna occaſio viſa eſt Toletum proficiſcẽdi,ad res ſui põtificatus agendas.Commeatu igitur à regina accepto, Archiepiſcopus Cõplutum venit,& paucos poſt dies Toletũ de nocte accedere inſtituerat,faſtidiẽs omnino apparatum illũ,atq; faſtum,quo noui Antiſtites primo aduẽtu vrbem inuehi

inuehi conſueuerunt. At cùm id ciuitati vehementer ingratum eſſe intellexiſſet,eorum votis obſecutus eſt. Sed quò magis ille humanã gloriam fugitabat , hoc illa perſeuerantiùs ſolidam eius virtutem ſequebatur. Neminem Toletanorum præſulum tanta frequentia,tãto ciuium ſtudio,et applauſu exceptum eſſe comperimus. Eſt quidẽ illa ciuitas pontificum ſuorum obſeruantiſsima,quos haud ſecus ac numen quoddam cælitus demiſſum ſolet venerari: ſed communibus Archiepiſcopos colendi cauſis peculiares quaſdam in Ximenio eſſe fama vulgauerat,quę hominũ ſtudia mirũ in modũ excitarunt, ad eius vultum & totius corporis habitum propius contemplandũ. Ergo vbi dies aduentus eius adfuit,cunctus populus,omnis ętas, ſexus,atq; ordo,vt eſt vrbs frequentiſsima, per portas ſe effundens, campos omnes quà venturus expectabatur,latè compleuit. Vbi verò ad primum ab vrbe lapidem Archiepiſcopus appropinquare nunciatur,ornatiſsimus maximi templi clerus, duplici agminis ſerie obuiam proceſsit . Mulæ erant nitidæ & inſignes, quibus ſinguli de more ſacerdotum Hiſpanorum ſedebant. Præcedebant autem vnumquẽq; ſui anteambulones purpura fulgentes. Subſtitit Ximenius media via,quem omnes venerabundi ſalutarunt , & deoſculatis manibus omnia illi bona precabãtur. Paulò deinde vlterius procedenti,præfectus vrbis cum omnibus imperij ſui ſatellitibus,& clariſsimus decurionum ordo,cum primarijs ciuitatis , quos viatores & accenſi præibant,occurrunt: ſubſiſtentique rurſus ſinguli præteruecti felicem aduentum optabant,honorificis verbis appellãtes. Hiſtoricus noſtrâs Fernandus Pulgarus homo incorruptę fidei , & ſua lingua ſatis eloquens , cuius hiſtoriam Antonius Nebriſſenſis latinam fecit,ſcriptum reliquit,fuiſſe ſolenne, vt in primo pontif. Toletani in vrbem aduentu , pręfectus vrbis cum ſuis adminiſtris, & ipſi etiam decuriones vrbani poſt ſalutatum extra vrbem Antiſtitem,cùm ad portam vrbis ventum eſſet,dimiſsis equis pedibus irẽt, equitantem Archiepiſcopum comitantes vſq; ad templum maximum:ſed huiuſmodi honore Petrum Gonzalũ Mendoziũ Cardinalem Archiepiſcopũ Toletanum,in gratiã Iſabellę reginę in cuius comitatu vrbẽ primũ ingreſſus eſt,ſponte abſtinuiſſe. Verùm ſiue hoc eo tempore in Gonzalui adulationem primò ſit tentatum , ſiue re vera hoc officij genus Toletanis olim Pontif.(qua erant maiores noſtri religione) delatum fuerit , ſeculo certè noſtro compertum eſt

Universidad de Deusto
Biblioteca

obſoleuiſſe. Ad portã igitur vrbis cũ veniſſet Ximenius, tam cõferta multitudo aditum obſtruxerat, vt nõnulli de vita fuerint periclitati. Iam verò poſtquã vrbem eſt ingreſſus, omnes feneſtras fœminę pueriq; occupauerant: ſumma tectorũ culmina inſidentium mortalium pondere laborabãt: loca altiora omnia ſuſpenſis hominũ veſtigijs tenebantur. Tam denſa deniq; vias turba compleuerat, vt vix ſumma ſatellitum apparitorumq; cõtentione anguſtus trames procedentibus aperiretur. Sic tandem ad auguſtiſsimi templi veſtibulũ, ampliſsimo ornatum apparatu, prẹcipitante diei veſpera peruentũ eſt: ibi à ſacerdotibus, qui venienti obuiam proceſſerant, ſacro amictu velatis excipitur. Et poſt adoratam more maiorum ſacroſanctę crucis pretioſiſsimam particulam, quam iam olim eccleſia Toletana dono regum in theſauris aſſeruat, pro foribus aſtanti liber oblatus eſt, in quo eccleſiæ Toletanę inſtituta, legesque continẽtur: quas ille ratas ſe habiturum conceptis verbis pollicitus, in illas de more iurauit. Inde in templi adyta religioſo ſacerdotum concentu inductus, poſt habitam ſupplicationem ad aram maximam, in Põtificale palatium, quod in proximo eſt, deducitur. Tertio verò poſtquam aduenerat die canonicis in curiam ſuã per edictum vocatis, in hanc ferè ſententiam verba feciſſe dicitur.

QVAM inuitus fratres chariſsimi, in hunc quem videtis dignitatis gradũ aſcenderim, neminem veſtrũ arbitror ignorare: quàm verò immeritus illũ occupem, nemo nouit prẹter me, qui ſub onere tã recenti gemere iam incipiã, & nutare. Quo magis equidẽ ſentio, nõ ab ipſo modò numine ſubſidium mihi ſummis precibus imploranda, ſed opem atq; auxiliũ vndecunq;, ſed à vobis in primis fratres obſeruãdi, petendũ eſſe, tanta in Deũ pietate, tanta prudentia & virtute prẹditis: quorum votis & rogationibus ad numina cẹleſtia, & cõſilio in rebus gerendis, plurimũ vtilitatis me capturũ ſpero. Cõfido enim vos mihi omnem operam, cõſilium, ſtudiumq; prẹſtaturos, vt non in hac modò eccleſia, ſed in vniuerſa adeò diœceſi noſtra cultus diuinus augeatur, mores formẽtur, eccleſiaſticę deniq; diſciplinę vigor, ſi non omnino inſtauretur (hoc enim optare magis corruptiſsimo hoc ſeculo, quã ſperare licet) ad quandã certè priſcę integritatis imaginẽ cõponatur. Cuius quidẽ voti me facilè cõpotem futurũ ſpero: cùm vos in primis videã ad omne virtutis exẽplum formatos. Ęquũ eſt enim, vt qui cæteris ſacerdotibus in ditione noſtra ſuperiores emo-

emolumẽtis, & dignitate eſtis, morũ quoque ſanctimonia ſitis. Quę enim eruditio, aut diſciplina ad veſtros ciues, qui à rebus ſacris profani ſunt, dimanare poterat, ſi vos officia veſtra cõtemneretis, opinionũ diſsidijs laborantes? & non potius tum veſtium cultu, totiuſq; corporis motu, atq; geſtu, tum mutua inter vos pace, ſanctis colloquijs, & bonis operibus, interiorẽ hominem verè ſacerdotio dignũ populo (vt facitis) oſtenderetis? Ego ſanè, vt apertè vobiſcum agam, quoſcunq; hac via ad cẹleſtẽ Hieruſalẽ aſcendẽtes, de virtute in virtutẽ procedere animaduertero, horum profectò non modò conatibus adero, ſed cõmodis etiam, dignitateq; augebo: ſi quis verò (quod abominor) terreſtrem Hierico deſcendens, in latrocinia vitiorum, à quibus ſaucietur inciderit, huius certè vulneribus euangelici Samaritani exemplo, oleum ſuperfundam, & vinum: ſed ita vt multò magis ille olei lenitatem, quam vini ſit auſteritatem experturus: niſi vbi putre vulnus (quod Deus auertat) ſectione, vſtionéue indigebit. Nam nec ab hac quidem quãlibet inuitus temperare potero, cùm intelligam quicquid in vobis huiuſmodi fuerit, à me vno apud ſupremum iudicem ſeueriſsimè exigendum. Verùm meliora profectò atque digniora de tam graui, tamq; honeſto ordine ſperanda mihi eſſe perſuadeo, aduerſus quem officijs potius & humanitate, quàm ſummo iure mihi eſſe agendum video. Quoniam verò iam dudum meditor ſynodum ſacerdotum noſtræ diœceſis, rei eccleſiaſticæ cõſtituendę cauſa, Cõplutum indicere, magnopere vos hortor, vt legatos veſtros illuc mittatis, qui ex priſco maiorũ inſtituto rebus gerẽdis interſint. Interim ſi quid vobis videbitur, in hac ipſa eccleſia, vel alibi per noſtrã ditionẽ, matura cenſura indigere, magnã monitoribus ſum gratiã habiturus. Huic orationi cùm per Decanũ reuerenter reſponſum eſſet, diſceſſum eſt. Dati deinde dies aliquot procerum, & ciuũ ſalutationibus, à quibus quàm poterat citiſsimè ſe expediebat: nam volumẽ ſacrũ in proxima mẽſa apertũ ſemper erat, ad cuius lectionẽ, niſi quid eſſet ſeriò tractandũ, poſt primas ſtatim ſalutationes ſeſe conuertebat: quod cuiuis mediocriter attẽto, ne homini rebus grauiſsimis occupato negotium vltra faceſſeret, indiciũ erat. Habita eſt etiam non poſtrema ſupplicum libellorũ ratio, pleriſq; quidẽ eius generis quibus eſſet liberalitate potiùs, quàm oratione vlla reſpondendũ: quos in faſciculos diſpoſitos, ad largitionibus prẹpoſitũ mittebat, qui votis omniũ ſuo arbitrio ſatisfacere curabat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ita fiebat vt numerosior in dies ad palatij limina petitorum turba
confluereret:adeò sanè vt constet, Archiepiscopum quo die vrbe pro
fectus est flagitatorum multitudine exitu domus fuisse prohibitum,
donec largitor prouido consilio iactatis, quos diuidendos parauerat,nũmis, peruium iter fecit exeunti. Multa ergo ille Toleti, quibus ibi commoratus est paucis diebus,præclara constituit: multa cõposuit,tũ ad cleri populiq; disciplinam,tum ad summi templi, cæterarumq; ædium sacrarum sarta tecta, supellectilem, censum,totius denique diuini cultus splendorem pertinentia:quæ longum esset sigillatim persequi. Vnum tamen non omittam,propter exempli claritatem,& rei difficultatem cum primis memorabile. Offendebantur quicunque templum Toletanum adibant sacelli illius angustijs, quod Capellam maiorem vocant,vbi ara maxima solennibus sacris operandis erecta est:erat enim dimidio ferme quàm nũc est angustior:quod delubri magnificentia indignũ esse omnes iactabant. Porrò vnica erat laxandi ratio,si sanctę Crucis ędicula quæ illi continens est,sacello adderetur:quod facile factu erat diruto pariete medio. Erat autem ędicula illa regium opus venerandæ antiquitatis,veterum quos vocant regum tumulis percelebris:nempe Alphonsi septimi,qui Hispaniæ dictus est Imperator, & Sanctij huius filij cognomento desiderati,& item Sanctij alterius ex Alphonso decimo geniti:præter alios regię stirpis principes viros,quorum illic manibus per proprios sacerdotes quotidianis inferijs parentabatur. Qua re multis retro seculis nefas visum fuerat,de diruenda regia capella cogitare. At Ximenius re statim perpensa,ędiculam regiam capellæ maximę iungendam,& regum reliquias ad eandem transferendas decreuit. Regijs porrò sacerdotibus ædiculam aliam sacris suis faciendis asignauit,tanta quidem celeritate,vt sub ipsum discessum præfecto fabricę negotium dederit rei primo quoque tempore conficiendæ. Verùm huic decreto post Archiepiscopi abitum regij sacerdotes summa contentione intercedentes,rem ad capitulum detulerunt:patres obtestantur,ne suo se sacello exturbari,neu sacra clarissimorum regum sepulchra,quę illi certa quadam religione ducti cineribus suis delegissent,violari paterentur. Patres quanquã Antistitis sui consilium cum ecclesię dignitate coniunctum esse liquidò videbant,tamen ne Petri Mendozij Cardinalis Archiepiscopi monumentum,quod proximè dextrum summi altaris latus constructũ

erat,

erat,pro lato altaris situ,longius relinqueretur,regiorum sacerdotũ causam tuendam suscipiunt. Hactenus tamen vt per legatos reginã orarent,tanti sper negotium differri vellet,donec ipsa in rem præsentem veniens(expectabatur enim propediem in vrbem ventura) de re tota pro imperio constitueret:sperabant enim Cardinalis sui, cui tantopere viuẽti fauisset,etiam sepulturę rationem habituram. Regina cùm capituli postulatis facilè annuisset,paulò post in vrbem veniens,re oculis subiecta,Ximenij consilium laudauit. Ita regij sacelli spatium capellę maximę cessit:vbi ara maxima denuo cõstructa,& ingenti sacrorum signorum pegmate,quod ad summum vsque templi fornicem sublatum videmus, exornata: regij tumuli vtrinq; in edito locati,summa quidem tum illorum dignitate,tũ ędificij ipsius elegantia,atque decore,Mendozij verò Cardinalis monumentum longiusculè quidem ab ara ipsa seiunctum mansit. Verùm id sanè incommodũ,honorificentissima regiorum monumentorũ societate abunde pensatum est. Porrò regijs sacrificijs ędicula non lõgè à capella maxima attributa:quę olim Sancti spiritus nuncupata, sanctę Crucis titulum in prioris sacelli memoriam suscepit. Archiepiscopus vbi Complutum venit,conuentum primum suorum sacerdotum celebrauit. Quo in conuentu multa è Reipubl. ecclesiasticæ vtilitate decreta sunt facta:quę postea in secundo conuentu Talabricę habito retractata & confirmata vulgauit. Eorũ publicę tabulę quoniam ętatis iniuria interciderunt,atque ab insequẽtibus Archiepiscopis multa dissimulato nomine in ipsorum acta translata sunt: nonnulla referre,potissimùm quę viri pietatem,& prudentiam declarant,non ab re esse existimaui. Sacerdotibus presbyteris facultatem eligendi sacerdotem dedit,ad quem occulta peccata deferrent, vicaria huic potestate data de quibuslibet commissis absoluendis, quorum ad se duntaxat ex legibus sacris cognitio pertineret:ne fortè rem diuinam peragere volentes huius rei obice retardarentur. Quod sub id tempus persępe contingebat,cùm nondum tam multi Pont. Max. priuilegia ad id faciendum, vt nunc adepti essent. Primarijs sacerdotibus(quos curas vulgò vocãt)præcepit,vt singulis dominicis diebus post horas vespertinas(quas complectorium vocãt) campanę sonitu, vicorum sibi subiectorum pueros ad Deiparæ Virginis salutationem conuocarẽt:ibiq; eos per se aut per ędituum, Christianę religionis symbola edocerent. Quod ab eo tempore nõ

sine

Universidad de Deusto Biblioteca

ſine magno puerorum in Chriſtiana pietate profectu,ad ætatem no ſtram perſeuerat.Quoniam ſacrę aquę vſus,quę pro foribus templo rum eſt,negligentia paſsim interciderat, leuibus peccatis luſtrandis more maiorum inſtituta & conſecrata,vt cuncti eccleſias ingredientes eâ ſe diligenter aſpergerent, multa etiam propoſita cauit. Iam quoniam ſacra patina circunferri ſolet deoſculanda, & peruer ſa quadam ciuilitate inductæ erant mutuæ rogationes,quibus prætermiſsis graues offenſiones & inimicitiæ inter ciues exoriebantur: cauerat Alphonſus Carrillus, vt miniſter qui patinam geſtabat, ſtatim ac quiſquam proximum rogare cœpiſſet,ad altare patinam reduceret. Ximenius quidem noluit cęteros oſculo patinæ immerẽtes priuari propter vnius ineptam ciuilitatem, ſed ſubitò ad alium tranſire,nulla illius ratione habita:& vt ſic fieret,graui multa contra miniſtrum,& parochum indicta cauit.Forenſium cauſarum diuturnitatem ex varijs aduocatorum allegationibus proficiſci certò ſciẽs, quas in fraudem publicæ vtilitatis ob priuatum ipſorũ emolumentum introduxerant,maximo ſanctę Synodi applauſu ſic ad certam breuitatem reduxit:ne quis in ditione ſua iudex,ſiue is eccleſiaſticus ſiue laicus eſſet,in leuioris momenti cauſis libellum vllum admitteret:ſed de plano(vt aiunt)illas dirimeret & iudicaret.In reliquis verò,vt maiorum decreta ſeruarentur:& poſt vnum & alterum libellum,quibus cauſæ fundamenta ab vtraque parte concluduntur,poſitionum & interrogationum libelli ſecundum quos & ipſi litigantes iurati reſpondeant,& teſtes etiam qui producuntur quid ſentiãt declarare teneantur,& tandem vltimus libellus offerretur, qui & cõtrariorum dictis refutandis, & ſuorum confirmandis ſit ſatis : vltra quem ſi vel denuo teſtes darentur,vel libellus porrigeretur, omnia eſſent reijcienda vt inepta.Quòd ſi altera pars forum mutaret,exceptionem ve aliam de nullitate(vt aiunt)opponeret,id intra octo tãtum dies cognoſceretur,& ſexto poſt die ſententia, quam interlocutoriam vocant,proferretur,& diffinitiua continuò poſt vigeſimũ. Decreuerant ſuperioribus temporibus Archiepiſcopi, vt ſacerdos qui continuis quatuor menſibus ſacerdotio abeſſet,eo ſtatim priuaretur citra vllam allegationem: huiuſmodi priuationem Ximenius abrogauit,& ad ius commune reduxit:facilè enim prece, aut munere,aut gratia hæ pœnę eludebantur,& ſacerdos teſte conſcientia fructus perceptos ſuos facere non poterat. At nunc Tridentini concilij

beneficio,

beneficio,his atq; aliis incommodis obuiam itum eſt. Cæterùm res duas cum primis vtiles & neceſſarias Ximenius primus tunc excogitauit:alteram,vt parochi librum in ſuis eccleſijs habeant, in quo nomina eorum qui luſtrali aqua per baptiſmum expiantur,deſcripta ſint,additis inſuper patrum,& compatrum(quos vocant)nominibus,anno etiam,die,& menſe prænotatis. Quo ſanè prouidenti decreto ſceleratis multorum diuortijs occurſum fuit: quos ſi quando legitimę vxoris faſtidium ceperat, falſis teſtibus ſubornatis compatratus prætextu,matrimonijs illicitis copulabãtur.Quin & ad tutelarum curationes,ad ſacros ordines ſuſcipiẽdos,ad hæreditates & ſacerdotia ineunda,ad milleq; alios vſus poſteri ſe iuuari ſentiunt. Alteram,vt parochi quadrageſimali ieiunio ineunte, eorum nomina conſcribant qui Chriſtiano ritu confeſsiones arcanas, quibus tenentur ſacerdotibus,fecerint:eaq; ad Antiſtitem ipſum,aut ad Toletanum Complutenſemúe vicarios,vt ratio territorij expoſcit, intra dies quadraginta teneantur deferre:ſic enim Antiſtites certi eſſe poſſunt diuinis &pontificijs pręceptis eſſe ſatisfactum.Iubentur etiã vt ab ipſis certiores fiant,ſi quid publici,aut noui reatus exortum ſit, quod ipſorum authoritate corrigi debeat. Quę duę res magno cum eccleſiaſticę diſciplinæ fructu adhuc in noſtra diœceſi obſeruantur, & inde ad alias deriuatæ ſunt:nunquã verò ſine ingenti iactura immutabuntur,aut intermittentur. Quædam verò circa pietatem diuis debitam religioſè ſanxit,ſecutus in pleriſq; Xiſti.IIII.Pont.Max. inſtituta. Diẽ præſentationis Dei genitris Marię. II. calẽdas Octobris,ſolenni pompa,& feſto apparatu coli iuſsit.XIIII.verò calẽdas Apr.eadem ſolennitate D.Ioſephum virginis matris ſpõſum,vt coleretur non ſolùm ſanxit,ſed in calend.Toletanum,in quo deſiderabatur referri iuſsit.Diui Franciſci diem feſtum eſſe voluit, & ſic in honore eſt dies eius habitus vſque ad Taueram Archiepiſcopũ Toletanum,qui in ordinem redegit. Iulianũ Pomerium Archiepiſcopum Toletanũ,ob vitæ ſanctimoniã, & eruditionẽ ſacrarũ literarũ olim inter diuos relatum,ſed temporum negligentia minus cultum quàm vita inculpata,& ſcriptis meruerat,calendario etiam Toletano vt adſcriberetur curauit,et eius diem pridie nonas Martij ſua in eccleſia celebrari.Hic pręter diuinis de rebus volumina, ſcripſit etiam hiſtoriam de rebus geſtis à rege Bamba ſub quo ille vixerat, quę in bibliothecis Hiſpaniæ aſſeruatur. His abſolutis, ad publici

Iul. Pomer.

vſus

Universidad de Deusto
Biblioteca

vsus opera quibus instituendis naturâ propensissimus erat, se conuertit: nam religiosas virorum fœminarumque domos, virginum maritandarum gynæcea, studiosorum collegia construere in animum induxerat. Cum primis verò liberalium artium & diuinarum literarum studijs, quarum ille semper amore flagrauit prouehendis, Academiæ Complutensis cœptum ædificium vrgendum esse putabat: cuius quidem augendæ ornandęque, adusque vitæ exitum curam & cogitationem nunquam remisit. Dum hæc per Ximenium in diœcesi sua geruntur, monasticorum ordinum correctio, quam summopere vt fieret curabat, grauissimis vbique motibus, ac seditionibus agitabatur: siquidem fratribus conuentualibus passim tumultuantibus, non pauci insigni nobilitate atque authoritate viri fauebant, cùm alijs quidem de causis, tum hac potissimum, quòd antiqua maiorum suorum sepulchra, sacellaque sumptuoso opere exædificata, atque annuis censibus aucta sacrorum ibidem perpetuò celebrandorum causa, in horũ cœnobijs erãt: quę facilè peritura existimabant, si fratres obseruantes, quibus censuum huiusmodi immobiliumque bonorum possessio interdicta est, conuentualium loco substituerentur. Necesse enim esse videbant, vt bona ipsa atque census aliorsum dilaberentur: illa enim partim fœminarũ cœnobijs, partim fratrũ obseruantiũ literarijs collegijs instituẽdis applicãda esse vulgò ferebatur. Verùm hisce difficultatibus in Hispania regia authoritate per Ximeniũ succurrebatur. Romæ autem vbi præcipuus causæ vniuersæ cardo vertebatur, longè maiora impedimẽta, atq; incõmoda peruincenda erant. Proferebantur pacta quædã conuenta, olim inter conuentuales minoritanos, & fratres obseruantes secundi, & Sixti quarti, Rom. Pont. authoritate firmata, quibus inter alia cauebatur, ne fratres obseruantes conuentualium fratrum cœnobia, domosúe, aut alias possessiones etiam sedis Apostolicæ permissu reciperent. Aduersus illam conuentionem, in hac monasteriorum reformatione fuerant nonnullæ conuẽtualium domus Ximenij opera, dum reginæ à confessionibus esset, ab obseruantibus receptæ, & regulari obseruantiæ, veteribus earum colonis consentientibus vindicatæ: qui precibus & præmio illecti, domos suas obseruantibus reliquerant: idq; nihil superiorum Pont. prohibitione obstante, Alex. Sex. Pont. Max. authoritate probatum fuerat: & obseruantibus, vti domos & monaste-

monasteria conuentualium, de habitantium fratrum consensu recipere, ac liberè retinere possent, permissum. Qua ratione fiebat, vt ex conuentualium cœnobijs nonnulla ad obseruantium ordinem trãsferrẽtur. Id incommodum ne latius serperet, minister generalis qui conuentualis erat, & perpetuo magistratu fungebatur (nam nũc per sexennium tantum retinetur) ab eodem Alexandro summa contẽtione impetrauit, vt in ea monasteriorum correctione minimè liceret eam curam gerentibus, sine certis quibusdam adiunctis socijs cõuentualis instituti fratribus, ab ipso generali ministro designatis, officio suo fungi. Hos igitur Roma missos cũ à regijs correctoribus (quos reformatores vocant) contemptui haberi, nec vllam ipsis in eo ministerio authoritatem deferri intellexisset, Pont. Maximũ miris modis ad iracundiam prouocat, tanquam illius authoritati potissimùm illuderetur: corrogatoq; Cardinalium quorundam fauore, qui conuentualium partibus studebãt, edictum à Pont. Max. de amplissimi etiam senatus sententia promulgatur, quo vniuerso cẽsurę huius atque emendationis monasticæ negotio supersederi iubebatur: datis de ea re ad Catholicos reges, quorum authoritate res gerebatur, breuibus literis, quas regina ad se statim allatas ad Ximenium mittendas curauit: erant autem hoc exemplo.

CHARISSIMIS in Christo filijs nostris Ferdinãdo regi, et Elisabeth reginę Hispaniarum catholicis, Alexãder Papa sextus. Charissimi in Christo filij nostri, salutem & Apost. beñ. Vt imponatur finis dissensionibus, & querelis quę continuò afferuntur, à fratribus prę̃sertim ordinis minorum sancti Francisci, propter commissam in istis regnis & dominijs vestris reformationem: pro qua à generali aliqui sui ordinis isthuc trãsmissi, vt simul cum prę̃latis per nos ad id deputatis huic negotio intenderẽt, officio suo minimè fungi permittuntur, & varijs iniurijs (vt asserunt) se affectos conqueruntur: decretum fuit in consistorio, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium vnanimi consilio, vt tam ipsis transmissis fratribus, quàm per nos deputatis huic reformationi commissarijs inhibetur, vt in huiusmodi reformatione, & eius executione non procederent: sed supersederent, donec veritate per nos intellecta prouideretur, & aliud mandaremus. Quemadmodum maiestates vestrę ex literis venerabilis fratris nostri G. Episcopi Portuensis Cardinalis Vlixbonensis, eiusdem ordinis viceprotectoris, & dilecti filij Gar-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſię Laſsi Oratoris noſtri,ad quas nos remittimus, plenius intelligēt. Dat. Romę apud ſanctum Petrum,ſub annulo piſcatoris, die nona Nouembris M.CCCCXCVI.Pontificatus noſtri anno ſexto.

HOC nuntio Ximenius maiorem in modum commotus eſt: facilè enim vir prudens animaduertebat,hoc Pontif. interdicto quanquā in ſpeciem temporario,illud potiſsimùm agi, vt cauſa tota in præſens ſopita,perpetua deinde diſsimulatione extingueretur: hac enim via ſolet plerunq; perplexis negotijs exitus inueniri. Sed vt erat ingenio acri,& animo magno,maximis ſemper difficultatibus ſeſe opponebat. Quare obice ardentior factus reginam adit, eamque à tam moleſto negotio propemodum abhorrentem confirmat: ſolitæq; ſuę conſtantiæ atque animi pręſtantis vt ſit memor admonet: & ſummo ſtudio orat,atque obteſtatur,ne cauſam tam piam deſerat. Moleſtiſsimam haud dubiè rem eſſe,odij,tędij, laboriſque pleniſsimam,ſed tantò perſeuerantius in eam incumbendum. Fieri enim non poſſe,quin tādem Chriſtus Opt. Max. tam ſancta conſilia eſſet numine ſuo fortunaturus. His verbis regina animum collegit, & Ximenio quicquid gratia & fauore ſuo apud Ponti. Maxi. effici poſſet,benignè promittit, dummodò negotij pondus ipſe ſubeat, donec ad optatum exitum perducatur. Hoc cumulatiſsimè Ximenio de ſe pollicente,denuo rem vrgendam cenſet: & ſimul quid ſibi pręſenti occaſione conſtituendum videretur,quid Romę,quid alibi prouidēdum exponit. Ximenij igitur opera,labore & induſtria effectum eſt,vt ſummus Pont. interdicto illo ſublato,totam eam cenſuram & reformationem non modò exequendam decerneret,ſed Ximenio ipſi,vna cum Catanenſi Pont. internuntio, ac Giennenſi Epiſcopis ſtatim committeret exercendam. Sed tam arcto quidem mādato,quod aduerſariorum improbitati datum fuiſſe videbatur, vt non liceret vlli ex tribus Pontif. vicarium pro ſe conſtituere,ſed per ſe ipſos mandatum exequi tenerentur. Hoc decretum cùm prorſus inane eſſe animaduerteret(nec enim fieri poterat vt ipſe,eiusúe collegę tot prouincias obirent,& tot adirent monaſteria)non cōquieuit,donec vicarios pro arbitrio ſubſtituendi facultatem impetraret. Ita negotium procedere de integro cœpit,& diuina tandem ope cōpoſitis aut ſublatis maximis, quę in dies exoriebantur difficultatibus,tranſactum omnino eſt atque confectum: monaſteriaq; omnia (paucis quibuſdam exceptis) ad eum quem cernimus obſeruantiæ

atque

atque religionis ſtatum reducta ſunt,tanta quidem Ximenij laude, vt inter egregia eius præclaraq; facinora vnum hoc cenſendum ſanè ſit maximum & clariſsimum: vel ob rei difficultatem, vel ob publicam vtilitatem,tanto ex hac religionis reformatione fructu percepto. Si quis monaſticam diſciplinam illius ſeculi in memoriam reuocare volet,aut aliarum hoc tempore nationum monaſteria cū noſtris conferre curet,facilè inteliget veriſsima eſſe quę diximus. Igitur hac tempeſtate quicquid in monaſterijs noſtris modeſtię, religionis,continentię, ſanctitatiſq; eſt,huic viro referri debet acceptū. His difficultatibus incredibili quadam conſtantia euictis, ſentiēs Ximenius ſibi cum huiuſmodi hominibus non ſemel,atque iterum eſſe colluctandum: qui ei pręten tu pontificalium literarum,aut diplomatum,atque etiam Apoſtolici palatij officiorum aut præfecturarum,quotidie graues & moleſti futuri eſſent,ſeſe ab eius foro eximētes,atque ad Pontif. Max. cauſas ſuas pertinere proclamantes: ne quà ergo hinc viuendi licentia in diœceſi ſua emergeret,quam omnium virtutum generibus exornatam & illuſtratam cupiebat, ab Alexandro VI. aduerſus iſtorum immunitates ſumma Pontif. conſenſione, qui ſanctiſsimis Ximenij conatibus prorſus eſſe annuendum iudicauit,breues literas huiuſmodi obtinuit.

VENERABILI fratri Franciſco Ximenio Archiepiſcopo Toletano, Alexander Papa VI. Venerabilis frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm ſicut nobis nuper exponi feciſti, in tuis ciuitate & diœceſi Toletana complures perſonę eccleſiaſticę fore noſcantur,quę pro eo quod noſtri & apoſtolicę ſedis officiales exiſtāt, tuam ordinariam iuriſdictionem eludunt,& videntes ſe non poſſe à te corrigi multa enormia committere non verentur: quæ nullatenus auderent, ſi à tua iuriſdictione ſe exemptos eſſe non cognoſcerent: nos volentes deſuper prouidere,fraternitati tuę, de qua in his, & in alijs ſpecialem domino fiduciam habemus,contra tales perſonas ſub prætextu huiuſmodi exemptionum iuriſdictionem tuā ordinariam effugere volentes,authoritate noſtra procedendi, & illos iuris remedijs compeſcendi,omniaq; alia & ſingula in pręmiſsis, & circa ea neceſſaria quomodolibet & opportuna, faciendi, gerendi, & exequendi,quę facere poſſes,ſi officiales noſtri,& dictę ſedis nō eſſent,plenam & liberam tenore præſentium concedimus facultatē: non obſtantibus pręmiſsis, atque conſtitutionibus & ordinationibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus apostolicis,cęterisq; cõtrarijs quibuscunq;. Datum Romę,apud Sanctum Petrum, sub annulo piscatoris die.xxiij.Iunij, Millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo. Has cùm ille gratas suscepisset, partim earum authoritate, partim regij fauoris auxilio, quod sibi benignè quoties opus erat dabatur,ita in omni disciplina & sanctitate diœcesim suam continebat, vt homines denuo renati viderentur,& bellum omnibus vitijs indictum, priscamque illam seueritatem redijsse: quę probum vindicem adepta, animos hominum ad virtutem natos,etsi arduo & difficili negotio,tandem veluti postliminij iure in suam possesionem reposuerit. Erat porrò id tẽporis Ximenius sic animatus,vt in palatina versari aula, regiumúe comitatum sectari,è re sua esse non arbitraretur,nisi maximum, atque euidentissimum operępretium sperari posset. Quare si quando ad reges ibat, protinus omnes id non sine magna Reip. vtilitate fieri dicebant. Certè nihilo minorem publicę administrationis curam gerebat,quàm muneris Pontificij: omnia enim diligentissimè circunspiciebat,ac perlustrabat:& quicquid in aulicis officijs,ciuilibus muneribus,iurisdicundi præfecturis,publicæ pecuniæ exactionibus,in vniuersa deniq; Reip.tractatione dignum emendatione videbatur,ad reginam extẽplo referebat. Inter multa verò quę ab ipso vtiliter,atque è Reip.commodo curata hoc tempore, atq; confecta sunt,vnum Ioannes Vergara cõmemorat:quod vt perpetuã populis peperit felicitatem,ita perpetua laude tribuẽdum illi est magnæ virtutis testimoniũ. Vexabantur miseri populares toto Castellę Legionisq; regno,idest per vniuersam reginę catho.ditionem,durissima vectigalis exactione,quod alcabalã nostri vocant: ea est decima rerũ omnium quę vendũtur,aut permutantur. Quod tributi genus proauorum nostrorum memoria ad tempus,& velut precariò impositum,vt esset vnde rex cõtra Mauros tunc bellum gerere posset, posteriorum temporum patientia perpetuauit. Hoc vectigal multò fiebat grauius,& iniquius magna publicanorum acerbitate atq; auaritia,& innumeris pręterea litibus,& calumnijs ob merces omnino non professas,vel minoris professas,quàm distractę essent: adeò vt populis omnibus, non vno aliôqui onere presis, tam impudens expilatio intolerabilis prorsus videretur. Iam verò quibus aliquid pecunię ex vectigali,vel perpetua vel temporaria asignatione, vel stipendij salarijúe nomine, aut alia de causa authoritate

Alcauala

regia

regia attributum erat,vix id multo post tẽpore,& summa quę debebatur accisa,recipiebant. Vsq; adeò nihil à publicanis,decumanisq; sine quæstu & munere priuatim annumerabatur. Horum autem rapacitati,cùm varijs promulgatis legibus occurri tentatum esset, reprimi quidem in pręsens,nunquam tamẽ omnino comprimi posse videbatur. Quin ex ipsis nonnunquã legibus, atque sanctionibus grauiora(vt fieri solet) suboriebantur incommoda. Nam cùm ad vitandas quotidianas lites de mercium pretijs disceptantium,lata lex esset,vt iuratis venditoribus crederetur:tanta paulò post deprehensa est periuriorum,quæ verbis conceptis apud iudices dabantur,frequentia,vt nihil iam vulgò vilius esset,quam iurisiurandi religio,nil ve magis vsurpatum quàm ipsius violatio. Fouebat verò publicanorum auaritiam ingens potissimùm potentium, generosissimorũq; aulicorum numerus:qui partim vectigalibus illis locãdis atq; exercendis,partim illorum rationibus subducendis,conferendis,conficiẽdisq;,luculentissimo salario prępositi, damno publico ditabantur. Tanti igitur mali à Rep.auertendi curam suscipiens Ximenius, adhibito in consilium Ioanne Lupo Cantabro, argentariæ coactionis callentissimo,rationem excogitauit,per quam eiusmodi vectigalia sine vlla diminutione ad fiscum peruenirent: & quæ ex eis concessa esset pecunia,in priuatorum hominum vsus cum fide & in tempore persolueretur. Igitur regia authoritate sancitum est, vt vniuersa annuæ pecuniæ summa (quanta videlicet id temporis ex decumanorum redemptione in fiscum recipiebatur) ciuitatibus,municipijs,oppidis,pro cuiusq; frequentiæ, opulentiæ,& negotiationis modo distributa imperaretur:quæ per suos cuiusq; populi coactores à singulis negotiatoribus,opificibus,venalitijs,propolis cogeretur, & regijs quæstoribus,aut ex horũ asignationibus priuatis hominibus promptè numeraretur. Extraordinarijs autem decimis, quæ vel externarum mercium nomine,vel ex venditionibus ciuium qui mercaturã non exercerent,fisco deberentur,redemptioni ciuium relictæ sunt. Ita ingenti populorum cõsensu atque plausu, publicam temporum felicitatem gratulantium,tota illa decumanorum,redemptorũ, mãcupum pulsa colluuie,quies publica, & velut libertas parta est:et vniuersorum illud periuriorum,vexationum,deceptionumq; seminarium è Reip.visceribus stirpitus euulsum est atque deletum. Hactenus perseuerat hic cogendorum eiusmodi vectigalium mos (quem

encabezamiento

D vulgus

Universidad de Deusto
Biblioteca

vulgus encabezamentum appellat)adaucta tamen pro temporũ ratione summa,qui nullo vnquã tempore sine magno Reip.malo mutabitur.Hoc quanuis multò post à Ximenio fuerit constitutũ,quando scilicet sub extremum vitæ curriculum regnorum gubernationi præfuit,vt ex literis ipsius ad Carolum regem apud Belgas agentem satis constat,videtur tamen multò ante de hac re pertractasse cum Isabella regina:nam eius testamento,vt primo quoque tempore fieret iussum est.Ergo re tam præclara ad Reip.vtilitatem cõstituta,in diœcesim Toletanam reuersus, ne familię suę deesse videretur, quanuis eius rei curam iuuitus susciperet,tamen de vxore Ioãni Ximenio fratri,qui secundus natu erat,quęrẽda,inter familiares tractare cœpit.Oblata est autem honestissima conditio:nam Madriti Ioãnes Zapata nuper è viuis sublatus, Petri Zapatæ Barajarum domini, cognomento lusci frater,filiam nubilem Helionoram legitimè procreatam,sub Marię Luxanæ vxoris tutela reliquerat, pulchritudine,& genere prestantem. Igitur cum Maria Luxana Archiepiscopi animum,& potentiam consideraret,facilè mulier prudentissima preuidit,si natam Ioanni Ximenio traderet,optimè se illam collocasse omnibus visum iri.Matre ergo curante,& Archiepiscopo annuente,sponsalia sunt facta.Cęterum vt erat ab omni fastu alienissimus,statim post peractas nuptias, Turrilacunam vt frater cũ vxore concederet iussit:vbi in priuato loco,eoq; Pontificię ditionis , & proprio vtriusque natali solo,frugaliùs & commodiùs vitam agerent. Atque ita per id temporis modicis quibusdam possessionibus Ioannem fratrem contentum esse voluit,quibus colendis occuparetur:nam cętera ad victum & familiam necessaria facilè ex Archiepiscopi liberalitate suppeditabantur . Hic dum Turrilacunæ commoratur,tres ex Helionora liberos suscepit:Benedictum Cisneriũ, Diui Benedicti die natum:& Ioannam , quę Alphonso Mendozio, Clunienſis comitis maioris natu filio nupsit:& Mariam,quę aliquot post mortem Archiepiscopi annis,Petro Zapatæ consobrino collocata est,cui postea Barajarũ possessio cessit, Petro Lusco,qui ei auunculus erat,absq; liberis decedẽte.Benedictus qui in spẽ succedendi in caput gentis Cisneriæ,& familię nomen educabatur , in adolescẽtia liberaliter fuit institutus,& postea Petronillam Mendoziam primariam fœminam,ducis Infantatus ex sorore neptem,vxorem duxit. Huic Archiepiscopus magnam dotem dixit , attributis peramplis

nuptię Ioannis Ximenij Franciscigermani cum Helionora filia Ioannis Zapatæ cognomento Petri Zapatæ Barajarum domini fratis erat

Benedictus Cisnerius.

reditibus,

reditibus & possessionibus, peculiari Ximenij labore & industria partis,dum Oranum expugnat,& gubernationi regnorum præest: nam bona ecclesiastica,in vsus iure canonico designatos,nemo religiosius & solidius insumpsit.Helionora in ipso ætatis flore, Archiepiscopo superstite fatis prærepta fuit,lacrymas & luctum marito relinquens. Erat insigni probitate & pudicitia : atque digna prorsus, quę Archiepiscopi nurus esset. Benedictus literis Græcis & Latinis eruditus,magnam de se spem concitauit: erat enim ingenij acrimonia,& acumine mirabili præditus.Sed acutus ille & vehemens spiritus,qui rarò sine furore prouenit, rebus gerendis parum aptum faciebat.Studijs literarũ oblectabatur:& sæpe Madrito, vbi inter suos viuere constituit, studiorum causa Complutum diuertebat: vbi vt Academię patronus colebatur,& familiaritate doctorum hominũ gaudebat,in quos erat beneficus & liberalis.Lupũ Alphonsum Ferreram politioris literaturæ professorem magnopere coluit, à quo dicendi artem studiosè audiebat. Reges ob mortem immaturam Ioannis principis nimio mœrore penè obruti,sub mensem Nouembrem iam hyeme appetente,anno M.CCCCXCVII.Valentia profecti,quæ ad pontem Tagi,quam Traiani vocant, in Lusitania sita est,Complutum veniunt,vbi tunc Ximenius aderat:cuius pijssimis verbis modum regina lacrymis & ægrimoniæ posuerat:nam illam vt filij morte afflictam cõsolaretur non multo ante inuiserat.Quãquam ob Margaritæ abortum quam grauidam Ioannes princeps reliquerat,aulæ luctus fuerat renouatus.Hospitium in domo Pontificia simul cum regibus eo tempore Ximenius habuit, quod eius authoritati datum fuit.Sub finem April.anni insequentis Toletum reges concesserunt.Ximenius verò de sua diœcesi solicitus, synodum sacerdotum quam secundam indixerat, dum illi Toleti dimorãtur, Talabricæ congregandam curat, & in ædibus sui hospitis Ioannis Aialę,viri in eo oppido primarij, magna sacerdotum frequẽtia piè & religiosè habuit.Nam singulis ferme diebus Ximenius pontificio ornatu sacra celebrabat:cõcionesq; de rebus ad sanctam Synodum spectantibus,à viris doctrina,& probitate claris habebãtur:ob quas Gregorius Castellus iudex pontificius,magnã apud omnes gratiam, sed apud Ximenium potissimùm iniuit.Ibi ea omnia quæ priore Synodo constituta fuerant,rursus approbata,& cõfirmata sunt:multa item de nouo adiecta. Ex quibus vnum cumprimis egregium,&

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad morum licentiam emendandam necessarium esse visum fuit: vt in futurum scilicet, singulis quibusq; annis Synodus saltem semel haberetur. Sed siue humanarum rerum accidat conditione, siue potius negligentia nostra & culpa, nihil minus curamus quàm quę maximè ex nostro vsu sunt. Varia deinde negotiorum mole passim in Rep. gliscente, eiusmodi Synodi per eum cogi amplius nequiuerũt: neque post hasce à Ximenio habitas, vlla ętas nostra, præterquã semel à Ioanne Tauera, conuocatas viderat. Sed per œcumenicũ concilium Tridenti celebratum, magna Episcoporum & doctorũ hominum frequentia, non modò cuiusq; Episcopatus priuatas, sed prouinciales etiam Synodos fieri sancitum fuit: quas cura & religione Philippi regis catholici, frequentes cogi, & haberi in Hispania videmus.

LIBER SECVNDVS

POST conuẽtus sacerdotum celebratos, vulgatosq; anno eius seculi M.CCCCXCVIII. dum sacris profanisq; suę diœceseos rebus componendis Talabricę totus intentus esset, reginę quæ Toleti agebat, & Cęsaraugustam proficisci parabat, vbi solennes conuẽtus habendi erant de rebus permultis ad Reip. vtilitatem pertinentibus, literæ sunt redditę, quibus iubebatur, vt quamprimum reginã sequeretur: cuius opera & consilium magno vsui essent futura. Paruit illico Ximenius, & Complutum quò reges iter contulerant, properat: vbi paucis diebus commoratus, in Toletana & Complutẽsi prę-fectura, quæ in sua diœcesi amplissimę sunt, duos grauissimos viros, Villalpandum, & Friasium vicarios constituit: & regiũ è vestigio comitatum est secutus. Iter illi per Seguntiam necessariò faciundum fuit, vbi prima pontificatus gerendi rudimenta, vicarius Petri Gonzalui Mendozij exercuerat. Sacerdotes Seguntienses ad Fontem calidum, idest vico nomen, obuiam prodeuntes, primatem venerabũdi salutarunt: senes pręsertim, qui longæ ętatis beneficio quondã vicarium viderant. Ille omnes comiter susceptos cupidissimos sui dimittit. Nam qui hominum, quibus cum viuunt, tractandorum artẽ nouerũt, quosdam stimulos, & plenos veri amoris impetus, suæ erga eos beneuolentię, relinquere consueuerunt. Ventum est Harizam proximum nostris limitibus Aragoniæ oppidum: vbi illustri apparatu à sacerdotibus susceptus, quanuis alieni regni ditionem ingressus, suiq; iuris in primis tenacissimi, crucem tamen quę de more patrum, Toletanum Antistitem cessa pręcedit, illic quoque antecedere se iussit. Meminerat, Petrum Gonzaluum Mendozium pręclarissimo elogio testamento declarasse, crucem argenteam, quam sacro ecclesię Toletanę ærario legauit, Granatæ olim in Alhambrana arce pro vexillo erecta, prima deditæ vrbis auspicia demonstrasse: seq; semper aut iter facientem, aut in vrbibus diuersantẽ, per Cõpostellanam, Hispalẽsem, Granatensem, Cęsaraugustanã, Tarraconẽsem, Valentinã, aliasq; omnes diœceses præcessisse, vt primatus insigne. Hęc honoris pręrogatiua, regum, populorumq; consensu Toletanis pręsulibus meritissimè data est. Cùm Cęsaraugustam accessit,

Franciscus in regno Aragonię crucem se ipsum ante ferri fecit.

Lege Curitam Annalium Aragonię lib. 7. c. 66. et lib. 6. c. 33. et lib. 14. c. 8.

Universidad de Deusto Biblioteca

ſit,quò reges haud ita dudum peruenerant, voluit ſine vllo ſtrepitu vrbem ingredi,ſed proceres non permiſerunt. Nam inter alios, Alphonſus Aragonius catholici regis Ferdinandi filius, Cæſaraugustanus Antiſtes,& Aragoniæ regnis gubernandis præfectus,humaniſsimis officijs Toletanum pręſulem proſequutus eſt. Hîc cùm res graues incidiſſent, quibus tractandis Ximenij præſentia neceſſaria fuit, nulla in re quantum prudentia valeret magis oſtendit, quàm cùm Iſabella regnorum hęres,in Emanuelis Luſitani coniugis complexu,qui illuc venerat vnà cum vxore,poſt Ioannis principis mortē, regnorum ſucceſsioni ab Aragonijs deſtinandus, acerbiſsimo fato erepta fuit. Nam Aragonij,Valentini, & Catalonij ingenti controuerſia in dubium vertebant, an ſucceſsio illorum regnorum,ad fœminam poſſet iure deuolui. Sed partus doloribus ſubitò correpta, quorum impotentiæ & vi,infirma aliôqui puella ſufficere non valens, animam efflauit. Quę, vt ſcriptores eius temporis teſtantur, longiſsima vita digna fuerat. Nam vt nomine, & vultu, ita quoque animi dotibus matrem clariſsimam referebat, corpore tamen macro magis,& gracili. Cùm ergo è dolore grauiter laboraret, Ximenium accerſi regina iubet, vt in tam graui diſcrimine parturientem religioſis dictis confirmaret, & ad omnem fortunæ caſum paratam faceret. Hoc ita prudenter Ximenius effecit, vt cùm eam ex vultus coniectura morti proximam iam eſſe pręſentiret, pijſsimis ſermonibus ſic mortem contemnendam eſſe perſuaſerit, vt hac vita mortali ſpreta ad Deum quam primum euolare concupiſceret. Vix ex vtero prodeunte infantulo, animam in Ximenij manibus Iſabella emiſit, non indignantem aut mœrentem, quòd ante diem in ætatis flore occumberet, ſed potius viri ſanctiſsimi monitis exultantem & lætam obnixè. In illa vltima vitæ reſpiratione, à Ximenio petijt, vt deſolatorum parentum curam ſuſciperet: & ne quid ex ſubito caſu incommodi caperent, prouideret: nam eos proculdubio tam graui ictu conſternandos eſſe certò nouerat. Fecit id ſedulò Ximenius: & cum vtrunq; parentem mœſtiſsimum offendiſſet,& Iſabellā apud Deum Opti. Maxi. agere profuſis lachrymis diximſſet:tanta commiſeratio regum animos inuaſit,vt Antiſtitē bono animo eſſe iuberēt:& ſe mortales eſſe & mortalem genuiſſe dicerent:& ob temporis tranſacti vſuram immortali Deo gratias agere. Hîc iam fronte confirmata Ximenius, cœpit

apud

apud eos de rerum mortalium inconſtantia grauiter diſſerere,benè actum eſſe cum principe filia prædicans,quæ è terrena poſſeſsione, & caduca,ad immortalem & cęleſtem tranſlata eſſet. Quod apertè declarabatur,cùm ex dictis pietatis & ſanctimoniæ plenis, quę moribunda protulit,tum ex rebus paulò anteactis,quibus mortē ſciuiſſe apertè intelligebatur. Crebrò enim fœminis palatinis dicebat, vna cum partu mortem quoq; ſibi adfuturam. Quocirca priuſquā tempus partus accederet, conſcientiam ſuam diligenter excuſsit, & viros religione,& ſanctimonia claros aſsiduos ſibi & frequentes adeſſe voluit:quibus cum multum ſermonem de alterius vitæ myſterijs habuit. Quæ omnia etſi regum animis maiorem dolendi cauſam darent,quòd ſe tali hęrede priuatos intelligerent, eum tamen dolorem regibus cum multis alijs communem eſſe, Ximenius dicebat, quorum permultum intererat eam diutius ſupereſſe. Cæterùm Deo Opt. Max. ea omnia curæ futura,cùm præſertim editus in lucem infantulus vulnus maternæ mortis mitigaret, & animos res nouas meditantium contineret,beneq; de omnibus ſperare faceret. Nam vt naturali patrioq; affectu eos concitari, nemini mirum videri deberet,ita quoque ſummæ ſapientiæ,& excelſæ cuiuſdam virtutis eſſe,qualem omnes ab illis expoſcebant, vulgares naturæ affectus ſuperare, & potius animum ad ęquitatem componere, quàm ſe nequicquam affligere. His,atque alijs ſermonibus confirmati reges,optimo Antiſtiti pro tam beneuola & ſapiēti oratione gratias agentes,bonam doloris partem depoſuerunt:atq; nepotis,in quē vniuerſa regnorum ſucceſsio inclinauerat;cura ſuſcepta,nō multò poſt luſtralibus aquis aſpergendum curauerunt, Michaelis nomine indito. Qui ex Ximenij conſilio,lectica aureis ſtragulis exornata in cōplexu nutricum per totius ciuitatis vicos circumlatus eſt:quò nimirū mœror ſedaretur,qui ex inſperata Iſabellę principis morte,omniū animos occupauerat. Quanquā & hic quoq; ferme biennio poſt, cū ex matris imbecillitate multum cōtraxiſſet,Granatę obijt:& ad Ioānam maiorē natu filiā,quę Philippo Maximiliani Imperatoris filio nupſerat,hæreditas peruenit,fatis nimirū Carolum rerū imperio parātibus. Hac miſerrima cataſtrophe Aragonię cōuentibus ſolutis,in Caſtellā reges reuertuntur,& vnà Ximenius Antiſtes. Quibus Ocāna nobile ac fertile oppidū in Carpētania aduenientibus,ille Cōplutū ſtatim reuertitur:neq; enim morā,ſine aliqua maxima cauſa,in regū

 aula

Universidad de Deusto
Biblioteca

Annus quingentesimus supra millesimum.

aula facere(quod superius dictũ est)proposuerat. Decurrebat iã annus à Christo nato supra millesimũ quingẽtesimus, sui verò Põtificatus quintus:quo tẽpore cùm aliquid otij sibi fuisse cõcessum videret,quod secũdo ab hinc anno meditari cœperat, de studiosorũ collegio Cõpluti erigẽdo,omni opera vrgendũ curauit. Nã tertio postq̃; electus est anno,qui quadringẽtesimus nonagesimus octauus eius seculi fuit,iã ille aream Cõpluti designauerat,totiusq; ædificij symmetriã,ex Petri Gumelij prestãtissimi architecti arte adumbratã,cõprobauerat.Quod sanè nobis argumẽto est,simul cũ proposita põtificatus suscipiẽdi sentẽtia,literariã domum ædificandã sibi proposuisse. Toto igitur semestri tẽpore in hoc intentus,pridie Idus Martias,hora ferme post meridiẽ quarta,cruce Frãciscani cœnobij pręeunte,& sodalibus religiosè supplicationẽ facientibus,iacta sunt collegij diuo Illefonso dicati,fundamẽta.Quibus ille proscindẽdis adfuit,et anteq̃; lapis primus poneretur,quod felix faustumq; esset,puris precibus ad Deũ fusis,auspicatissima oratione,& signo crucis locũ expiauit,Geniũq; Cõplutensem illustriorẽ fecit.Illic enim sub Sãctio quarto Castellę rege,qui Ferox cognominatus est, Gõzalũ. II. Archiepiscopũ Toletanus scholã cõdidisse certũ est,eisdem immunitatibus pręditã quibus Pintianũ gymnasiũ:vt ex diplomate regio,quod Cõpluti adseruatur,satis cõstat.Nimirũ situs hilaritas,& vicini fluminis amœnitas cum pari cęli benignitate,modò nõ clamare videbãtur sedes illas musis aptissimas esse. Ergo illico aurea & argentea numismata per Gonzaluũ Zegri(qui tunc fortè Ximenio comes fuit)fundamentis de more prisco sũt iniecta:& imagũcula palmi lõgitudine ex ęre fusa,sacco & cucullo Franciscanũ monachũ referens, dextro frontispicij latere,cõcauo loco post primũ lapidẽ in fundamento est collocata:intra cuius cauum pectus pergamena charta (vt aiunt) inclusa fuit,Frãcisci Ximenij fundatoris,& Petri Gumelij architecti,& anni mẽsis,& diei,quibus ea geri cœpta sunt,memoriã seruãs.Mirum est hunc diẽ à sapiẽtissima Academia inter fastos suos repositũ nõ fuisse,& religione maxima celebratũ:quẽadmodum olim natales vrbiũ dies colebãtur,& nunc dedicationes basilicarum & tẽplorũ colũtur. Cùm pręsertim exẽplis innumeris eius diei felicitatem fulgere videamus,tã ingenti doctrinę luce Hispanę reip. & huic potissimum Trãsmontanæ regioni parta.Dũ in academiã cõstituendã Ximenius incũberet,& totus in re pręclarissima esset, reges Granatã nuper è

Maurorum

Maurorũ ditione multis laboribus & ingẽti virtute receptã,ad eam cõfirmandã,& in officio retinendã,prudentissimo cõsilio venerunt. Vbi cùm multę res passim occurrerẽt,quę regibus alioqui prudẽtissimis negotiũ facesserẽt,dubiosq;,& suspẽsos tenerẽt,Ximenij præsentia necessaria visa fuit:cuius solertia & cõsilio ancipites illę res expedirẽtur.Quapropter ad reges illicò venire iussus, quod tũ gerebat intermittere coactus,vniuersę fabricę cura Balthanasoviro optimo & illarũ rerũ peritissimo cõmissa, Granatam venit:vnde reges post mẽsem Hispalim profecti sunt:Ximenius verò donec reuerterẽtur Granatæ mansit.Multa interea ad illius vrbis tranquillitatẽ, multa ad mutua Christianorũ cum Mauris cõmercia,multa deniq; ad religionẽ ipsam spectantia excogitauit.Nam cùm diuina prouidẽtia & beneficio,Ferdinandus Talabricẽsis Hieronymiani ordinis sodalis, vir sanctimonia,& doctrina clarus,ad eius vrbis Pontificatũ assumptus esset,facilè Ximenius ab homine minimè ambitioso obtinuit, vt cõcordibus animis de illorũ salute inter se cõmunicarent,eosq; omni cura & diligẽtia ad Christi fidẽ reducendos curarent.Quod cũ diligenter secum considerassent,hęc demũ ratio ad id exequendum potior visa fuit. Vocatis primũ ad se sacerdotum illorũ principibus (quos illi Morabitos & Alfaquinos vocãt)cũ ijs quotidie mãsuetè & cõmiter de rebus ad religionẽ spectãtibus disputare, nihil per vim cũ illis agere,sed potius omni libertatis genere eorũ animos sibi deuinciendos curare, quod & fecerũt.Nã partim sericeis telis, partim rubris pileis coccineo grano tinctis,quibus gẽs illa impẽsè delectatur,nõ cõtemnenda summa cõparatis,donatos à se dimittebãt. Qui nuper igitur cõtempti & captiui esse videbãtur,ęqua libertate et splẽdore cũ victoribus se frui cernẽtes,animis paulatim erga nostros cõciliatis,Christi dogmata amplecti cœperũt:populoq; deinceps suadere,vt mẽdaci Mahometo abnegato,Christũ verũ Deũ sequerẽtur. Fuit id adeò prouidens & salubre cõsiliũ,vt intra paucos dies Alfaquinorũ authoritatem turbæ secutæ,ad Baptismum petendũ caterua tim cõuolarent.Nam dies quidã inter fastos relatus est, quo plusquã tria millia hominũ lustrali aqua expiata sunt. Quos cũ non posset Ximenius priuatim singulos de ecclesiastico more tingere,decreuit asperforio vniuersos lustrare,quod mersionis simplicis locũ habuit.Cœpta est fieri eiusmodi cõuersio.XV. Kalen. Ianuarias anno Dñi M. CCCCXCIX. qui dies Gotthicis tẽporibus, Recesuintho

Universidad de Deusto
Biblioteca

rege procurante, Angelicæ ad Deiparã virginẽ legationi, ex institutione Eugenij.II. Archiepiscopi Toletani, non autem Ildefonsi (vt vulgò creditur) consecratus, religiosissimè & persanctè colitur. Cũ hoc igitur auspicatissimo die bona quadã Ximenij fortuna, tãta res fieri cœpta sit, ingẽtis huius beneficij causa quo resp. Granatẽsis, tunc per eum affecta fuit, Deiparæ virgini, sub cuius tutela ecclesia Toletana est, solennia sacra cũ Granatę, tũ Toleti eo die quotannis facienda curauit. Hæc nunc duabus his celeberrimis vrbibus magna senatus religiosi cura celebrari, & cõfici videmus. Bona pars Granatẽsis vrbis iam fidẽ Christi libẽtissimis animis susceperat, quãdo exorti sunt quidã cõtumaces & rebelles, qui paternarũ traditionũ nimis studiosi, dolentesq; priscã Maurorum superstitionẽ in Hispania funditus eo exẽplo perire, populi animos crebris cõcionibus à Christianismo vehementer deterrebant. Hos omnes Ximenius ne quid detrimenti nouellę illę plantationes caperent, vinculis coercitos in custodia detinuit: & quod eius ingenio repugnabat, indignis modis tractari permittebat. Inter hos Zegri quidã, partim ob generis nobilitatem, partim ob egregias animi & corporis dotes, authoritate præstabat. Nam sermone hominum iactabatur, è patritia illius Abẽhamaris familia, qui rhythmis vernaculis passim à nostris hominibus decantatur, rectam originẽ trahere. Is magnopere assidua cõtra suos increpatione Ximenij pios conatus retardabat. Qua de causa decreuit Ximenius, omni ferè humanitate deposita, seuera in eũ ratione animaduertere, & ei quem comitate & beneficentia nullo modo potuerat placare, atrocia remedia admouere. Data est cura ci curandi hominem Petro Leoni, Ximenij à sacris ministro, qui verè animo leonino præditus adeò fortiter in ea re se gessit, vt hominem alioqui ferum, & immani animi truculentia reluctantẽ, mãsuetum & humilẽ reddiderit, prorsusq; Ximenij voluntati obtemperãtem. Nam aliquot post dies, siue impotentia difficilis cõuinctus, siue potius diuino ad id inspirante fauore, qui omnibus hominibus ad salutem pręsto est, Zegri ad Alfaquinum Christianorum (sic enim dixisse memoria proditur) se deduci quamprimum postulat. Deducitur vinctus vt erat, & squalidus: qui à Ximenio petijt, vt quò posset liberè eloqui, vinculis illum iuberet exoluere: neque enim quicquam pro rato habendum esse, quod ab homine captiuo compedibus & manicis constricto diceretur. Ille vinculis leuatis, continuò genubus

nubus volutatus, terram primùm, deinde manum propriã, ex Maurorum ritu à prisca gentium adoratione dimanante, deosculatus, se velle fieri Christianum dixit: id enim sibi ea nocte manifesta visione ab Alà (itã enim Mauri Deũ vocãt) admonitum: seq; diuinitus ad eã rem vocari certò scire. Quod tunc proculdubio se declaraturum esse cõfidebat, quando tale quippiã accidisset, vbi eius fides erga Christianos exposceretur: vt interim taceret, quantũ momenti ad rem quam in præsentia parabat Ximenius, sua ad Christũ cõuersio allatura esset. Sed nę ego ridens (inquit) stultus sum, qui aliunde momẽta requiro, quã ab hoc tuo ferocissimo leone, cui si nostri semel cõmittãtur, nemo erit, qui non illico Christianus fiat. Hoc autem renidẽti vultu, quasi subnotare vellet leonis erga se acerbitatem. Lętior ea de re quàm credi potest Ximenius, ablatis captiuitatis vestibus, totoq; illo pędore absterso quem ex diuturna eaque grauissima custodia cõtraxerat, veste coccinea, & sericea indutũ, ad sacrum fontẽ venire iubet. Vbi ille per baptismũ reuiuiscens, nomen simul cum religione mutauit: & Gõzalum Ferdinandiũ Zegri se appellari voluit: quoniam olim adolescens, in latissima illa planitie quę ante vrbẽ Granatam est, cum magno Gonzalo Ferdinandio, forti dimicatione & ancipiti certamine, manum conseruerat: viresq; ducis pręstantissimi cum singulari humanitate expertus fuerat: & potissimũ in gratiã optimi Antistitis, quem magni Gonzali amicũ, ob eius excellentiam, esse sciebat: certè illum officijs non vulgaribus, in sui amorem pellicere curauerat. Qua de causa cum paulò ante Neapolim Gõzalus magna instructus classe iterum nauigaret, regnũ illud è Gallorũ faucibus, quod irritis fœderibus factis, per vim & fraudẽ occupauerant, erepturus: itineri accinctus ad Ximeniũ venit: nihil prosperũ sibi fore existimans, si Antistite optimo & sibi amicissimo insaluto oram soluisset. Commodissima accidit Ximenij consilijs hęc Gõzali Ferdinandi Zegri conuersio: nam simul atque id vulgatum fuit, Mauri quibus prisca superstitio cordi erat, animis mutatis, Christianismo initiantur. Tantum potest vnius hominis apud populum authoritas, qui sua virtute & animi pręstantia fidem sibi & amorem inter suos peperit. Quinquaginta millibus nummũm in singulos annos à Ximenio Zegri donatus, non modò Christianæ religioni apud suos dilatandæ, sed & Reipub. cõmodis augendis multis in rebus postea vsui fuit: quemadmodũ in Ferdi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ferdinandi regis catholici historijs traditur. Hoc successu exultans Ximenius,occasionem tam commodam vrgendam,& totum Mahumetanum errorem penitus ex animis illorum,quãdo opportunitas dabatur,extirpandum esse ratus,nihil illorum opiniones morabatur,qui inueteratam consuetudinem paulatim aboleri consultius esse censent:id enim tantum in rebus parui momenti,& vbi de animarum salute non agitur,locum habere existimabat. Ergo Alfaquinis ad omnia obsequia eo tempore exhibenda promptis, Alchoranos,id est suę superstitionis grauissimos libros, & omnes cuiuscunq; authoris,& generis essent Mahumetanę impietatis codices,facilè sine edicto,aut vi,vt in publicũ adducerẽtur impetrauit. Quinq; millia voluminum sunt ferme congregata, quæ varijs vmbilicis, punica arte,& opere distincta,auro etiam,& argento exornata,non oculos modo,sed animos quoque spectantium rapiebant. Multis eis se donari à Ximenio petierunt, sed nemini quicquam concessum est. Ignibus omnia,publica in pyra,ad vnum exuri, prętерquam aliquot ad rem medicam pertinentia,cuius gens illa,non sine magno profectu studiosissima semper fuit,quæ propter saluberrimæ artis dignitatẽ,ex incẽdio illo liberata,in Bibliotheca Cõplutensi nũc seruãtur. Hactenus quidẽ prospero eui su Antistiti nostro propositũ successerat:& quãuis res difficillimas & grauissimas sit aggressus, incõparabili tamẽ prudẽtia,qua semper est vsus, omnes ex voto consecerat. Nõ deerant tamẽ quibus indignũ esse videbatur,prorsusq; ab instituto Christiano alienũ, quenq̃; per vim aut huiusmodi artibus, ad fidẽ Christi capessẽdam adigere,cuius vnicus scopus mãsuetudo est, & prompta in primis,ac syncera volũtas. Cũ præsertim Toletanis cõcilijs,quorũ tam celebris apud omnes Christianos authoritas est, seuerè admodũ sancitum sit,nemini vim ad credendũ Christo inferendã. Cętерũ ille cõsiliũ in ea re suũ secutus fuit,pauloq; post ad durissimum scopulũ allidẽs,vt in rebus humanis,quoties aliquid pręclarũ tẽtatur,parata semper inuidia est,quę ardua quęq; negotia subuertit,milleq; impedimẽtis obsistit,animi sui cõstantiã ostendit,quãtumq; robur pectori inesset,in acerbissimo casu declarauit. Est in vrbe Granata locus,qui Albaizinus à Mauris appellatur,regio præruptа,& reliquę vrbi imminẽs,& suis mœnibus ab eadẽ separata,quę domorum plusquã quinque millibus habitatur. Illuc fortè fortuna, quidam ex Ximenij familia venerat, cui nomen Salzedus erat, duobus

duobus ministris comitatus, ex ijs qui pedites Ximeniũ præibãt. Hos Albaizinenses aliquot conspicati,qui iam dudum priuata aliqua de causa Salzedo infensi erant,verbis primum asperis & duris eos accipientes,deinde obiurgatorijs,& contumeliosis,postremo vesanis,& furore plenis,mutuo sese cœperunt accendere,& in eã tandẽ rabiem deuenerunt,quæ mentis aciem & rationẽ obscurans,vulnera demum,& homicidia patrat. Pedites igitur duo illi ministri ferro sunt miserabiliter confossi,eademq; Salzedũ fortuna secuta fuisset,nisi cõmodũm se proripuisset,& Mauræ mulieris beneficio sub lecto occultus tantisper delituisset, quoad ille tumultus sedaretur. Sed non ita facilè sedari potuit, nam clamoribus hinc inde increbrescentibus, cũ adhuc captiuorum pectoribus dulcissimæ libertatis imago obuersaretur,occasionem eiusdem recuperandę sibi dari auidè exoptantibus,cœpit vniuersus Albaizinus concuti,& hinc & inde arma cõclamari. Excita demũ tota ciuitas est,& omniũ animi ad res nouas erecti,nihil magis quã defectionem minabantur. Augebatur in singulas horas furor,quòq; minus resisti poterat, eò maiores vires capiebat. Superuenit interea nox,quæ omnia incommoda auget,sed timori potissimũ incremẽta magna addit,animis bonorum vltro sese cõtrahentibus,& faciem illã tenebrarũ formidantibus. Mali verò homines per noctis licentiã pudore ac metu liberi citra vllius reuerentiã,impunè quidlibet tẽtare audẽt. Quare illico vniuersi Granatẽses,siue quòd dissimulãter Ximenio tanquã suę superstitionis euersori infesti,irã & odium iamdudũ occultabant, siue potius quòd ex eius familia suos illos riuales esse agnouerãt, quibus cum nuper ad Albaizinũ contentio habita fuerat, domũ Ximenij obsidere instituunt:& quem paulò ante cantilenis per vicos celebrabant,liberalitatẽ eius prædicãtes,quam in se demerendis nullis sumptibus parcens exhibuerat,nũc quæ vulgi leuitas est,mutatis animis domũ eius cingunt,eumq; è medio tollere volunt,aut certè vniuersam eius familiam,cui oppidò quam indignati erãt. Suadebant plerique Antistiti,vt turbarum furorem in tẽpore euitaret,protinusque ad Alhambram se conferret,id est vrbis Granatensis pręsidium,vbi cohortis prætoriæ dux cum electissimis militibus ad tuendã ciuitatẽ excubat. Pium consiliũ refutauit Ximenius,indignumq; sua grauitate duxit,sedes aliò ea nocte mutare, cùm pręsertim periculũ esset,ne eo absente in familiam seuiretur. Idcirco ad omnem fortunã paratus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

paratus,maluit cõmunem euentum cum ſuis expectare, quã quicq̃; alienum ſua conſtantia facere. Nox illa fuit terroris plena, totaq; in ſomnis peracta eſt. Nam fidi famuli pro hero ſoliciti, herus contra illorum curam gerens,mutuis officijs ſibi proſpiciebant:nihilq; eſſe in tanto metu remittendum arbitrabantur,quod ad ſalutem ſuam pertineret. Vt autem aurora diluxit,quoniam tumultus duraturi videbantur,Tendillano comite ad ſe accerſito,qui Alhambræ cuſtodię præfectus erat,ciuitatis curam magnopere commẽdat, atq; ſuos prætorianos milites,qui ducenti plus minus habebantur,vt paratos in procinctu habeat. Ipſe interim prudentia ſua omnia tentare,nullum lapidem non mouere,nunc Alfaquinos, nunc turbas alloqui, ſemperque noſtris ſpes bonas oſtendere,vt facilè eos motus comprimendos,priſtinamq; vrbi ſerenitatem Deo Opt. Max. annuente reſtituendã eſſe crederent:quod tamẽ ante decimũ diem factum non fuit. Neque enim quanuis omnẽ diligentiam,omneq; ſtudiũ ille adhibuiſſet ante id tempus pacari potuit. Tertiò ſtatim poſt cohortã ſeditionem die,cũ vellet Ximenius nuncium quàm velociſsimũ ad reges mittere,quo de his omnibus quemadmodum acciderant edocerẽtur,iãq; iter adornaret,acceſsit vir eius ciuitatis patritius Ciſnerus nomine, qui ſe Ethiopem habere dixit, pedibus in ſingulos dies octoginta quatuor millia paſſuum, ſi opus eſſet, facilè conficientem:cui ſi negotium demandaret, intra biduum reges proculdubio literas quas mandaret recepturos affirmabat. Facilè Ximenius perſuaſus eſt,& Ethiope ad ſe venire iuſſo literarum faſciculum dat,quẽ in manus reginę, aut ſi id minus liceret, Almazano regio ſecretario traderet. Digreditur omnia promittens Ethiops, qui vt eſt hominum ſordidorum ingenium,nihil ſuam exiſtimationem reputãtium,ad ſecundũ,aut tertium diuerſoriũ ſeſe epulis & vino obruẽs, in ſequentem diem iacuit. Quinq; dies pręterierant neq; vnquã Hiſpalim quo mittebatur peruenerat. Accidit id periniquo fato Ximenio,ſed vt nõnullis videbatur,cõmerito,qui miſero homuncioni, & vt genus id hominum eſt,non ſatis mentis compoti,tantam rem cõmiſerit. Quanquam ingens turbatio homini quantunuis cõſtãti ſolet mentis dimidium eripere. Nam cum varijs curis diſtrahitur animus, mirum non eſt ſi omnia non præcaueat. Peruenerat interea ad reges Granatenſis tumultus fama, eumque multis partibus auxerat, totam ciuitatem rurſus in ditionem Maurorum veniſſe,

& tam

tam atroci, & grauiacturę Ximenium Toletanum Antiſtitem occaſionem omnem dediſſe, dum ſtudio nimis pertinaci Mauros, homines adhuc rudes,& traditionum ſuarum tenaces,nullis præmiſſis catechiſmis,aut doctrinis, ſubitò vellet Chriſtianos fieri. Stupor in primis reginam tenebat,quæ ferme iam rumoribus credens, de Antiſtitis ſui prudentia dubitabat,cùm ab eo nihil per tot dies renũtiari,nihil quod factum excuſaret,aut afferri, aut ſcribi videret. Regem verò,cui tot ingentibus laboribus,tot difficultatibus,vrbis illius expugnatio conſtiterat,grauis quidam dolor occupabat,adeò vt irã conceptam non diſsimulans, indignabundus ad reginam quę Ximeniũ excuſabat diximſe vulgatum ſit. En tot maiorum noſtrorum, & noſtros triumphos,Hiſpanę nobilitatis ſanguine, & ſudore partos,ob Ximenij tui ſtultam peruicaciã, momento temporis diſsipatos,& euerſos. Hęc regis tam iuſtã,vt tunc omnibus videbatur increpatio eò mentem reginę acrius pupugit,quoniam nondum coniugis animo excidiſſe ſentiebat Alphonſi Aragonij filij honores præreptos,& Ximenij pręlati iniuriam. Anxia igitur animi regina,literas doloris,& querimonię plenas ad Ximeniũ quamprimum dedit. Quas cùm ille recepiſſet,tandem ſecum cogitare cœpit,quantũ rebus detrimenti proueniret ex ignauis & ſocordibus miniſtris: ſi quidem impuri Ethiopis cauſa, laudem ſuam & authoritatem, in offenſionem & contemptionem apud reges veniſſe animaduertebat. Qua de cauſa deinceps cauit, vt probos & ſtrenuos homines, vel ad minima quæque negotia ſuſciperet,hoc ſępe numero inter familiares dictitãs. Qui operã exactã in cõficiendis negotijs captat,exactos etiam ad ea miniſtros cõquirat oportet,magnoq; illos in pretio habeat. At qui facilè quoſlibet ſine examinatione ad ardua,vel leuia tractanda ex ęquo admittit,is plerunq; rẽ malè gerit,nec habet quem accuſare poſsit negligentię, pręter ſeipſum. Ergo vt regum indignationem,& conceptam iracundiam mitigaret, Franciſcum Ruizium ſodalem ſuum cum mandatis Hiſpalim ad reges miſit,ſtatim ſe illuc venturum promittens, rationem omnium illis redditurus ſimul ac motus Granatenſes reſediſſent. Adeò rem omnem Ruizius à principio eleganter edocuit, adeò ſingula per partes diſſeruit, vt regum animos, ſerie rerum actarum audita, leniuerit, & ſuo patrono priſcam beneuolentiam reſtituerit. Poſt verò Ximenius Hiſpalim veniẽs, omnẽ pręſentia ſua, ſi qua remanſerat,

offenſionem

Universidad de Deusto
Biblioteca

offensionem absterſit. Nam omne animi ſui conſiliũ, circa res Granatenſes, accuratius patefecit: quod ſe tantiſper reges celauiſſe dicebat, ne quid ſibi impedimento eſſent ad id opus quod parabat peragendum. Sumptibus igitur immodicis conſideratis, quibus profuſiſsimas largitiones in Mauros fecerat, & vitæ diſcrimine, quod ſuſtinuerat animaduerſo, cùm nullius ad id authoritate, aut imperio cogeretur, aut vllum inde emolumentum, niſi vnicam Dei Opt. Max. gloriam & laudem captaret, non ſolum omnis indignatio diſcuſſa eſt, omnisq; ratio offenſionis abolita, verũ magnę illi actæ ſunt gratiæ, quòd rem tam difficilem animo primum concipere auſus, ad exitum tam felicem perduxiſſet. Nam cum Albaizinenſes læſæ maieſtatis lege tenerentur, conditioq; illis propoſita eſſet, vtrum ſupplicium mallent, an baptiſmũ: ad Chriſtum omnes ad vnum ſunt reducti, & ſimul quicquid in reliqua vrbe infidelis turbę ſupererat. Quos omnes Archiepiſcopus Granatenſis, in partem gregis ſibi commiſſi receptos, ſedulò vt par erat, Ximenio adiuuante, Chriſtianis myſterijs per ſingulos dies imbuendos perſtudioſè & ſanctiſsimè curauit. Sacris etiam miſſarũ, cæterisq; diuinis pſalmodijs, quæ ex antiquorũ patrũ traditione, in orthodoxis eccleſijs decantãtur, eos interesse cõſuefaciebant. Sed quoniã Granatenſis Archiepiſcopus lectiones, quæ interdum ex veteri, aut ex nouo teſtamẽto, horis præſertim nocturnis occurrebant, vulgari eorũ idiomate recitari paſsim demandabat, librosq; excudi permittebat, qui adhuc ex eo tempore in noſtram ętatem durant, quibus aliquot miſſarum ſolennia, & non nullę euangeliorum partes in Arabicam linguam tranſlata continẽtur, ſecutus vt credo, quod Paulus ad Corinthios ſcripſit, Ximenius qui Paulum longè aliter interpretabatur, indignum eſſe, & pene parpiaculo dicebat, margaritas ante porcos proijcere, hoc eſt, hominibus nondum benè in religione confirmatis, ſacra noſtra irridenda, aut contemnenda proponere. Hac enim mundi ſeneſcentis, calamitoſa, & deploranda ætate, quando hominum vulgarium mentes tã longè ab illa puritate, quam Pauli temporibus retinebant, degenerarunt, nihil minus conuenire, quàm ſacroſancta illa, & non niſi à viris integerrimis, & ſanctiſsimis percepta oracula idiomatibus vernaculis vulgari, quę indocti, vt Petrus Apoſtolus ait, ad ſuam perniciem detorquent. Nam talem eſſe vulgi naturam dicebat, vt obuiũ quodq; & expoſitum contemnat, abditũ verò, & inacceſſum in pretio

tio habeat & reuereatur. Idcirco vt quæq; gens prudentiſſima fuit, ita quam longe à myſteriis ſuis profanum vulgus, & turbas arcuiſſe, quin & ipſum Chriſtum, ſapientiam ſummi patris, multa quoq; non alia cauſa in parabolis dixiſſe aſſerebat, quam vt à turbis imperitis abſconderet, ſuiſq; diſcipulis ſeorſum reuelaret. Placere quidem ſibi eos ſermone vulgari libros circũferri, qui ab hominibus pijs ſcripti, aut optimorum exemplorum enarratione, aut ardentibus verbis, & grauibus rationibus, prudentiq; adeo, & maturo dicendi ſtylo animos prorſus deiectos excitarent, & ab his rebus, quæ ſenſibus ſe offerunt, ad illa diuina contemplanda reuocarent, quales ipſe in vulgus edendos, quam primum eſſet otium, meditabatur. Cæterũ nouum & vetus inſtrumentum, in quibus multa ſunt, quæ doctum & attentum lectorem, caſtumq; & pium hominem requirunt, tribus illis linguis aſſeruanda eſſe, quas non ſine maximi myſterij cauſa cariſſimi filij capiti, in acerbiſsimo quod patiebatur ſupplicio, Deus opti. max. ſuperponi voluit. Iam verò diuinãs affirmabat, tũc demũ magnam chriſtianæ religionis perniciem adfuturam, quãdo vtriuſque teſtamenti oracula, in vernaculas linguas vulgarentur. Id enim peſſimis quibuſq; vulgarium hominum ignorantia abutentibus, ad vniuerſum catholicæ eccleſiæ ſtatum labefactandum, paratam occaſionem ſubminiſtraturum: cum nihil ſit facilius, quam ſtultæ plebeculæ imponere, ſapientiæ præſertim opinionem ſibi ex vulgatis myſterijs arroganti. His tam prudentibus Ximenij dictis, nonnihil ab eius conſilij progreſſu temperatum eſt, quanuis eis, qui Talabricenſi fauebant viſa ſint paulò duriora. Cæterùm plusquam vellemus veracem Ximenij ſententiam, rerum quas cernimus euentus, comprobauit. Magnæ deinceps apud omnes venerationi Ximenius eſſe cœpit, ſiquidem tam graui affectus incommodo, & tam arctis anguſtijs circumuentus, neque ipſe animo defecerat, neq; ſe in latebras abdiderat, aut regum ſuorum conſpectum fugerat. Porrò plus mentis acie videre, quàm ſolent homines credebatur, quòd re ancipiti, neque plane confirmata, barbara ciuitate adhuc ſuum Mahumetũ ſpirante, tantã animi contentione vt Chriſti doctrinam amplecterentur, laborauerat & effecerat. Idem ferme conſilium Fernandus Corteſius ampliſſimi imperij Mexicani expugnator, cuiuis antiquorum Imperatorum ęquandus, ſiue longiſsimam, eamq; difficillimã ad ignotas terras nauigationem, ſiue rerum geſtarum magnitudinem

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem consideremus,secutus proditur:qui incredibili audacia, & ingenti Christianæ religionis amore,simulatq; vrbem aliquam in potestate ceperat, illico templa feruidus intrabat,& cunctis attonitis animiq; eius præsentiam admirantibus,aris dæmonum expiatis,eorumq; imaginibus euersis,Christi crucem reponebat:illamq; adorãdam prædicabat,viq; adhibita,repugnantes nonnũquam cogebat. Ordo rerum à Ximenio gestarum me admonet,vt quid ad harũ gẽtium tunc repertarum,salutem & vtilitatẽ,ab optimo antistite excogitatum sit,paucis exponam. Nonnullis ante annis, quàm hæc, quæ modo dicebamus fierent,Christophori Columbi Genuẽsis solerti industria,incogniti orbis notitia ad reges nostros allata fuerat. Vbi cũ multa grauia & christianis hominibus indigna per nostros duces,& centuriones,reliquumq; itẽ Hispanorũ militũ vulgus,qui illuc commeauerant, patrari nunciarentur aduersus illas gentes,alioqui imbelles,& inermes,statim Ximenius,dum Hispali apud reges moratur,cœpit cogitare,quo pacto his malis succureretur. Nam cum omnes illuc traijcientes,vnico tantummodo opũ congerendarum studio tenerentur,vnicaq; illa inexplebili auri cupidine,terras sub alio sole iacentes,quærerent,primo de deprædandis,& spoliandis miseris hominibus,& ni aurum proderent,malè mulctãdis,post de erudiendis,& Christo initiandis, maligna & perfunctoria cura agebant.Idcirco regibus Ximenius suasit,vt viros religiosos,sanctimonia,& integritate vitæ præstantes,ad eam rẽ curandam transmitterent,qui solutioris vitæ licentiam omnem comprimerent.Id statim religiosissimi principes effecerunt,& de Ximenij consilio,& voluntate cum cæteris viris, qui ex omnibus Hispaniæ cœnobijs electissimi conquisiti sunt,vnà quoq; sunt profecti Franciscus Ruizius Ximenij comes, Ioannes Trasierrus, & Ioannes Robledus, omnes Ximenio carissimi, & intimi: quorum cum ille probatissimos mores, & insignem eruditionem cum non vulgari pietatate coniunctam abunde nosset, voluit magis humano affectui pro tempore cedere, quam Christi nomini & gloriæ deesse.Multum enim interesse existimabat, per quos in tam barbaris tamque latè patentibus terris fides prima plantaretur, & coleretur. Ex his Franciscus Ruizius, cum ad cæli mutationem sustinendam parum firmo corpore esset, incommodissima valetudine vexatus, post semestre tempus, ad reges, & antistitem suum

redijt

redijt, Francisco Boadillo Hispaniolæ præfecto, in custodia secum adducto,vt repetundarum reus ageretur,& variarum criminationum,quæ aduersus illum opponebantur,apud regium senatum rationem redderet.His rebus confectis,& ad hunc modum ex voto compositis,quoniam ex Granatensibus molestijs,cæterisq; omnibus immodicis curis quas ob reipub. commodum sponte subibat,permultum tædij,& languoris Ximenius contraxerat, annuente regina,cui potissimum eius absentia molestissima erat, in diœcesim suam,à qua iam diu abfuerat,redijt. Complutum Natalem Domini celebraturus venit,qui iam supra millesimum quingentesimus secundus numerabatur. Tamen antequam Hispali discederet,cum aliquando diui Lazari Nosocomium quod extra muros vrbis de more est,inuiseret,& ægrorum frequentiæ reditus impares esse intellexisset,vt tricena millia nummũm in singulos annos compararentur,curauit:quibus eo morbo laborantib. aliqua expar te subueniretur.Dum Compluti Ximenius moratur Academię molem,quam parabat adurgens,& pontificiæ suæ ditioni omni studio & cura prospiciens,Alpuxarrenses,qui montes niuosos vrbi Granatæ imminentes incolunt,partim Granatensibus indignati,quòd cęremonias patrias reliquissent,partim ne ipsi quoque ad easdem deserendas cogerentur veriti,præruptorum montium quos habitant natura freti,defectionem adorti sunt. Hæc res non mediocriter animos regum conturbauit,nam in expugnanda prouincia, nullibi durius, aut periculosius laboratum & dimicatum fuerat. Cuncti in Ximenium denuo fremere, eiusque rursus consilium improbare,quòd pertimescendæ illius seditionis causa & origo videbatur. Idcirco per literas à regina reuocatus rursus Granatam venire cogitur, operibus ædificiorum quibus intendebat,interruptis. Quò cùm iter studiose faceret, antequam ad vrbem Granatam peruenire, omnem tumultum regis virtute sedatum fuisse,& Alpuxarrenses, totumque illum saltum habitantes, qui à colore Sierra Vermigia nostra tempestate, olim Orospeda Græco nomine propter tramites rupibus impeditos est appellatus, acri prælio & cruento deuictos, tandem Christi sacra suscepisse per amicorum literas agnouit. Cuius rei nuncio lætitia magna, vt æquum erat, affectus fuisset, ni Alphonsum Aguilarium, magni Gonzalui fratrem, in eo prælio occubuisse intellexisset,

1502

√ Sierra Vermeja olim Orospeda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum ſtationem quandam tempore incommodiſſimo tueri contẽ dit. Nam noctis tenebris occupatus, & imbribus penè obrutus, miſerabiliter montis faucibus intercluſus, trucidatus fuit. Cecidit pugnans innumerabilibus vulneribus confoſſus, & poſtremò immaniſſimi hoſtes eius cadauer in fruſta diſſecuerunt. Periit ſimul magna familiarium, ac fidorum manus, qui vt illum defenderent fortiſſimè depugnarunt. Permultum ea victoria animos Ximenio obtrectantium placauit, qui totam illam querimoniam de Mauris ad ſacra noſtra coactis depoſuerunt. Ximenium Granatam ingrediẽtem reges benigniſſimè ſuſceperunt: cui in Alhambrana arce, vbi catholici reges diuerſabantur, locus ad manendum eſt datus: omnique genere comitatis, & fauoris liberaliter eſt tractatus. Dum igitur duorum ferme menſium ſpatio, arcanis grauiſſimisq; de rebus cum regibus aſſiduè agit, & cum nobilioribus ex Maurorum gente hominibus, qui ſe hortante Chriſti religionem ſuſceperant, libẽter verſatur, & fidei chriſtianæ ab eis rationem expoſcit, in morbũ grauiſſimum hac de cauſa (vt creditur) incidit. Eſt vrbs Granata nõ quidem à malo punico hiante dicta, vt vulgò creditur: nam Granata Maurorum lingua horreorum domus eſt, vt periti illius ſermonis interpretantur, fabellam ad id per vetuſtam recenſentes, de principe fœmina, quæ antiquæ Illiberis incola, ex cuius ruinis Granatam eſſe ædificatam volunt, ſua illic frumenta recondebat. Tota vrbs quinque collibus aſſurgit: in medio Alcazaba, & Alhambra eſt, quæ ex altera parte turribus Vermigijs, ex altera verò Albaizino clauduntur. Hic in duo iuga diuiſus, quintum monticulum ad ſeptentrionem conſtituit: cui horti, quos Hinadamares vocant, iunguntur. Imminent vrbi montes perpetuis niuibus tecti, quos Serram niuoſam vocant. Alhambra regiam & prætoriam cohortem, eiusque præfectum (vt ſupra demonſtrauimus) tenet. Quę quoniam loco excelſo poſita eſt, ventis tenuibus aſſiduè perflatur. Ea verò Alhambræ pars, vbi Ximenius honoris cauſa à regibus manere eſt iuſſus, latis feneſtris portisque patentibus aerem illum copioſiſsimum admittit. Vnde homo aſsiduis curis confectus, ac propterea corpore imbecillo, in ægritudinem grauiſsimam incidit. Quæ cùm longior videretur, parumq; medici remedijs vulgaribus proficerent: reges quos ſolicitudo incredibilis tenebat, lecto accumbentem ſalutarunt, & dulciſsimis verbis cõſolati,

Granata maurorum lingua horreorum domus eſt.

& bono

& bono vt eſſet animo hortati ſunt. Malè habuit humaniſsimam reginam, & Ximenij inprimis amantem, tanta virium in eo diminutio: idcirco digreſſa, agitare cum medicis cœpit, an habitaculi, et loci mutatione eius ſaluti conſultum iri crederent. Quibus in re anciptiti & parum cognita omnia tentanda eſſe ſuadẽtibus, regina per nuncios obnixè poſtulat, vt quoniam medici è ſalute ſua id eſſe ſtatuebant, quibus in capitis periculo non obtemperare piaculum eſt, mutatis ſedibus Genalariſum adeat. Is eſt locus Alcazabam verſus, extra Alhambram poſitus, viridarijs & hortis amœniſſimus, quò nimirum vernis temporibus exhilarandi animi cauſa Granatæ reges ſe conferre conſueuerant: inde quod eſt proſpectus iucundiſſimus in bonam ciuitatis partem, quæ intuentium oculos ſubiecta vrbe mira ratione, & varietate oblectat. Paruit regijs mandatis Ximenius: ſed neq; ob hoc melius ſe habere ſentiebat. Mẽſis vnus iam elapſus erat, poſtquam ille Genalariſum migrauerat: in dieſque deteriori valetudine vſus, morbo vires maiores aſſumente, Maraſmum grauiſſimum contraxit: in idq; febris genus incidiſſe videbatur, quę Græco nomine hectice appellatur: quoniam oſſibus inhærens, conſueta & familiari tabe vix ſentitur, donec corpus exedit. Nihil medici interea inconſultum, nihil intentatum aut inexpertum relinquebant. Regina ad illum, quod eximiæ cuiuſdam beneuolentię indicium erat, iterum viſendum anxia diuertit. Omni ſermonum genere iacentem confirmat, beneq; eum ſperare iubet. Sed morbi importuni & ſæui, principum hominum præſentiam non verentur: nihilque minus illis deprecantibus aut iubentibus, in mortalia corpora ſæuire deſinunt. Erat ferme ad maciem extremam redactus Ximenius, medicis omnibus nihil ſe amplius ad eius ſalutem præſtare poſſe apertè profitentibus. Fortè nobilis ex Mauris mulieribus fœmina Franciſca nomine, quæ quondam Chriſti ſacra, Ximenij luſtrica aſperſione, inter cæteros ſuſceperat, & quã Zaualio ſportularum & penoris præfecto, fideliſsimo ex ſuis miniſtro, matrimonio collocauerat, dum ad multam noctem in Ximenij cubiculo intimorum familiarium colloquijs intereſſet, de eius valetudine inter ſe tractantium, ad Ximenium, illis aſtantibus acceſsit: & noſſe ſe (inquit) Granatæ permultos rei medicæ peritiſsimos, qui nulli medicorum Chriſtianorum cederent, ſed potiſsimùm mulierem, hac de cauſa in magno pretio apud omnes habitam: quæ lõ

Universidad de Deusto
Biblioteca

gæ ætatis beneficio edocta(erat enim plusquam octogenaria) sine vlla venarũ sectione,& sine vllo pharmaco,solis vnctionibus morbos depelleret,corporaque in pristinam sanitatẽ restitueret. Quòd si eam liberet accersiri,non dubitabat,quin Deo fauente, salutem esset recepturus.Placuit Franciscæ oratio.Et quoniam salutis dulcedo magna est,etiam eius spes hominum animos mirè afficit: vnde cuiuis se medicum profitenti,quod viri sapientes iam olim annotarunt,incunctanter fides habetur.Sed non tam id facere exoptatæ salutis imaginem alij existimant(quanquam est omnibus ea suauissima) quàm sinistram opinionem de medicis vulgò conceptam plerunque temere se gerentibus. Neque enim multum referre existimatur,his aut hominibus imperitis,æquè vtrisque in tenebris errantibus,desperatam salutem committere. Accersita illico est vetula, quæ venis exploratis,& ventre pertentato,non esse medicis insultandum, dicit,si morbum periculo & difficultate plenum artis vi depellere nequiuissent:se tamen,Deo auxiliante,sub cuius tutela tantus vir spiritum ducebat,sperare ante octo dies ad pristinam salutem Ximenium reducturam,vnctionum duntaxat, & herbarum beneficio.Vnum tamen interea præmij loco deposcere,vt id medicis inscijs ageretur:qui authoritati suæ consulentes,huiusmodi medelas ab illiteratis hominibus profectas verbis atrocibus consuessent improbare:statimq; ad artis suæ prescripta,pugnis quibusdam verborum,quarum illa imperita erat,omnem rem deducẽdam curarent.Quod etsi illa parum morabatur,remediorum suorum nẽpe conscia, permultum tamen ægrotantis interesse,ne quid ei scrupuli aut suspicionis ex illorum dictis suboriretur:quasi verò dona sanitatum,non magis numinis beneficio,quã ope vlla humana cõparentur.Equũ postulare visa est mulier:& ne quid deinceps medicis innotesceret,curatũ est.Ergo per noctis tenebras iã omnibus digressis,sedula anus ad Ximeniũ veniebat:eumq; nemine repugnãte vnctionibus fouebat:leniterque oleo condito perfricabat: donec tandem assiduis medelis,intra octo dierum præscriptũ tempus, fidem suam mulier liberauit.Namque omni febri liberum Ximenium hilaritati solitæ restituit: & qui se in lecto vix mouere poterat, iam pedibus ambulare gestiebat:quod per probam seruatricẽ facilè cõcessũ fuit.Interim tũ dũ firmior reddebatur, gestatione vti iubet:& ante meridiano presertim tempore,quà flumen Darrus preterfluit,

Vetula Sarracena Ximenium agrauissimo hecticq; morbo sanauit.

animi

animi securus & trãquillus,vt aliquot spatia obãbulãs cõficeret.Nã à maioribus longo experimento obseruatum erat,Darri auras adeò salutares esse,vt vel vnico earum remedio,sepe ægri desperati cõualuerint: & idcirco grabatis decumbentes quando aliter fieri nequiret,ad ponticulum Darri educi solitos,qua iter ab Alhambra ad Alcazabam est.Est enim riuus alioqui aurifer,quod ipso nomine indicari ferunt,de auro in Darrum per Arabes mutato,barbarè nimirum prolata voce. Quod ego quamuis argutè excogitatum,non tamen esse verum existimo,sed fortasse greca potius nomenclatura, quales multæ passim in vernacula lingua seruantur,Darrum quasi Diarrheon dictum,quòd inter Alcazabam & Alhãbram fluat, vrbemq; interscindat,ad differẽtiam Singilis fluminis,quod ad turres vermigias per campum,qui à rege appellationem habet,ab vrbe distans nonnihil feratur.Cùm verò paululum vires confirmasset, vt quam primum in patriam terram cõtẽderet monuit, familiarium locorum beneficio pristinam salutem prorsus habiturus.Facta sunt omnia ex eius præscripto,nam illico adhortantibus regibus,Ximenius in Castellam profectus,antequam Complutum quò iter instituerat veniret,integra iam sanitate fruebatur.Ibi ergo patrij celi indulgentia,& otij nunquam antea concessi beneficio, rursus animũ ad cœpta opera conuertit.Sed quoniam in eum locum,ex omnibus reip. Christianæ Gymnasijs,bonas literas iãdiu ab Hispania exulantes reducendas, vt diximus,curabat, ad Complutum exornandum sese comparauit.Igitur viam illam, quæ maxima appellatur, rectitudine & longitudine conspicuam,cœno ex aquarum pluuiarum sordibus,que propter loci planitiem stagnabant,oppletam,lapidibus vniuersam sterni iussit, & medio alueo paulùm deprimi, quo aquæ præcipites sensim laberentur,illamque puram & vicinis domibus innocuam relinquerent. Hanc aliquot post annis Alfonsus Fonseca, tertius à Ximenio antistes, vir politioris vitæ, & totius elegantiæ gnarus, ad eam pulchritudinem, quam nunc cernimus, reduxit, ablatis ligneis columnis, & earum loco marmoreis substitutis. Aiunt tunc animum fuisse Ximenio, viam illam maximam ad portam vsque Mantuanam cõtinuare,omnibus edificijs queſese obiter obijcerẽt dirutis,sed negotiorũ multitudine,rerũ q; grauiorũ interuẽtu,quod ꝓposuerat nequaq̃ effecisse. Interea dũ hæc gerebãtur,Frãciscus Ferrera,Cõplutẽsis ecclesie abbas,q quarto

Datti nomenclatura.

 fermè

Universidad de Deusto
Biblioteca

ferme ante anno Romam missus à Ximenio fuerat, de Academiæ Complutensis erectione cum Romano Pontifi.acturus, vir sanè industrius, & ad congressum potentiorum aptus, obtentis literis, diplomatibusq; illis quas breues vocant, ad eam rem conficiendã necessarijs, ad Ximenium venit. Eæ partim Alexandri sexti, partim Iulij secundi indulgentia omni benignitate, omnibus gratijs & fauore refertæ, liberalissimè concessæ sunt. Quas postea Leo. X. ingeniorum, & studiorum magnus fautor, incrementis multis confirmauit. Fuit enim Ximenius quo tempore vixit, summis pontificibus carus, tum propter summam in sedem apostolicam perpetuò reuerẽtiam, tum propter non vulgaria, in eosdem priuatim officia, de quibus suis in locis dicemus. Sub hæc eadem tempora Philippus catholicorum regum gener, & Ioanna eius vxor Fontarabiam, extremũ Hispaniæ oppidum & Galliæ oppositum, quod priscum Olearsum fuisse creditur, peruenerant, literis accersiti, ob magna reipub. negotia. Philippus, vt prẹgnanti Ioannẹ consuleret, iter per Gallias eo tempore facere instituit: vbi comiter per Gallum accepti, omniq; regia magnificentia tractati, in Hispaniam dimissi sunt. Post quã Toletum principes nostros venire, vt ibi hẹreditariæ successioni, à populis Hispanis destinarẽtur, Ximenius literis reginẹ certior factus est, quæ iam Toleti eos opperiebatur, cõtinuò Compluto discedens Toletum, nouis principibus, cum cæteris omnibus Hispaniæ proceribus, qui illuc conueniebant, reuerẽtiam exhibiturus venit, & aduentum faustum eis gratulaturus, qui tam longinquis regionibus emensis, Diuis iuuantibus, incolumes tandem in suam Hispaniam venissent. Per octo ferme dies, quibus Ximenius principes antecesserat, omnem curam intendit, vt senatus, populusq; Toletanus, tanto imperio designandos principes, quàm splendidissimo posset apparatu ad se primò venientes exciperet. Fecit id sedulò officiosa ciuitas, regibus suis demerendis alioqui propensa, nam per omnes vicos, & vrbis plateas, publica lætitia certatim ab omnibus colebatur. Ximenius eo quo ingressi sunt die, qui anni millesimi quingentesimi secundi, septimus Maij numerabatur, pontificalibus ornamentis indutus ad templi vestibulum, intra portam indulgentiarum, vbi ara pro tẽpore extructa crucis signum rasili auro & mira gemmarum copia ornatum ostentabat, venientes opperiebatur. Postquam prostrati crucem adorarunt, à Ximenio venerabundè sunt erecti & ad tem-

pli

pli aram maximam deducti, vnde post preces ad Deum fusas, in regiam ad parentes profecti sunt. Quinq; ferme menses Toleti ea de causa moratus Ximenius est, parum quidem aulicas delitias curans, cæteraq; hominum militarium oblectamenta, quibus per eos dies, regius comitatus sese exhilarabat. Ergo intentionem ad ea conuertit, quæ iam diu animo meditabatur. Intelligebat sanè vir prudens sacrorum voluminum lectionem, quæ Biblia Græco nomine passim appellantur, cunctis qui sacris initiati sunt, sed præsertim theologis maximè esse necessariam, nullibiq; magis eosdem illos rerum theologicarum studiosos dormitare, quàm in ea versanda tractandaq;, idq; potissimum è trium linguarũ ignoratione prouenire Hebraicæ, Grecẹ, & Latinẹ, quibus non solum quicquid scitu dignum est, in omnibus disciplinis profanis est proditum, sed sacra omnia continentur. Diuinabat vir prudẽtissimus, in tanta hominum nostrorum inertia, diuinas literas negligentium, impios homines quã primum exorituros, qui earum lectione armati, & ad suos affectus detorquentes, Christi ecclesiam ausu quidem nefario, & immani, à nostra tamen imperitia profecto, impugnare, & euertere tentarent. Quin antiquissima quæq; Christianẹ religionis tempora secum reputans, diuina prouidentia ita esse factum videbat, vt quemadmodum à prudentibus imperatoribus ex hostium cum quibus dimicãt pugnandi natura, ratio, & consilia sumuntur, ita quoq; aduersus dẹmonum artes, qui ingenijs humanis percallide abutuntur, remedia quoq; ex eodem fonte petenda esse. Christus enim opt. max. vnde omnis sapientia ad homines emanat, sanctos ecclesiẹ Christianẹ patres per quasdam doctrinarum vicissitudines, aduersus emergentes hostes conuenientibus armis prudentia sua instruxit. Ximenius, qui ex publica morum corruptela, ipsorumq; adeo religionis principũ immoderantia, vulpeculas aliquas, in occulto nutriri coniectabat, qui vineam mysticam cùm minus expectaretur demoliri tentarẽt, neq; ad id aliunde comparato prẹsidio, quàm ex sacrorum voluminum perperam intellectorum, prõptuario, nõ abs re timere cœpit, ne nostri imparati, & in vtriusque testamenti libris peregrini & hospites deprehenderentur. Magni igitur Origenis diligentiam imitatus, qui hexaplis illis decantatis, omnes sacrorum voluminum, quẹ tunc habebantur, translationes in vnum cõiunxerat, editionem Bibliorum faciendam curauit. In ea veteris testamenti libri ternis co-

Complutensia Biblia

Universidad de Deusto
Biblioteca

lumnis per singulas paginas,sunt distincti.Prima Hębraicam lectio nem tenet,media vulgarem,qua nunc vtimur, tertia versionē Græcam.LXX.interpretum translatione etiam Latina illustratam. In margine verò inferiori,ne quid desiderarētur,Chaldaica,quā vocāt paraphrasis,subiecta est,latina versione è regione apposita.At nouū testamentum Græcam lectionem quàm emendatissimam, & vulgarem translationem habet.Additum est postremum volumen hebraicarum dictionum eruditum & copiosum Onomasticon, ab eius linguæ peritis valde laudatum.Id in aliquot bibliorum huiusmodi libris,quorundam incuria,qui eos asseruandos susceperant,nō sine graui iactura,desideratur.Res fuit cùm primis operosa, & magnifica,& quæ non modò tam ingentem principem,sed etiam ingentis animi virum,ad difficultates omnes euincendas rem tam arduam comitantes,requireret. Accersiuit continuò ad se homines vtriusq; literaturæ peritissimos,Demetrium Cretēsem natione Græcum,Antonium Nebrissensem, Lopidem Astunigam,& Fernādū Pintianum,Gręcarum literarum,& latinarum professores,quorum scripta & studiosa monumenta passim nunc in manibus habentur: Alphonsum medicum Complutensem,Paulum Coronellum,& Alphonsum Zamoram,hebræarum rerum consultissimos: qui cum olim inter suos publicas scholas fuissent moderati,tunc Christianę fidei sacris ex animo susceptis, ecclesię orthodoxę domestici & alumni essent, merito ad tantum negotium à Ximenio sunt vocati: quod illorum virtuti,eruditioni & constantię,meritò est commissum.Cum his viris de suo consilio sermones confert,liberalissimè impensas promittit,& singulos prēmijs propositis priuatim inuitat.Ante omnia festinandum admonet,ne vt sunt res mortales caducę,& fluxę,aut illi patrono ad eam rem promptissimo,aut ipse tam accōmodis adiutoribus priuaretur,quorum prēsentiam,& operam pluris quàm vllas pretiosas possesiones,aut diuitias ęstimaret. Accenduntur cuncti Ximenij verbis,& ab eo die,donec vltima manus fuit imposita,nihil est à viris eruditissimis cessatum. Conquisiti sunt vndiq;,vtriusque testamenti vetustissimi codices, ad quorum fidem castigatio excudendorum fieret,& vitiata loca sanarentur,& quę dubia & obscura essent illustrata collucerent.Sed potissimum adiumento fuerunt Bibliothecę Vaticanę venerādę antiquitatis apographi,quorum copia per Leonem.X.Pont.Max.benignissimè Ximenio

menio facta est,cuius iā tū magnificentiam demiratus,cœpit hominem in magno pretio habere: & eius consilium,quamuis in vltimis terris positi, quoties reip.Christianę negotia postulabant, in rebus arduis requirere.LXX.tamen translationis explicatio,partim ab aliquot Academiæ Complutensis eruditis hominibus,qui iam tūc sub Demetrio & Pinciano præceptoribus in græcis literis non vulgariter profecerāt,partim à Demetrio,Pinciano,& Astuniga, adeò feliciter confecta fuit,vt nihil à.LXX interpretibus iuxta græcam eruditionem sit dictum,qualia per multa apud eos habentur, quod à nostris in tanta breuitate fuerit prętermissum.Fuit inter hos ad hoc munus vocatus Ioannes Vergara,cui libri, quos vulgò Sapientiales vocant(vt ab eo sæpius audiui) explicandi sunt commissi:in quibus multa quæ in vulgata translatione difficilia esse videbantur,in antiquam lectionem restituit:nihilq; magis seni cùm otio fruebatur,sibi dicebat in votis esse,quā librum ecclesiastici(quem Panaretū vocant)scholijs aliquot illustrare:sed retardauit pręclarum institutum incommodissima valetudo.Durauit abhoc anno,qui.M.D.II.Christi nati fuit, annos continuos plus minus quindecim de sacris biblijs edendis cura:vt penè cum Ximenij vita,finem quoq; editio suscęperit. Vbi si per partes narrandum esset quantum laboris exhaustum sit,quantū tædij,& fastidij deuoratum à viris illis operi præfectis,in exemplaribus excutiendis,quamq; multiplici & ardua negotiorum mole Ximenius interim aliò euocaretur,nimium profectò in eis dicendis immoraremur.At illud vnum quod ad impensas à Ximenio in ea re absoluenda factas pertinet,reticendum nequaquā est.Septē hebræa exēplaria quę nūc Cōpluti habentur,quatuor millibus aureorū ex diuersis regionibus sibi comparasse, Alphonsus Zamora hebręarum literarum professor,sępe numero referebat: vt interim de gręcis & latinis taceam,quorum illa ab vrbe Roma, hęc tum ex peregrinis locis,tum ex varijs in Hispania bibliothecis, ab octingētis ferme annis characteribus Gotthicis scripta,magnis sumptibus Complutum sunt delata.Iam verò Chalcographorū & scribarum salaria,doctorum hominum non vulgaria prēmia,mercedes internuntijs propositas,quibus ad codices vetustos adipiscēdos vtebatur,assiduam deniq; subministrantium cateruam,quam adresquę insperatò emergebant expediendas sustentabat, & mille alia, quę longum esset referre, si bene quis ratione subducta numeret, quin-

Universidad de Deusto Biblioteca

quinquaginta millium aureorum,& amplius summam conficiet: quod & maiores natu frequenter dicere audiui. Hac tandem diligẽtia,& authoritate & liberalitate, opus illud absolutissimum prodijt Leoni. X. Pont. Max. dicatum, cùm in testimonium grati animi, tũ quòd vniuersa, quæ ad sacrarum literarum illustrationem pertinẽt, nemini magis quàm Romano Pont. penes quem tota ecclesiæ christianæ authoritas est, consecrari & offerri debeãt. Opus me hercule miraculo par,& cuius tanta apud omnes qui vbicunq; terrarum in sacris literis versantur, veneratio est, vt ad Complutensium bibliorũ exemplum, quicquid aliubi excuditur, certatim reuocetur: & in sapientissimorum virorum scriptis, quoties de lectione sacra controuertitur, testimonia ab eisdem petita proferantur. Hoc ergo quod diuini beneficij loco ego quidem reponendum arbitror, signo dato, mentes nostrorum hominum, atq; adeo mortalium cæterorum, ad sacras literas tractandas sese conuerterunt,& velut ex longo veterno ad sacra mysteria perscrutanda euigilarunt: quæ, vt in proœmijs huic operi per viros illos eminentissimos propositis, sapienter & copiosè dicitur, multam lucem, ne vniuersam penè dixerim, ex linguarum cognitione, quibus vtrumq; testamentum scriptum est, suscipiunt. Audiui Ioannem Brocarium Compl. excussorem, Arnoldi Guilielmi Brocarij filiũ, sæpenumero ad æquales dixisse, eo ipso die quo vltima manus à patre operis excussioni imposita fuit, se puerum eleganter vestitum cum vltimo bibliorum volumine ad Ximenium venisse: qui impendiò lætatus ita cælum suspiciens acclamauit Grates tibi ago summe Christe, quòd rem magnopere à me curatam ad optatum finem perduxeris. Et ad familiares continuò conuersus, equidem (inquit) cum multa ardua & difficilia reip. causa hactenus gesserim, nihil est amici, de quo mihi magis gratulari debeatis, quàm de hac bibliorum editione: quæ vna sacros religionis nostræ fontes tempore perquam necessario aperit: vnde multò purior theologica disciplina haurietur, quàm à riuis postea deductis. Non satis animi sui magnitudini Ximenius ingens hoc bibliorum edendorum opus esse arbitrabatur, adhuc alia secum voluebat, quę morte præuentus absoluere non potuit. Nam vt Ioannem Vergaram, aliosq; complures, qui eo tempore apud eum vixerunt, dicentes audiui, Aristotelicorum voluminum editionem parabat: vt singulæ paginarum facies ternis columnis distinguerentur: quarum prima

græca Aristotelis verba emendatissimè contineret: media vulgatã translationem: extrema verò nouam quandam,& liberiorem versionem: vt eis veluti commentarijs, scriptoris aliôqui difficilis sensus abditi illustrarentur. Nam ad earum disciplinarum cognitionẽ, quas in schola sua tractandas proposuerat, eum quoq; authorẽ per necessarium esse intelligebat. Atq; ad nouam illam versionem faciẽdam, viros aliquot in græcis & philosophicis literis doctissimos accersendos vndecunq; curasse. Huic rei inter alios qui adhuc conquirebantur, Ioannes Vergara designatus est: qui diligenter latinos fecit octo de physico auditu libros, tres de anima, Metaphysices verò quatuordecim. Hi Toleti in templi maximi bibliotheca seruãtur. At cùm bibliorum editioni Aristotelica esset successura, atq; illa nõdum absoluta Ximenius è viuis sublatus sit, mortis præoccupantis iniuria, quæ semper viris magnanimis periniqua & immatura accidit, præclari operis ingenti spe studiosos homines frustrauit. Verùm hæc ad eruditorum virorum studia iuuanda esse videbantur. Illiterata verò & imperita turba, quorum maxima vbiq; copia est, ne vanis fabulis, aut Milesiacis historijs, quibus mores corrumpũtur, siue legendis, siue audiendis, intenderet: libros aliquot sanctimonia & pietate plenos, quibus ipse se olim priuatus oblectauerat, partim latinè edendos, partim in linguam vernaculam per viros prudentes transferendos, eosq; non sine magnis impensis vulgandos curauit. Hi sunt Catherinæ Senensis epistolæ, Angelæ Fulginatis, & Metildis opuscula, Ioannis Climaci gradus, Vincentij Ferrerij,& Clarę virginis cœnobitarum suorum viuendi instituta, Christi vitæ meditationes, quas Landulphus Carthusiensis scripsit, Thomæ archiepiscopi Cantuariẽsis vita: qui omnes, si Landulphum demas, cuius adhuc memoria recens est, propter excellentem vitæ puritatem, incorruptos & grauissimos mores, in diuorum numerum relati, scriptorum suorum pietatem commendant: veraq; documenta exhibent, quibus in tanta hominum peruersitate,& in tanta omnium viuendi licentia, ad arduam illam virtutis viam rectum iter dirigere possimus Sed cùm hi libri partim ab antistite per cœnobia diuisi, partim à bibliopolis euestigio distracti fuerint, paucissimi nunc inueniuntur,& sui pretium raritate adaugent. At verò cum diuinis cantibus obeundis musici libri mutili & laceri in ecclesijs haberentur, veritus ne quando illorum inopia diuinæ laudes intermitterentur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ mirum in modum,illa præsertim simplici modulatione quam Gregorianam vocant,piorum animos religione afficiunt,in membranis vniuersam officij diuini seriem multis voluminibus excudi iussit,appositis etiam musicis notis,quæ per suam diœcesim distribuit.Hæc si nunc excudenda forent,magnis sumptibus & impensis opus esset.Durant adhuc ex illis multa,sed quæ senio,& casibus tandem conficientur, nisi alter Ximenio similis exoriatur, qui eius vestigijs insistens in integrum sarta tecta restituat. Ne quid tamen relinqueret quod ad publicam vtilitatem videretur pertinere, non solùm earum rerum studia quæ disciplinarum difficultatibus peruincendis,rebusq; grauissimis tractandis inseruiunt,sibi esse excitãda proposuit,sed etiam agrorum excolendorum,atq; adeò vitæ rusticæ vniuersa exercitia. Nam quemadmodum illis studijs animi pascuntur,ita his corpora victum,& subsidium percipiunt.Alterutris autem homines si occupentur,beatam vitam domi,forisq; agẽt. Tres fratres Talabricæ orti sunt Ferreræ nuncupati, ingeniosi sanè, & sua quisq; eorum arte eruditus.Natu maior studijs eloquentię deditus,oratoriam Compluti professus est.Secundus musicę artis studiosus, organis pulsandis in diui Ildephonsi delubro per Ximeniũ præfectus fuit. Tertius in rei rusticæ scriptoribus legendis versatus, in eamq; exercendam natura propensus Geoponicæ artis callentissimus euasit.De ea diligenter scriberet præcipit,præmijs etiam propositis,vt indocti & rustici homines,qui tunc agriculturam indignissimè tractabant,aliquid vulgari lingua quod legerent & ediscerent ad manum haberent,ne disciplina honestissima periret.Hoc ille argumentum ita fœliciter tractauit,vt iure cum priscis illis contẽdat qui græcè latinéue de ea re scripserunt.Quanti verò fiant quæ scripsit,testimonio sunt crebræ illorum voluminum editiones, nostris nimirum hominibus ea semper auidè exoptantibus. His igitur rebus,vtpote operæ,& curæ leuioris,vsq; in annum ab hoc de quo diximus quintum occupatus,aliud etiam constituit non sine magna laude.Hoc de Mozarabum sacris instaurandis fuit,cum Toleti ageret.Nam cum per id tempus cæteri(vt diximus)aulæ proceres, totusq; regius comitatus ob publicam lætitiam,ludis diuersis intenti essent,Ximenius sui templi bibliothecam inuisere statuit,vbi cõplures codices venerandæ antiquitatis,manu præsertim scriptos,asseruari certior factus fuerat.Cæterùm quoniã incõmodo,& iniquo loco

Hortata libri artis agriculturæ autor.

co positam deprehendit(nam & luce,& aura puriore carebat) libris itidẽ maligne instructã,cũ aliôqui amplissimi reditus,quibus tẽpli fabrica dotata est,illã vel Vaticanæ parẽ,vel siquæ aliæ celebres habentur,facili possent negotio facere:statim de ea apparatiùs & copiosiùs ornãda,& in locum meliorem mutanda cœpit agere. Confecisset q; sanè vir celsi spiritus,quæ proposuerat, nisi tot rerum grauissimarum cura eius animum euestigio occupasset. Relictus tamẽ est posteris locus remp.in re tã clara,& magnifica iuuandi. Neq;.n. tã ingentis ditionis princeps, qualis Archiepiscopus Toletanus est, solum cõcionibus ad populũ habẽdis,puerisúe sacro oleo ex christiano ritu cõfirmandis,& eleemosynis distribuẽdis,aut vicis suæ diœceseos peragrandis,tẽplisq; inuisendis,& id genus alijs,quę certè magni momẽti,eiusq; muneris sunt,cõtentus esse debet: sed excelsissima quęq; cõcipere,expeditiones in Mauros adornare,littoribus nostris ab hostiũ incursionibus tranquillitatẽ parere,totius regni molẽ sustinere,tumultuãtes populos sedare,reges vt præclara conentur adhortari,doctos homines & ingenia prouehere,disciplinis nitorẽ restituere,rẽ literariã pro viribus iuuare,mores deniq; prauos corrigere,bellũ vitijs omnibus indicere,eorumq; prorsus radices extirpare. Quę oĩa adeò cumulatè Ximenius prestitit,vt ad summũ fastigiũ ea dignitas tũc perducta,inclinationẽ quã videmus minata videatur. Nã inclytã illã Toletanorum presulũ authoritatẽ,quorum nutu diuina & profana in Hispania gerebatur, ab hoc tã egregiè,& cõstanter cõseruatam,successores paulatim amiserunt: nõ tã ipsorum(vt opinor)culpa,quã humanarũ rerũ natura,quę cuncta nouis rationibus ad seniũ paulatim perducit.Sed certè multa fuisse inueniet,qui res attẽtius cõsiderauerit,quæ illã Ximenio magnitudinẽ pepererunt. Anna Castella,matrona prudentissima,& in nostra ciuitate cũ primis nobilis,tria potissimum numerabat,quòd solitos reditus archiepiscopatus nullis pensionibus accisos percepisset:quod Ferdinandũ vices filiorũ gerentẽ,vicariũ potius principẽ,quã proprietariũ(vt aiũt) regẽ habuisset:cui nimirum tã necessarię fuissent Ximenij operę, q̃ Ximenio regis fauor & beneficẽtia.Vltimò q̃ his occasionibus per opportunè oblatis,animũ illi natura parẽ dedisset,vt se ea fortuna dignũ agnosceret:proq; dignitatis & rerũ magnitudine,in eis omnibus vt virũ magnanimũ decebat,se gereret.Quibus rebus tandẽ factũ est,vt totius reip.cura suscepta,ferme biennũ rerum summę pręfuerit

Universidad de Deusto Biblioteca

fuerit,vniuersis regulis & Hispaniæ populis nihil contra tentare audentibus.Sed ad templi Toletani bibliothecam,quo illũ venisse dixeramus,redeo:vbi cum singulos libros diligenter excuteret, de omnibusq; certior fieri vellet,vt si quando vsus exposceret,haud eorum codicũ inopia laboraret,fortè ad quædã vetustavolumina in mẽbranis Gotthicis characteribus scripta peruenit.Sed antequã ad ea quę circa hæc volumina Ximenius gessit,dicẽda accedo,pauca mihi de Gotthicis sacris narranda sunt.Gens Visigotthica(hoc est)qui occidentales dicebantur Gotthi,quo tempore Hispaniam penè vniuersam Honorij imperatoris permissu occupauit,cũ esset Arrianæ impietatis dogmate infecta,tantã catholicis eius prouincię ecclesijs perturbationem inuexit,vt cultus diuini in varios ritus cęremoniasque diuisi fuerint:& neq; inter orthodoxos quidem ipsos,vna vel sacrificandi vel orarias preces(quę canonicę dicuntur)psallendi cõsuetudo esset Sed postquam vniuersa Gotthorum gens Leandri, & Fulgẽtij studio,post annum centesimum circiter quadragesimum ex quo in Hispaniam venerat,antiqua impietate abdicata,orthodoxam fidẽ vnà cum suo rege Recaredo cupidissimè accepisset:pace ecclesijs restituta,de sacris communi consilio constituendis agitari cœptũ est: idq; potissimũ in vrbe regia,sic enim Toletũ post aduentũ Gotthorum,qui sedẽ regni illuc transtulerũt,cognominabant,cũ antea (vt Rodericus Toletanus pont.rerum Gotthicarũ diligens scriptor tradit)à Vandalis,& Selingis Germaniæ gentibus qui vna in Hispaniã commigrarunt, Hispalis vrbs regia, & vocata & habita fuerit.Toleti igitur conuentu episcoporum indicto(quod concilium quartũ Toletanũ fuisse ferunt)patrum decreto sancitum est,vt in vniuersis Hispaniæ ecclesijs,preces priuatę,missarum oblationes,& omnes publicæ psalmodiæ,vnico & eodem exemplo à sacerdotibus celebrarentur.Cura hunc ordinem instituendi Isidoro pontifici Hispalensi, summa tunc sanctimonia, & doctrina claro, demandata fuit. Quanquam in hoc authores variant: nonnulli enim Leandrum Hispalensis ecclesię antiquiorem antistitem ei muneri præfectum asserunt,cui Isidorus comes datus fuerit.sed illud constat, ab Isidoro eũ ritũ Isidorianum officium fuisse nuncupatum.Perseuerauit in Hispanis ecclesijs hæc sacrorum religio,quandiu res Gotthorum in ea floruerunt:hoc est,centum viginti circiter annos,vsq; ad miserandam illam calamitatem,cùm per Mauros Arabesq;, vniuersa penè

regio

regio cæde incendijsq; vastata, fusis, fugatisq; Hispanorũ copijs, in barbarorum ditionem venit.Cùm autẽ in publica clade,vrbs quoq; ipsa regia in hostium potestatem,idq; ea conditione venisset,vt oppidanis liceret Christiano ritu,legibus,moribusq; in ea viuere:quanuis pleraq; ciuium multitudo spontaneum exilium Arabicę prætulit seruituti ,nonnulli tamen quibus patrij domesticiq; lares cariores libertate fuerunt,cõditione accepta,sub Arabum &Maurorum imperio sacris suis retentis,in vrbe manserunt. Ergo eiusmodi homines quòd Arabibus permisti viuerent,Mistarabes appellati sunt, & illorum ecclesiasticus ritus,officium Mistarabum. Quæ vox cùm temporis diuturnitate, tum barbarorum lingua est corrupta, & in Mozarabum degenerauit, qua nunc vulgus vtitur. Igitur ijs qui sic inter Arabes Toleti manserunt,sex ecclesiæ in quibus rem diuinam facerent à Mauris permissæ sunt, diuorum Marci, Lucæ,Sebastiani, Torquati,Eulaliæ,& Iustæ numinibus dedicatæ: in quibus ritum illum Isidorianum,qui incolumi florentiq; ciuitate in templis omnibus canebatur,captiua etiam quadringentos ferme annos conseruauerunt,quod Toletanum officium appellabatur. At verò vrbe ipsa diuina tandem benignitate, Alfonsiq; regis Ferdinandi magni F.felicibus auspicijs recuperata,cùm de sacris in ea instaurandis restituẽdisq; ageretur,rex Ricardi Massiliensis abbatis suasu,& Constantię reginæ vxoris assidua instigatione, ritum sacrorum à diuo Gregorio olim institutum Toletano prętulit,quanuis populis clamãtibus, vsum suorum sacrorum tot seculis inter medios barbaros cõseruatum,per summam iniuriam aboleri.Quæ verò de singulari militũ certamine, altero pro Gotthicis sacris,altero pro Gregorianis dimicantium,deq; pyra in medio foro Toleti incensa dicuntur,in quam sacri vtriusq; officij codices coniecti sunt,apud alios authores qui de ea re scripserunt explicatiùs,& vberius,legi poterunt. Sed tamen vt rex animos turbarum leniret,adhuc sacra sua auferri frumentium, cùm in vrbe nuper recuperata inter varias basilicarum fanorũ,ędiũque sacrarum dedicationes,parœciales in primis (quas vulgo parrochiales vocant)ecclesiæ regionatim constituerentur, ad quas populus rei diuinę causa cõueniret,suiq; limites per vicos domosq; singulis definerẽtur,solis illis sex ecclesijs, in quibus Isidorianus ritus,vel inter hostes per tot annos durauerat, fines nulli prescripti sunt, sed sui cuiq; Mozarabes,illorumq; posteri,vbi vbi illos intra extraue vr

F bem

Universidad de Deusto
Biblioteca

bem in agro Toletano morari contingeret, immunitatibus, & priuilegijs nõ vulgaribus concessis pro parrochianis & tribulibus assignati fuerunt. Quandiu ergo illi Mozarabes eorumq; posteri floruerunt, suã quisq; ecclesiam, sacraq; gentilitia frequentarunt. Sed paulatim familijs deficientibus, ritus etiã ille deficere, & Gregorianus sensim in sex etiam illas ecclesias introduci cœpit. Tandem ergo factũ est, vt non nisi paucis quibusdam statis, festisq; diebus, eo ritu in illis sacrificaretur. Literarũ verò Gotthicarũ characteres latinis nostris non multum sunt absimiles: nonnulli enim eadem sunt forma, alij verò dissimili: quos per Gudillam quendam Episcopum, vnà cum fidei nostrę rudimentis, genti Gotthorum traditos ferunt: qui primũ Gotthici, deinde Toletani, postremò Mozarabum appellati sunt. Ferunt etiam veteris ac noui testamenti libros, in vulgarem Gotthorum linguam per hunc Gudillam translatos fuisse. Igitur cũ ad ea volumina Ximenius venisset, de re tota (vt supra narratum est) edoctus, indignum esse & graue iudicauit, sanctissimas priscorũ Hispanorum cæremonias à viris pręclaris institutas, & miraculorũ testimonijs comprobatas, in tantam desuetudinem venisse, vt iamiã interiturę esse videretur. Cœpit rem altiùs considerare: & vt erat prischarum cęremoniarum studiosissimus, Mozarabum ritus instaurandi curam suscepit: adhibitisque viris quotquot extabant eius rei peritis, primùm libros omnes quibus sacra illa continerentur, Gotthicis characteribus conscriptos, in vulgaris literaturę formam redigẽdos, impressorijsque formis excudendos curauit. Quibus nõ sine magna impensa in exempla innumera vulgatis, ad extremam tẽpli partem, occidentem versus, in ædicula quę corporis Christi dicebatur, sacellum eleganti structura ædificauit, in quo tredecim sacerdotum collegium, adiunctis tribus ministris, instituit, quos Mozarabes sodales appellauit. Hoc collegium idoneis prouentibus annuis instructũ sub capituli Toletani patrocinio cõstituit. Ipsis porrò sacerdotibus perpetuam horum sacrorum curationem demandauit: vt eo ritu singulis diebus sacrificare, horariasque preces concinere solenne esset. Ad quos & sex Mozarabum ecclesiarum sacerdotia pertinerevoluit: quę quoties vacua esse contingeret, ipsi optare possent sacerdotes, quibus illa Archiepiscopus cõferret: aliasque leges addidit, quas non est operæpretium referre. Sic ergo sacra illa per Ximenium restituta, & ab interitu vindicata sunt: in cuius restitutionis memoriam

Ximenius Mozarabi officij restitutor.

riam cenotaphium reparatori in medio sacello honorificè erectum cernitur, impendẽte desuper coccineo galero, Cardinalitij honoris insigni. Per hęc tempora, cùm nondum Toleti publica pauperum iuuandorum qualis nunc est, cura increbuisset, duo mediocris conditionis homines Hieronymus Madritus, & Petrus Zalamea, partim suis pecuniolis, partim diuitum religiosorũ erogationibus, ad quos studiorum suorum rationem deferebant, aliquot ex afflictis, & ęgrotis pauperibus, in vnum locum cogere, eisque medicorum consilio salutarem opem ministrare, miseris viduis pręsidio esse, orbitati pupillorum subuenire, milleque alia huiusmodi opera pietatis plena, Deo subinde aspirante, perficere cœperunt. Celebre statim in vrbe nostra eorum studium est habitum, nec latuit vigilantem pastorem: nam & frequenter de moribus suę ciuitatis interrogabat, & de actis singulorum inquirebat. Vocari ad se Hieronymum iubet: cuius pietatem postquam ex varijs sermonibus cum eo habitis abunde cognouit, macte animi eum esse hortatur, & vt tam salubrem occupationem non intermittat, humanissimè monet: videat etiam quibus in rebus ipse vsui esse posset, nam in eis omnibus se aut consilio, aut authoritate, aut pecunia iuuaturum, suppetiasque laturum: idq; statim re ipsa pręstitit: aliquot nummorũm millibus ad pauperum curam Hieronymo datis. Mirum est, quantum roboris & efficaciæ ex hac Ximenij pollicitatione Hieronymus ceperit: illico enim sodalitatem instituit, quę tam publicis, quàm priuatis egenorum, pręsertim quos pudentes vocant, necessitatibus pro virili succurreret: ita enim eos appellamus, qui ostiatim mendicare erubescunt, & domi nimis angustè, & arctè viuunt. Porrò cùm negotium susceptum ex voluntate succederet, Hieronymus ad Ximenium notitiam omniũ defert: qui Complutum discedere volens, liberam facultatem Hieronymo & sodalibus dat, quicquid in ea re vellent instituendi. Hieronymus de sodalitatis consecratione, deq; eius legibus agendum ratus, conuocatis sodalibus, primùm ne quid sine numinum tutela fieret, eam immaculatę Dei genitricis cõceptioni dedicarunt. Deinde communi omnium consensu sancitum fuit, vt quoniam misericors Hieronymi animus tantam rem exordiẽdi occasio fuisset, qui de nocte ad pauperes quęrendos vigilabat: posthac singulis annis, à Cal. Nouemb. vsque ad finem Martij, duo sodales cũ sodalitatis viatore, sub noctem concubiam, per omnes vrbis vicos pręeunte laterna

Hieronimus Madritus et Petrus Zalamea genuinalis hospitalis Toletani institutores Ximenij hortatu susceptum [illegible] perficiunt.

Universidad de Deusto Biblioteca

na obambularent: & quos ex vagis,& egenis hominibus ſubdio ali cubi pernoctantes deprehenderent, eos in ædem ſodalitatis deducerent. Quę ſi fortè prę hoſpitum turba anguſtior eſſe aliquando contingeret, in alia publica pauperum hoſpitia deferrent, diplomate regio quod ea de cauſa eis cõceſſum fuerat, grauia interminãte, ſi quis præfectorum hoſpitium non recluderet. Deinde permulta alia inter ſe pepigerunt, omnia ad miſerorum opem ſpectantia. Cum igitur ſodalitatem ſuam, optimis, & præclaris inſtitutis inſtructam Hieronymus eſſe videret, non ſtatim ad Antiſtitem contendit: nam vt res hominum & caducę, & mutabiles ſunt, verebatur ne ille conceptus ſub initijs ardor paulatim intermitteretur: ſed toto ferme triennio, ſodalium, ſuęque conſtantię periculum facere voluit. Quod vbi proſperè ſuccedere conſpiceret, & animos omnium magis quotidie accendi, diuinam vim tandem ineſſe ratus, ſub annum eius ſeculi M.D.V. ad Archiepiſcopum Complutum venit, ſuæ operę rationem reddituru. Ille hominis ſtrenuitatem demiratus, eius diligentia non vulgaribus verbis collaudata, quantam ex ea voluptatem ſuſceperit, priuſquam Compluto Hieronymus diſcederet opibus peramplis donatis declarauit. Nam primùm, quoniam ea tempeſtate ob ſqualidum & impluuium cælum, frugum inopia laborabatur, lectiſsimi frumenti quatuor millia & amplius modiorum, ſodalitati in vſus pauperum diſtribuendos dedit. Hæc ſumma ob immane grani pretium admirationi fuit. Idcirco ſanctę Dei genitricis conceptionis die Ximenio anniuerſaria ſacra quotannis fiunt, ſodalibus ad cœnobium Franciſcanorum ſolenni pompa venientibus. Deinde quoniam pharmacis & medicamentis ad ęgrotantium curam comparandis, vicena nummum millia, nongentos item frumenti modios in ſingulos annos quoad vixit contulit: Aſcẽſionis dominicę die, quo ille celebrem victoriam, Orano capta, ex Afris hoſtibus reportauit, in eodem cœnobio, ſolennibus ſacris laudes cęlitibus, & Ximenio offerũt. Rurſus quia tria millia nummum aureorũ dedit, quibus paſcua mirę vbertatis non longè à Talabrica coempta ſunt, quæ nunc maximos prouentus reddunt, quotidieque nouis incremẽtis augẽtur, Cal. Nouemb. ac poſtridie eius diei, ſacris in ęde propria Ximenio parẽtatur: deq; ipſius præclaris geſtis apud ſodales frequẽtes cõcio habetur. Sed quoniã eius authoritate & nutu inſtitutio ſodalitatis facta eſt, & cõdonationes ſuas (quas indulgẽtias appellãt) quo maiori religione ſodalium animos deuinciret, ille quoque conceſsit: in Auguſtinianorum cœnobio, ſub idibus Auguſti, ad aram virginis matris, quæ Gratiæ cognomen habet, in Ximenij memoriam feſtum diem concelebrant, ſtipe quinquaginta pauperibus tributa. Ędiculam, quæ iuxta domum Antiſtitis Toleti eſt, poſtico ad viam publicam adaperto, ſacris peragendis Ximenius tradidit: qua in diem prę ſentem ſodales fruuntur, nemine ex poſteris põtificibus, aut reſcindente, aut ęgrè ferente. Annus eius ſeculi quintus elapſus iam erat, ſextusq; ferme ad finem properabat, quando Calen. Nouemb. ſodalitas Conceptionis Deiparę titulo, in noſtra vrbe promulgata fuit: quæ deinde in hæc vſq; tempora creuit feliciter Ximenij auſpicijs. In huius inſtitutionis monumentum, quarto nonas Octob. qui dies beato Franciſco religioſus eſt, huic diuo, tanquã Ximenij tutelari, ſodales ſacra faciunt: quinquaginta ſportulas totidem egenis diſtribuunt: & anniuerſario, funebribusq; hoſtijs Ximenij animam, & cognatorum expiant. Porrò ædiculæ pontificię traditę gratia, ſacra per tria paſchata pro pontificibus Toletanis religioſiſsimo apparatu peraguntur: & ſingulis quibuſq; hebdomadũ ſabbathis, pro eorum ſalute ſub veſperam preces ad Virginem funduntur. Procedente deinde tempore, XVII. poſt anno, cùm iam Ximenius viuere deſijſſet, ad Adrianum qui in Hiſpania vice regis ſungebatur, in Pontificem Max. per id tempus aſſumptum, Tarraconam Hieronymus venit: eaque omnia vt ſodalitati confirmaret, quę Ximenius olim conceſſerat, deprecatus eſt. Adrianus Ximenij memor libentiſsimo animo prę ſtitit. Multi horum imitatione allecti, nouas ſubinde rationes in noſtra vrbe excogitare pergunt, quibus ciuium indigentię ſubuenitur, & peregrinorum neceſsitati prouidetur, omnium denique difficultatibus incredibili ſtudio conſulitur: adeò vt nullibi locorum, tot calamitatum quibus humana vita diuexatur, plura aut maiora remedia, quam Toleti eſſe certum ſit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE REBVS GESTIS

LIBER TERTIVS.

VM hęc Toleti à Ximenio geruntur, principibus quos iam satietas ludorũ ceperat, rursus ad seriores cogitationes, resq; intermissas mentem conuertentibus, alius aliò, quò eos priuata ac publica negotia vocabant, discessit. Nam Ferdinandus rex, quoniam Gallum ob detrimenta nuper à Gonzalo Magno illata vehementer dolentem, delectus per Gallias vniuersas facere, exercitusque ad Salsas pręsidium expugnandũ parare, per suos exploratores certior factus fuerat: per mediam ęstatem Cataloniam contendit, Ruscinensem prouinciam confirmaturus. Philippus & Ioanna patrem subsequentes, Aransuesia nemora, non longè à Toleto distantia deueniunt: vbi innumera aprorum caprearum, & ceruorum multitudo spatiosissimis septis coercita, regijs venationibus oblectationem & copiam subministrat: vnde ad Aragonios iter statim facturi erant, successioni regnorum designãdi. At regina Madritum reuertitur: quoniam cùm non multò post omnes essent in vnum conuenturi, peropportunam stationem regio comitatui oppidum id esse iudicabat. Ximenius verò Complutum profectus est, surgenti scholę fastigium impositurus, cui nuperdum Toleti commoratur, decies centies nummûm perpetuò percipiendum è prouentibus regijs comparauerat. Ea prima (vt aiunt) Academię largitio ab eo facta fuit: quod tam benignum & munificum principium spem ingentem studiosis dedit, futurę propediem maiestatis. Anni iam quingentesimi secundi finis instabat, quando Ximenius Complutum venit. Sub initium verò quingentesimi tertij, paulò post Calen. Ianuarias, Isabella regina mutato consilio Madrito Complutum & ipsa proficiscitur. Nam cùm proximo Autumno insalubris aëris causa in febriculam incidisset, virisque aliquot primarijs extinctis, interq; eos Didaco Furtato Archiepiscopo Hispalensi, S. R. E. Cardinali, intra quintum duntaxat diem in oculis eius sublato, non mediocriter turbata fuisset, Ximenij præsentiã sibi vsui fore existimauit. Nam & dolorem ob præstantium virorum mortem conceptum ita se posse mitigare sperabat, & sapientissimi hominis alloquijs molestias quoque lenituram, quæ sibi ingentes suborie-

Didaci furtati Archiepi Hispalensis obitus.

suboriebantur ob Philippi generi sententiam, qui ad Belgas per medias Gallias redire tempore nimis importuno instituerat. Nã cùm cæli inclementia bonam Philippi familiæ partem absumpsisset, & in ea Archiepiscopũ Bizõtinum (quod ille ęgerrimè tulerat) vitę suæ custodem & magistrum, qui & ipse quoq; intra quintũ abinitio morbi diẽ, vt Furtatus obierat: eo viro integerrimo & grauissimo mortuo, reliqui qui apud eum incolumes remanserant, largitionibus (vt fama erat) Gallorum corrupti, quorũ permultum intererat, vt illac iter eo tempore Philippus faceret, ad Belgas primo quoq; tempore maturandũ adhortabãtur. Igitur aut istorum suasionibus incitatus, aut Ioannę coniugis tædio affectus, quę incredibili Zelotypia stimulata acerba in eum erat, ea molestia liberari properans, xiiij. Calen. Ianua. sęuiente hyeme, Madrito ad Belgas discedere decreuit. Nullis itaque reginæ dictis, nulla iniuriarum commemoratione, quas & in Maximilianum patrem, & in sororem Margaritam commiserat Gallus, dum illi nuptias Britãnas per iniuriam præripit, & hanc Delphino pactam, nihil reueritus matrimonij tutelares diuos, domo pulsam repudiat: nullis Hispanæ reipub. tumultibus, quos necessariò futuros prudens regina ab atauis sigillatim repetens monebat, ni longam diuturnamque moram in Hispania ad gentis animos, & mores cognoscendos faceret, detineri potuit. Sed nec vxoris lachrymis, quæ cùm partui propinqua esset, non dubium erat, quin mariti discessu afflicta immaturum fœtum esset editura, quicquam est commotus. Illa enim regnorum immemor de viro tantùm solicita erat: adeò vt noctu diuq; cogitabunda (quod eius temporis scriptores tradunt) verbum nullum nisi admodum coacta faceret. Vnũ duntaxat cupidissimè audiebat, si quando mater consolandę causa, classem iam adornari diceret, qua maritum in Germaniam sequeretur: quę vt tantisper obduraret rogabat, donec à partu esset libera: nam simulac fauonij spirarent, se eam statim voti compotem facturam. Terra enim qua per eam anni tempestatem iter facere ad coniugem potuisset, aditum nullum patêre: quando inimicorum armis loca omnia interclusa essent. Has ob res supra modum anxia regina, insalubris cæli euitandi prætextu, Ioanna filia secum assumpta, Cõplutum vbi Ximenius agebat, se cõtulit. Vrit enim præcordia ægritudo animi cõpressa, & in angustias adducta mentẽ subuertit: nec alio medicamine facilius erigitur, quàm cordati hominis

Ioanna regina incredibili zelotypia stimulata acerba erat in Philippum coniugem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſermone. Ille ergo primũ tam matris, quàm filiæ ęgrum animũ mitibus alloquijs conſolatus eſt. Deinde Ioannę amorẽ erga coniugẽ apud matrẽ excuſauit, cui nimius videbatur: neq; enim caris cõiugibus quicq̃; eſſe in amore nimium. Quòd verò zelotypia grauiter aliquãdo diſcruciaretur, minimè id mirũ videri debere, cùm ante alias pudiciſsimæ fœminę eo ſoleãt morbo laborare. Quibus enim caritas erga maritos languet, parũ eiuſmodi querelas curę eſſe: abſentiãque eorum omnemq; animi abalienationem nõ magnopere grauẽ eſſe. Quare cedendũ tanti ſper crudo vulneri, donec tẽpore cicatrix obduceretur, illaque abſentiam moderatè ferre diſceret, certiſsima ſpe concepta ad virum vere primo nauigandi, vt cupita præſentia frueretur, ſuisque tandem votis ſatisfaceret. Deinde ad reginã orationem conuertens, ne ſe plus æquo afflictet adhortatur: eam enim eſſe humanarum rerum conditionem, vt æquè reges & priuati homines ſolicitudinibus paſsim iactentur: neminemque adeò felicem viuere, qui non ex duobus illis dolijs Homericis, partim lęta, partim triſtia hauriat: ſemperque malorum menſuram fatali noxa ſuperexcedere. Regum verò eò fortunam eſſe miſeriorem, quòd in excelſo loco conſtitutis, nil eorum quæ faciunt aut meditantur latere poteſt, aut in obſcuro eſſe: & quòd durioribus moleſtijs, vtpote res grauiores tractantes, quàm vulgares homines corripiuntur. Vnde virum illum impenſè laudauit, cui cùm à rege ſuo quiduis optandi facultas data eſſet, dato (inquit) quæ voles ô rex, dummodo è tuis non ſit ſecretis. Patienter ergo naturæ leges ferret, ſeque hominem natam eſſe agnoſceret. Quòd ſi quando voluptatem aliquam ex ſuſcepta filia percepiſſet, æquum eſſe vt moleſtias & incommoda patienter ferret, memor animi illius virilis, quem ſemper omnibus in negotijs pręſtitiſſet. His atque alijs habitis aſsiduè colloquijs, ita animum vtriuſque confirmauit, vt quanuis rex, qui ex Aragonia ad eam febricula (vt diximus) languentem viſendã venerat, rurſus ad bellum parua facta mora Perpennianum, quò tota vis hoſtium inclinabat, redierit: & regina nihilo viri abſentia commotior, ſed potius priſtinę virtutis & dignitatis memor, delectus per totam Hiſpaniam faceret, pręſidiariasque legiones incredibili celeritate conſcriptas ad maritum Perpennianum mitteret. Interea tamen aëris intemperie per autumnum contracta nõdum ceſſante, Gutterius Cardenas Machedæ regulus, vir apud reginam

Gutterij Cardenę Machedę Regulj obitus.

magnę

magnæ authoritatis, atq; omni ornamẽtorũ genere ab ea decorat⁹, patritio ſancti Iacobi equitũ ordini in citeriori Hiſpania pręfectus, quẽ Legionis maximũ cõmendatariũ vocant, Cõpluti pridie Calen. Februa. fatis cõceſsit. Hũc morti proximũ cũ Ximenius viſeret, eius cõſpectu valde eſt exhilaratus: & vt erat elegãti & acuto ingenio, nihil ſoliti vigoris in eo tẽporis articulo remittẽs, multũ (inquit) ò Antiſtes, de tua hac officioſa humanitate obęratus de vita diſcedo: neq; enim parerat vt è domo tua hoſpite inſalutato tã longũ iter fact⁹ proficiſcerer. Nã honoris & dignitatis cauſa, in domo pontificia vbi reges diuerſabãtur, locus quoq; Gutterio datus erat. Perculſus eſt Ximenij animus ad ea verba, & cõmunis cõditionis recordatio mentẽ hominis, alioqui grauiſsimi, ſtrinxit. Cæterũ prudenter diſsimulato dolore, vultuq; hilaritatẽ pręſe ferente, vt religioni ſatisfaceret curauit: tabulasque teſtamenti obſignaret, quas fallaci ęgrotantium ſpe, nunquam ſe hanc lucẽ relicturos exiſtimãtium, imperfectas adhuc ſeruabat. Mœror eſt omnibus ob tanti viri mortẽ obortus: ſed multò grauior Iſabellæ reginę, quã ſors iniqua varijs modis exercebat: nihil enim acerbius ferebat, quàm fidis miniſtris priuari. Sed eum mitigauit Lucinę benignitas: ſexto enim idus Martias, Ioanna facili partu Ferdinandum in lucem edidit: quem die luſtrico Ximenius magna ſolennitate baptizauit, & aui nomen impoſuit, Naiarenſi, & Aſcalonio regulis compatribus, Mirãdio verò patinam cũ ſalino, & calice præferente. At Ximenius Complutum ornãdi, & augendi occaſionem per opportunã nactus, vectigaliũ immunitatem Cõplutenſibus à regina petit, apud quos tantus eſſet princeps natus. Vt quoniã liberalibus diſciplinis in eo oppido domiciliũ parabatur, liberi quoq; à regijs exactionibus perpetuò eſſent: ita enim breui futurũ, vt locus inſigniter illuſtratus & adauctus, Hiſpanã iuuentutem ad ſtudia exercenda inuitaret. Facilè in publica lętitia impetratũ eſt: & in hũc vſq; diẽ ad beneficij impetrati monumẽtũ, Cõplutẽſis reſp. Ferdinãdi cunas, & crepũdia ſeruat. Dũ omni hilaritatis genere regius comitatus ob natũ puerũ Cõpluti ſe oblectat, caſus Ximenio inopinãti oblatus eſt, quo animi ſui lenitatẽ declararet. Poſtq̃; reges Cõplutum venerunt, Ximenius ſilentiũ opinor captãs, aula ſua aliô qui capaciſsima relicta, longè ad Vaënnæ cuiuſdam domum cõmigrauit: quæ in via maxima ad Guadalfaiaræ portam eſt. Ibi ſtrepitu inſolito interpellatus, quid rei eſſet miniſtros rogat: qui vinctũ

Vectigalium immunitas Ximenij precibus Complutenſibus ab Elizabeth regina concaſa fuit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ximenius e fenestra tum capite plectendum et a lictoribus comprehensum afficiens, solui iussit et liberum dimitti. quod factum est.

quendam capite plectendũ à lictoribus duci respõdent. Processit ad fenestram,& de crimine per lictores edoctus,ne vlterius procederẽt vinctũq; solui iussit,vt quò vellet abiret:hoc sacræ suæ dignitati pietatis ergô cõcedendũ esse dictitans.Placuit omnibus Ximenij factũ, eoq; gratius & iucũdius fuit,quòd die hilaritatis & lętitię pleno, quo regius puer in hanc lucẽ editus fuerat,nece hominis quantũlibet noxij oppidum pollui,& funestari videbatur.Igitur Cõpluti per vernũ tempus morati reges,vbi per æstatem quoq; fuissẽt, nisi immodici quibus oppidũ illud infestatur calores , insalubrẽ locũ reddidissẽt: tertio enim nonas Iulias Ioãnes Ciaconius Carthagini nouę &Murgensibus præpositus(quẽ nostri patrio nomine adelantatũ vocãt)extinctus,non minori quã Gutterius dolore Isabellã reginã affecerat. Erat enim vterq; ei carus:nulliq; magis ad sua cõsilia intima admittebãtur.Idcirco sibi quoq; nõ mediocriter timẽs,prematura festinatione Cõpluto Madritũ reuertitur.Ximenius verò Briocã proficiscitur:id est suę ditionis oppidũ ęstatis ardoribus ferendis accommodũ.Nam mõtanis in locis Septentrionẽ versus sitũ,& gelidarũ aquarum scaturigine abundans,æstum multò lenioré facit. Qua de causa in antiquis monumẽtis reperitur,olim Toletanę ecclesię principales sacerdotes(qui dignitates dicuntur)proprias domos Briocę habuisse,quò molestissima ea anni tempestate, non secus quàm Tybur Romani secedebant.De cuius oppidi principio,quaq; itẽ ratione ad Archiepiscopos Toletanos deuenerit,non grauabor quæ mihi cognita sunt referre:ne dum hæc sensim cõtemnuntur,rerũ vetustarũ quoq; memoria pereat.Cũ Alfonsus Legionis rex, magni illi Ferdinãdi filius,Sanctij fratris sęuitiam fugeret,regno pulsus ad Almeonem Maurorum regẽ Toletum profugus & supplex venit:vbi barbari principis benignitate vsus,nihil illi ad pristinam fortunã defuit,præter regium diadema.Et quoniam Maurorum conuictu offendebatur,locus in suburbanis hortis,qui regij dicuntur,ad habitãdum est datus,qua Tagus angustissimis faucibus inter duos montes premitur. Gaudebat porrò ferarum venationibus , quare hanc de qua agimus Briocam,nulla tum temporis habitatione,pręterquam turris ędificio insignem, à Mauro rege liberaliter donatam suscepit: vbi vniuersum venatorium apparatum hominesque feras consectandi & figendi peritos,animi remittẽdi causa,habuit : vt quoties à bellis finitimorũ Arabum otium esset,quibus cũ gratiam Almeoni

rependens,

rependens,assiduè pręliabatur,venationi sese oblectaret. Postea Toleto totoq; regni Toletani tractu,Dei beneficio sub ditionem suam redacto,regnũ enim Castellę iam mortuo fratre adeptus erat: cùm Bernardum ecclesię Toletanæ Archiepiscopum(vt diximus) præfecisset,pietatis erga Deum memor,cui apud barbarum populum diuersans vota captiuus sæpe nuncupauerat, inter cętera non ignobilia oppida quę Rodericus Toletanus Antistes in historijs suis enumerat,Briocam etiam Archiepiscopo Bernardo donauit:vbi venatorum illorũ posteritas durauit,donec Ioãnes tertius Toletanus Archiepiscopus,commoditatem loci cõtemplatus, diui Petri parochia ibi exędificata,municipium constituit.Quo quidem tẽpore factum existimo,vt ecclesię Toletanę sacerdotes opportunitate loci allecti, ad æstiui syderis ardorem vitandum,qui nõ mediocris sub Toletano etiã cælo est,domos sibi construxerint, ad quas quotannis migrarent,donec subterranea sibi in vrbe domicilia, petris durissimis perfossis, pararunt , additis etiam cisternarum delitijs , vnde Tagi aquam frigidissimam ęstate hauriunt : quare Briocam ire superuacaneum putarunt. Huc cùm se recepisset Ximenius , siue quòd ab ingentibus Compluti caloribus ad frigidas auras subitò migrasset,siue potius quòd insalubris anni tempestas fragili corpori non pepercerit,grauiter Briocę ægrotare cœpit, & tota ferme pontificia familia.Qua de causa Sanctum Torquatum,suę quoq; ditionis oppidum,Complutensi cælo propinquius,sed quod in edito monticulo sit,multò minus quàm Complutum æstuosum, cum suis commigrauit:vbi curandis corporibus intẽti mirificè omnes recreati sunt. Interim regina ad eũ crebrò nuntios mittebat,quibus de eius salute certior fieret,& illum de omnibus reip. negotijs consulebat. Si quidem regina quò Ioannæ filiæ gratificaretur, nihil æquè ac de profectione ad Philippum cogitanti, Madrito Segouiam venerat : id est extremum Vacceorum oppidum, proximumq; Carpetanorum finibus,Traiani celeberrimo ponte,aut potius marmoreo aquæ ductu nobile: vnde ad Methinam Campensem progrediendum erat, vt illinc lentè ad Cantabricum Oceanum veniretur. Regina Segouię dum Ferdinãdus coniux cum Gallo ad Salsas dimicat dimorante,Ioanna omnis morę impatiens Methinam profecta est.Vbi cùm optatissimas literas à Philippo suscepisset, quibus vt ad se veniret inuitabat , nulla suæ dignitatis , nulla parentis ratione habita,

quàm

Universidad de Deusto Biblioteca

quàm bidui itinere visere quiuisset, subitò sarcinis conuasatis insalu tata matre, comites ad profectionem conuocat: & regię maiestatis oblita è cubiculo quamprimum exiliens, moras si quæ trahi videbā tur, castigabat. Eo die profecta esset, si per Ioannem Fonsecam Burgensem Antistitem, qui propter egregiam morum grauitatem custos ei à parentibus est datus, & Ioannem à Corduba oppidi præfectum, licuisset. Quibus illa necem minata cùm nihilominus intercedere persisterent, nuncij quamprimùm ad reginam mittūtur, qui de his omnibus certiorem facerent, obserata interim Methinensi arce, vbi disseruabatur, ne quid præcipiti deliberatione faceret. Ioāna verò cum irrita sua consilia videret, totam illam noctem sequentesque, donec mater festinabunda aduenit, sub dio insomnes in arcis cauędio egit. Qua de causa Ximenius, qui diutino morbo liberatus, natalem Christi celebraturus Complutum venerat, sub initium anni M.D.IIII. Methinam à regibus accersitur. De cuius cōsilio, deque regum sententia, classis in Lauretano portu, quę Ioannam ad Philippum traijceret, apparatur. Illa vt omnia instructa fuerunt, Calend. Martijs (qui dies ob Tauricam victoriam, quam Lusitanis fusis Ferdinandus obtinuit, inter fastos apud Hispanos est) è complexu mœstissimæ parentis Oceani fluctus emensura discessit. Ergo postquam in optatissimam terram peruenit, à marito Philippo amantissimè suscepta fuit. Sed cùm per id tempus puellæ cuiusdam amoribus Philippi animus implicatus esset, quam secum comitem Ioanna adduxerat, Zelotypiæ stimulis vehementer exagitata, criminationibus, iurgijs, & tragœdijs totam Philippi regiam impleuit. Et cùm ad eam per pellicis æmulos delatum esset, flaua puellę Cæsarie Philippum coniugem in primis captum fuisse, rabie concepta Cæsariem statim abrasit: puellæq; miserabiliter insultans pulchram faciem vibicibus fœdauit. Indignatus amans adolescens, non iam amplius dissimulata ira, apertis contumelijs & atrocibus verbis, vxoris dicitur peruicaciam multasse: atque ab eius congressu dies non paucos abstinuisse. Hæc vbi regibus nostris, arcanis notis per fidos tabellarios renuntiata sunt, non mediocri dolore affecti, partim ob natæ intractabile ingeniū, partim ob parum regiam in Philippo genero consideratione, vterque grauiter ægrotare cœpit. Nā rex in febrim tertianam incidit, regina verò in continuā: quare anxietate & morbo afflicti iacebāt, dū alter de alterius salute solici-

solicitus erat. Nam & rex sui discriminis oblitus, medicos ne quid in regina curanda prætermitterent monebat: cuius si saluti consulerent, suę quoque consultum esse crederent. Regina verò ad omnē strepitum intenta pauebat, assidueque medicos intrantes adiurabat, ne quid sibi de regis valetudine importuno officio mentirentur, quę vna res morbum adaugebat. Interea Ximenius diem nullum intermittebat, quin vtriusque lecto assideret, omniaque diligenter circunspiceret, quæ ad eorum salutem pertinere videbantur. Rege in pristinam sanitatem restituto, fata in reginam inclinare videbantur: nam putridum & verecundum vlcus, quod ex assiduis ad Granatam equitationibus contraxisse aiunt, mortiferè serpebat. Veruntamen cùm id malum corpora per lentas moras depascere soleat: desperatam reginę salutem, vtcunque tamen nouis subinde oblectamentis cuncti subleuare, & fouere nitebantur. Nam quid quid vnquam siue militię, siue domi pręclarum accidisset, decumbenti recensebatur. Si qui illustris fortunæ homines è Neapoli captiui mittebantur, vbi Gonzalus admirabili virtute inclytam operam regi coniugi, & reipub. nauabat, ad se introductos recipiebat, & de hominis magnanimi, & sibi multis de causis carissimi gestis, cupidissimè percontabatur. Si qui etiam ex cæteris nationibus Hispanicarum rerum fama permoti, ad regiam eius maiestatem visendam diuertissent, tametsi vltimo morbo afflicta, eorum colloquijs nequaquam grauabatur, & humanissimis sermonibus susceptos, animi plusquam virilis in ea dotes admirātes à se dimittebat. Inter quos è Venetis hominibus Hieronymus Vianellus fuit, qui pede auspicatissimo in Hispaniam venit. Nam totius Africanę expeditionis, quam in Orano expugnāda Ximenius fecit, quamq; Ximenij suasu Didacus Fernandus à Corduba, ad portum magnū, quem Punica lingua Mesalcabir appellant, occupandum paulò ante fecerat, id est totum huius hominis consilio factum. Hic cùm ad regum dexteras deosculandas Methinam venisset, crucem auri purissimi gemmis interlucentem reginæ obtulit: inter quas carbunculus, quam espinellam vulgus appellat, corrupto nomine prospinthera, scintillas enim contra solem emittit, quales Plinius carchedonios masculos esse dicit, quorum singuli, modò factitij non sint, pretium mille aureorum nonnunquam exęquant. Is cùm ad Ximenium salutandum continuò venisset, annulum adamante selectissimo

Universidad de Deusto Biblioteca

ctissimo insignitum,quem apud se venalem habebat, Antistiti ostẽdit: de cuius pretio cum Ximenius rogasset,quinque millia nũmũm aureorum esse dixit: qui pretij magnitudine commotus, quãto (inquit)melius ea summa quinque millibus militum laborantium succurrere,nummo aureo in singulos collato,quã omnes Indicos adamantes possidere?atq; ita Vianellum eo tẽpore dimisit. Tunc etiam Franciscani instituti sodalis,cœnobij quod Hierosolymis ob Christi Dei sepulchrum cunctis Christiani nominis cultoribus in summa reuerentia est,guardianus,ad reges nostros ab Egyptio Sultano legatus venit,nam is nondũ Turcarum viribus euersus,adhuc Syriacis regionibus præerat.Hic monachus antequam Hierosolymis discederet,cùm tam longinquos terrarum tractus,totque sibi mariũ, & montium spatia emetienda esse consideraret, supplex à Campsone Sultano petijt, vt discedenti Dominicum sepulchrum adorare, & conspicere liceret, instar id sibi ingentis viatici ad tam difficile iter futurũ. Est sacer ille locus custodibus & repagulis munitus, qui nisi euidentissimo emolumento maximoque operę pretio, inaccessibilis esse consueuit. Obtinuit id facilè homo professione religionis inops,& qui in solam Sultani gratiã tam laboriosam legationem capessebat. Quò cum venerabundus aliquot cœnobij sui sodalibus stipatus intrasset, & debitam adorationem exhibuisset, tabulam marmoream in sepulchri fundo conspexit, longam pedes tres, latam vnum, liuidis maculis adspersam, vt è Chio marmore secta videri posset. Hanc etiam vt liceret tollere à Sultano impetrauit: quã in quinque æquales diuisit partes, & aris sacrosanctæ Eucharistiæ dedicauit, de more Christiano consecratas. Hasce aras secum adduxit, & inter Christianę religionis supremos principes, magni id muneris loco suscipientes, distribuit. Nam Alexandro sexto Pontifici Maxi. vnam: Bernardino Carauajallo sanctę Crucis in Hierusalem Cardinali, quòd eam veluti propriam possessionem titulo Hierusalem sibi assereret, alteram:Isabellę reginæ tertiam: Francisco Ximenio Archiepiscopo Toletano quartam: vltimam verò Emanueli regi Lusitano,heroi omnibus modis incomparabili,& qui ad antarticum vsq; polum Crucis nomen studiosè dilatauerat. Fuit id donum reginę gratissimum, eoque in primis exhilarata recreari visa est. Ximenius qui omnem animi sui voluptatem in sacræ synaxis celebratione collocauerat, vbi aram illam

è Domi-

è Dominico sepulchro est nactus,verè triũphabat: & per annos. xij. quod illi tempus viuendi fuit,nunquam alibi pręterquã in ea ara,diuina se Eucharistia refecit,Franciscanis sodalibus qui illum sequebantur,idem faciendi facultate concessa.Moriens verò (vt ex testamenti tabulis apparet)ecclesiæ Toletanę dulce amoris monumentum & pignus,inter cætera pretiosa ornamenta legauit.Quo autem in loco reperta,& per quem ad ipsum allata fuerit,eius testamẽto,ne quid posset dubitari,declarari voluit.Dum Methinę ob reginę morbum complusculos dies Ximenius moratur, loci vicinitate monitus,de sacro funebri Cisneris,in maiorum suorum antiquo domicilio instituendo,ad hunc modum egisse certum est. Annua vectigalia ex regijs in eo municipio prouentibus comparauit,quæ municipalibus sacerdotibus sunt tradita: vt in vestibus lineis, singulis quibusque dominicis diebus,promeridianis horis,postridiè verò antemeridianis,ad sancti Petri ędem, vbi Toribius Ximenij auus proprio sacello conditus est,maiorum manes expiare teneantur,& etiã ad sancti Laurentij, vbi antiquum Ximeniorum monumentum, sacello item peruetusto habetur. Durant Cisneris adhuc hæc sacra, pręterquam quòd vigesimo ab hinc anno, sacerdotes ad sacra facienda vestibus lineis indui desierunc: & neglecto Toribij sacello,ad aram maximam diui Petri sacra faciunt. Sartis tectis sacellorum curandis vectigalia etiam comparauit, Garsiæ Villaroellio quem postea Castorlæ pręfectum creauit, administratione perpetua demandata.Sed postquam aliò domicilium mutauit eius posteri curam nonnihil remiserunt. Certè Academia Complutensis rei honestissimę operam nauabit, si quę Ximenius multis in locis in eius memoriam reliquit, perlustrari & ex testamento fieri curauerit.Priusquam Ximenius Methinam veniret,vt morbo liberatus fuit,Toletum ire voluit.Nam à principio sui põtificatus mirè cõcupiuit sacerdotum mores emendare: & in eorum acta & vitã inquirere.Fuerat quidem bis Toleti, sed nullam id agendi occasionẽ nactus fuerat.Nam primò in vrbem suam venienti,vbi omnia gratulatione,& plausu strepebant,non tam asperitas emẽdationis,quàm facilitas compellandi conueniebat. Secundo verò regibus in eam vrbem ad res amplissimas conuenientibus,ac proinde diuersarum gentium turbis refertam,multò difficilior occasio offerebatur ad vitia hominũ sacrorum inquirenda.Tunc verò cũ cogitaret ad eam

rem

Universidad de Deusto
Biblioteca

rem perficiendam Toletum iter facere, reginę mandatis id quo minus prosequeretur prohibitus, statuit quas per se non poterat officij sui functiones per vicarios administrare. In primis igitur in vitam moresque sacerdotum ecclesiæ Toletanæ quęstionem decernit, quam Visitationem vocant: eamque doctori Villalpando vicario suo generali, vnà cum Fernando Fonseca eiusdem ecclesiæ canonico, exequēdam mādat. Incredibile dictu est, quàm hoc decretum grauiter molesteq; ecclesia tulerit: & quàm obstinatis animis se illi omnes opposuerint: citius se extrema omnia passuros clamitantes, quàm vt ab vllo prętеrquam ab ipso Antistite in ipsos inquireretur. Interposita est ad sedem apostolicam solennis prouocatio, censoresque communi consilio reiecti sunt. Qui ex canonicis sese acriùs opponebant, tres potissimùm esse videbantur, Sepulueda, Barzana, & Orticius cognomento Nuntius, quòd vices Pontificis Rom. in Hispania aliquando gessisset. Hos Villalpādus ex Archiepiscopi prescripto comprehendendos curat, & Archiepiscopalibus municipiorum arcibus in custodiam tradit. Veriti sunt canonici ne Ximenius regiam maiestatem in ipsos irritaret: quare legationem ad reginam decernunt. Missi legati cùm in reginę conspectum, quæ id temporis apud Methinam Campensem morabatur, admissi essent: Frāciscus Aluarius ecclesiæ Toletanæ scholasticus, vnus ex legatis, cui cęteri ob prouectiorem ætatem, & insignem rerum peritiam dicendi locum sponte concesserunt, reginæ primum beneuolentia ex eius singulari iustitia, & rei sacræ tuendæ studio prudenter captata, inuitos quidem & dolentes ad eam causam aduersus presulem suum tractandum venire, se dixit: cùm presertim ecclesia Toletana adeò suorum Antistitum obseruantissima semper fuisset, vt apud calumniatores & parum ęquos homines in assentationis vitium verteretur. At quoniā insimulatos apud eius maiestatem se esse cognouerant, lęsæ in suum Antistitem obedientię, quòd censores quosdam morum ab eo aduersos ipsos destinatos contumaciter & contemptim reiecissent, quasi vt nulla de vita, actionibusque suis ratio proprio Antistiti cōstaret, niterentur, se ad eius præsentiam conuenisse contumaciæ crimen depulsuros. Neque enim sibi vnquam eum animum fuisse, censorium de moribus suis iudicium deprecandi, sed id dūtaxat ne per vicarios leuiter, & languidè, remisseq;, quod aliàs solent, in se censura fieret, sed potius seriò, & seuero iudicio, cuiusmodi à tali Antistite anti-

antiquæ asperitatis homine, expectandum proculdubio erat. Nam eam esse capituli Toletani authoritatē, vt minimè deceret in illius sacerdotes ab alio quam à suo pontifice inquiri. Quare eius maiores, qui illud religiosissimum templum condiderunt, censoriam de ecclesiæ Toletanæ ministris explorationem adeo esse cum ipsius dignitate coniunctam semper existimauerunt, vt si aliquando per alium quam per antistitem suum exerceretur, salua neutiquam consistere valeret. Ergo diuinum eius celsitudinis ingenium, summumque honestatis, & virtutis studium, quod in illa præcipue relucebat, obtestari, vt etiā atq; etiācōsideraret, an crimini sibi imputādū esset, quòd acutum sui antistitis mucronem aduersus se stringendum peterent, ministrorum obtusum declinarent. Id enim in votis capitulo Toletano cum primis esse, pro certo haberet, antistitis sui fulmina, quantumuis formidanda & terribilia, vtpote à viro veteris disciplinæ rigido exactore vibrata, cum graui potius cunctorum periculo subire velle, quàm cum omni venia & remissione ad examen ab æqualibus vocari. Qui si nihil aliud, certè æquales, & pares essent: & nihilominus, quod illorum pace diceretur, censoria seueritate indigerent. Veniret pastor in ouile suum, vt iuxtà diuini vatis oraculū, infirmum solidare, ægrotanti mederi, confractum alligare, errantē in caulam reducere studeret: nec mercenarijs functionem suam, euāgelio reclamante, commendaret: eos extemplo omnium primos obsequentissimos experturus filios, & quod æquum & religiosum esset, officij sui studiosos adiutores. Alioqui persuasum haberet, ꝓ ipsi liceret præter fas & ius imperare, sibi vicissim licere non obsequi. Quod si confidentius apud eius maiestatem viderentur loquuti minimè id confidentiam esse crederet, imò magis constantem fiduciam, quam nimirum ipsis, atque adeo fœlicissimo suorum temporum seculo, æquissimū planeq; diuinū eius celsitudinis imperiū per vniuersam Hispaniam peperisset, in quo certissima spe, supremis iuxta ac infimis iure suo vti concederetur. Ob quæ minus ab ea in præsentia tolerandum esset, quòd ipsis itineri accinctis per antistitē factum fuisset: qui tres optimates & præcipuos viros ex amplissimo ecclesiæ Toletanæ ordine, tanquam fontes ad ergastula abduci iussisset. Quare similem fortunam metuentes, ad susceptum iter maturandum animos alioqui deiectos excitasse. Ad hæc regina partim solita grauitate, partim morbi causa coacta, paucis re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſpondit. Ad aures ſuas peruenisse detrectatum ab ecclesia Toletana imperium pontificium: cæterùm moris ſui haud quaquam esse, priusquã rem totam cognitam compertamque haberet, festinare ad malè de quoque, nedum de tam graui ſocietate ſentiẽdum. Libenter ſe capituli mentem intellexisse, dignam illam quidem viris bonis, ac religioſis: proinde bono animo essent, ſolicitudinemque omnem deponerent, ſperantes nihil de ea re ſtatuendum, quod non ſit è dignitate Toletanæ eccleſiæ futurum. Illis dimiſſis, cùm regina probari ſibi capituli cauſam Ximenio ſignificasset: ille arrepta occaſione, quamuis reginæ morbo, cui in omnibus adesse cupiebat, ad diſcedendum retardabatur, de profectione in Toletanam diœceſim agere cœpit, neceſſarium inquiens omnino esse, vt quod officium per abſentem præſtare nequiret, coram ipſe exequeretur: nec posse animum religione exoluere, cùm cogitaret tertiùm iam apud ſe deſtinauisse eam morum cenſuram facere, neque tamen id præſtitisset. Regina iuſtam ab illo cauſam agi videns, perhumaniter veniam abeundi dedit; illud etiam adijciens, quando ille à diœceſi ſua tam ægrè abesset, daturam ſe operam, vt ipſa cum coniuge, totoque adeo regio comitatu in Toletanam diœceſim quam primùm venirent. Sed mors reginæ promiſſa diſsipauit, neque eſt amplius à Ximenio viſa. Erant id temporis, qui exiſtimarent, Ximenium ſuos illos cenſores, quos à capitulo reiectum iri non dubitaret, aſtuto conſilio deſignasse, vt hac arte diſcedendi facultatem, quod euentus docuit à regina extorqueret. Sed id veriſimile esse non videtur, in tanto vitæ diſcrimine reginam ab homine illi deuotiſſimo relictam, præſertim cauſis ementitis. Tentauit noſtris temporibus Ioannes Martinus Siliceus, cùm ſimilem morum cenſuram exercere vellet, rem multò quidem minoris momenti, quam non valuit obtinere. Dicebat ſe quidem pro Eccleſiæ dignitate nemini in re tanta vicariam operam committere velle, ed per ſeipſum, ſemotis arbitris, ex dignitate vt ſibi videbatur cenſuram peragere, vno duntaxat excepto, qui delationes omnium deſcriberet. Hunc autem qui ſibi à ſecretis erat, paterentur vice notarij aduocari. Obnixè renuit Toletanum capitulum, & ingenti contentione oborta, cùm antiſtes ſuum notarium, capitulum verò ſuum deligendum contenderet: tandem Siliceus neutro

tro aſſumpto ipſe ſibi notarius fuit. Hoc cum primis noſtris amplitudinem, Siliceo humanitatem conciliabat: cùm ſummus apud Hiſpanos præſul, in inquirendis ſacerdotum ſuorum peccatis notarij vices agere dignaretur: isq; ſolus esset arcanorum erratorum conſcius, qui ſi diſſimulasset, ad alium non emanarent: ſin punire aut emendare decreuisset, tectiùs id & honeſtius esset confecturus. Nonnunquam etiam cùm ſcribẽdi laboris tæderet, capituli notario, ſuis omnino reiectis vtebatur. Igitur nõ ſine graui animi mœrore quòd optimam reginam tam graui morbo affectam deſereret, poſt quatuor menſes Methinæ actos, Toletum primò ad cenſuram faciendam, quæ tandem iuxta capituli voluntatem facta eſt, Complutum deinde redire cogitur: vbi & ſurgentis academiæ opus, & Iuſti templi ſtructura, & bibliorum ſacrorum editio, eius præſentiam videbãtur requirere. Nam quanuis viri diligentia præſtantes, quos rebus illis conficiendis præfecerat, omne ſtudium & operam adhiberent, multum tamen patroni præſentia vrget. Nam ſi qua res eſt, in qua vetus habeat prouerbium locum, quòd domini oculus multò nitidiorem equum reddit, quàm ordeum, ea eſt certè ædificatio: in qua verè accidit quod de Amphione fabulantur poëtæ, ad cuius vocẽ ſine vllo labore lapides murorum locis, dolati & expoliti vltro reponebantur. Satis hæc aliquis exiſtimasset, in quibus Ximenius abſoluendis occupatus, ad aliarum rerum cogitationem animum quantumuis capacem non diuerteret. Eſt enim hominis prudentis minimè montes montibus imponere gigantum more, ſed ſuas potius vires metiri, animosq; captum ſuum excedentes non expectata Nemeſi coërcere, comprimereq;. At Ximenius, cui mentem humana menſura maiorem naſcenti fata benigna tribuerunt, quam paulatim virtus comes adauxit, poſt Hieronymi Vianelli aduentum, qui omnes Africæ partes probè tenebat, & ad eius expugnationem propter maritimæ oræ cognitionem aſſiduè hortabatur, bellum Africanum meditari cœpit. Sed interea dum regem conuenire posset, quo cum de hac re ageret, intellexit complures esse fœminas honeſtis natas parentibus, quarum pudicitia ob rerum penuriam periclitabatur. Quare religioſarum mulierum cœnobia paſsim per ſuã diœceſim condere neceſſariũ esse iudicauit: vbi puellæ, quæ obrem anguſtã illocabiles essent, aut quæ ſponte ſua à nuptiis abhorrerẽt lõgè à virorũ cõgreſſibus ſemotę, Deo opt. max. dicatę virginitatẽ per

 petuò

Universidad de Deusto Biblioteca

petuò colerent. Nam quãuis multa eiusmodi loca, pijs iam olim ho minibus in re præclara studiosè contendentibus, in Toletana diœce si structa essent, annonæ in dies caritate ingrauescente, mulierumq; numero tripla (vt solet) proportione virorũ supergresso, nihil in hac re amplianda vnquam fiet, quod nimium aut inutile dici possit. Ergo inter cætera ædificia quæ Compluti fiebant, ædem etiam sacrarum fœminarum erigendam curauit, titulo sancti Ioannis pœniten tis: cui collegium egenarum puellarum, nouitio ac prudenti inuento, sub nomine diuæ Isabellæ adiunxit: quæ de illarum custodis voluntate (quam matrem vocant) & diui Francisci in eo oppido Guar diani consilio, iuxta præscriptas ab eo leges cooptatæ, tandiu illic in omni disciplina & custodia degerent, donec lubricum ætatis prætergressæ, aut se diuino obsequio mancipari, aut nubere constituerent. Quòd si in illam partem inclinarent, ad vota facienda citra vllius pecuniæ dotis nomine numerationem admitterentur. Si verò nuptijs indulgere mallent, viro frugi & probo collocatæ, dotem ex cœnobij prouentibus susciperent, quos ille vberes & copiosos grandi summa æris comparauit. Nam olim cum ministrum (vt dictum est) prouincialem ageret, nonnullarum virginum animos in cœnobijs degentium grauibus furijs diuexari intellexit, quòd aut parum ingeniorum suorum conscia, aut cognatorum coactę authoritate, aut egestatis durissimo imperio se sodalitatis mysterijs addixissent. Quamobrem humanissimo cõsilio excogitauit, quo pacto partim sui exploratione habita, partim dotis erogatione facta, illis incommodis succurreretur. Curam hoc conficiendi Gregorio Fernando viro industrio, & probitate claro, in diuæ Mariæ templo, quod Cõpluti insigne est, beneficiario commisit: qui opere nondum absoluto è viuis discessit, seq; illic tanquam in fundo à se culto, fidus colonus humari demandauit. Eius cœnobij institutio ob fructũ in dies non mediocrem inde prouenientem adeò grata antistiti fuit, vt cũ olim Toleti agens quingenta millia nummũ erogãda in eavrbe perpetuò reliquisset, quorum triginta, de virginibus dote quasis iã tũc solicitus, earũ nuptiis deputari voluerat, ducenta verò ad miserorũ hominũ redemptionem, qui apud infideles captiui tenebantur, idq; tabulis testamenti obsignasset, quas anno. M. D. XII. cõdiderat, postea mutata sentẽtia, anno. M. D. XIIII. per codicillos rescideret, cœnobiũq; alterum huic persimile Ioãnis itidẽ pœnitentis cognomine

ne, Toleti ex ea summa quotannis colligenda ædificandum, & tuendum cauerit. Addidit insuper nummorum decies centies ex ęre adpriuatos vsus sepposito continuò numerandum, cuius nempe præsidio res domesticis vsibus necessariæ, reliquusq; omnis penarius apparatus beneficio fructuosissimo emerẽtur, cœnobiũq; deinceps aduentantibus suo tempore prouentibus beatissima vbertate gauderet. Quòd si anticipata vectigalium solutione illa fuissent comparãda, totam œconomię rationem conturbassent. Cùm postea Franciscus Ruizius Abulensis episcopus patroni memor ibi sepeliri decreuisset, sacerdotiis quibusdam institutis per cœnobij matrem cõferẽdis, pretiosa item donata supellectile, tũ aulæorum, tum argenti & auri, & postremò cœnobio in hæredẽ nominato, factũ est vt nõ solũ egenę virgũculę in eo vitã honestissimè traducãt, quarũ de causa id est institutũ, sed ex vniuersa ciuitatis ingenuitate puellæ innumeræ, in id collegiũ suscipi ambiant, quę aut parentũ patrocinio orbatæ, aut propter formã solicitatę, aut paterna domo ob nouercale dissidiũ pulsę, iustum tẽpus nuptiarũ expectantes, famæ illibatæ testimonio illic fruuntur. Hãc laudem tã insigniter Complutense obtinuit, vt ex toto eius regionis tractu illuc puellę disciplinæ gratia cõfluãt, nostrisq; temporibus Philippus. II. Hispaniarũ rex inter cætera humanitatis, magnificentiæ, & sanctimoniæ exẽpla, quæ ab eo passim edũtur, eo vno abundè cõmendetur, quòd aulicorum ministrorũ filias, eorũ præsertim qui in secundo ministrantiũ gradu cõstituũtur, quinquaginta & adhuc amplius numero, in eo cœnobio studiosè & pudicè educandas curat. Regium profectò & pręclarũ opus, diuisq; omnibus, sed Ximenio in primis iucundum, qui clarissimis suis monumentis, tanti principis testimonio magnũ decus & honorẽ addicernit. Ergo ne hoc Complutense cœnobium illam quam diximus egestatem pateretur, si sumptus faceret ante prouentus perceptos: multis tum millibus nummũ statim numeratis, tum frumenti modiorum, omnem ab eis solicitudinẽ abstulit, & tranquillitatem illã induxit quæ ab omni profana cura sequestratis hominibus, ad religionẽ cui sesemel dicarũt tuẽdã, necessaria est. Vt interim illa nõ recẽseam, calices, patinas, pretiosamq; crucem, quondam regum Aragoniæ delitias, ex argẽto purissimo: præterea culcitras, stragula, tapetia & aulęa, quę ex omni sua opulẽta supellectile, huic cœnobio Cõplutẽsi, testamẽto, & binis itẽ codicillis legauit. Postquã hęc Cõpluti acta

Universidad de Deusto Biblioteca

ſunt, de Mozarabum officio, quot Toleti Melchiori Gurrizio Ge
nuenſi librorum impreſſori edendum demandauerat, & de multis
alijs quæ ad eccleſiam ſuam ſpectabant acturus, Toletum proficiſ-
citur. Officij Mozarabum libri tunc per illum in publicum dati, vt
res omnes vſu conſumuntur, nunc ita ferme iã exhauſti ſunt, vt vo-
lumen quod miſſale vocant, me vidente, triginta aureis Toleti con
ſtiterit Nam ab omnibus doctis & pijs hominibus, quibus huius
officij notitia eſt, tam miſſale quàm breuiariũ certatim expetitur:
ipſeq; adeò Paulus. III. Pontifex max. miſſis Toletum legatis ab ec
cleſia noſtra officium hoc petierit: & Gotthicę pietatis monumen-
tum in bibliotheca Vaticana aſſeruari iuſſerit. Opus profectò vtrũ
que, ſiue ſacrarum precationum grauitatem, ſiue hymnorum elegã
tiam, ſiue rerum geſtarum per antiquos patres, & martyres, nõ vul
gares hiſtorias quiſpiam conſideret, magno in pretio, & veneratio-
ne habendum. Vtinam aliquis exoriatur actorum Ximenij æmu-
lus, qui ſacra hæc Mozarabum volumina euulget rurſus. Aſtunigã,
Nebriſſenſem, Pintianum, & Coronellum, reliquosque ſacrorum
bibliorum curatores ſecum Ximenius Toletum adduxit. Vole-
bat enim quoties ſibi per otium facultas daretur, eorum ſtudijs
intereſſe, & ſacrarum rerum difficultatibus enucleandis totum id
temporis, quod à negotijs ſuccidere liceret, impendere. Porrò
cùm crebrò ad illum tam Hebræa, quàm Græca exemplaria ex
diuerſis locis, per conductos miniſtros, non ſine magna impen-
ſa mitterentur, gaudebat viros earum linguarum peritos apud
ſe habere, qui de certa librorum æſtimatione, & fide edoce-
rent. Volebat etiam in re tam graui, quæ propter illius temporis
ignorantiam, apud plerosque malè audiuerat, ſua præſentia &
authoritate honeſtare, & à calumniantium criminationibus aſſe-
rere. Illic ergo totam æſtatem eſt dimoratus, partim egenis
ſubueniendis, partim moribus emendandis intentus. Iam bona
pars Autumni tranſierat, cùm nuntius ad eum citatis itineri-
bus à rege venit, qui Iſabellam reginam totius Hiſpaniæ, aut
orbis potius ornamentum, vitali aura ſpoliatam. VI. calend.
Decembris, Methinæ deceſſiſſe. Quare Taurum oppidum quò ſe
rex profecturus accingebat, quàm celerrimè poſſet feſtinaret: vt
qui inter teſtamenti executores appellatus fuiſſet, reginæ ſui aman-
tiſſimæ, deque eo tam bene meritæ non deeſſet: cui iam munere
viuen-

viuendi caſſa executionem poſtremæ voluntatis, tanquam fido
amico commendauerat. Vt interea non commemoraret, quantum
ſibi remedium, & leuamen contra inſtans doloris acerbitatẽ, eius
præſentia eſſet allatura. Præſcripſit etiam itineris conficiendi ratio-
nem, & profectionis diem: ne imprudens quà Granatam reginæ ca-
dauer ex teſtamento deferebatur veniens, funus comitari cogere
tur: quo facto omnes regis rationes conturbarentur. Vnum eſſe
quod inuitus abſque eius conſilio feciſſet, ob celeritatem quam rei-
pu. vtilitas in eo negotio conficiendo efflagitare videbatur. Nam eo
quo regina obijt die, imò vix integræ horæ poſt eius mortem inter
iecto ſpatio, erecto pro tempore in medio nundinali Methinæ foro
tabulato, regis Caſtellę titulum ſolenniter depoſuiſſe: & ſublatis per
Federicum Albæ regulum, more Hiſpano, vexillis, feciales præco-
nes Philippum generum & Ioannam filiam fauſtis vocibus reges
proclamari iuſsiſſe. Quod præclaro in primis & prudenti conſilio
factum eſt, ad omnem calumniam affectati regni depellendam:
quam factionis aduerſæ reguli, qui Aragonio nomini infeſti, vt
quam primùm ad regnum auitum diſcederet, adoleſcentis Phi-
lippi auribus occultis criminationibus aſsiduè inſtillabant. Quod
vbi Ximenio nuntiatum fuit, quamuis ad omnem animi ægri-
tudinem diſſimulandam exercitatiſsimo, lachrymæ pietatis in
reginam indices obortæ ſunt: & voce præter ſolitum lamen-
tabili reginam eo tempore defeciſſe dixit, cuius nunquam ſimi-
lem ſol viſurus eſſet, ſiue animi magnitudinem, ſiue pectoris
puritatem, ſiue religionis Chriſtianæ cultum, ſiue iuſtitiæ cu-
ram, quam æquè omnibus tribuebat, ſiue legum priſcarum con-
ſeruationem, aut pro tempore condendarum ſtudium, ſiue an-
nonæ vbertatem diligentia ſua vbique partam, quod in primis re
gium & populare eſt, conſiderare quiſpiam voluiſſet. Atq; in hunc
modum oratione de eius virtutibus inter familiares longiuſcu-
lè producta, animum ex triſtiſſimo nuntio afflictum nonnihil
remiſit, & ſine vlla mora iuſta itinera facere inſtituit: quibus
Taurum, quæ antiqua Sarabis à nonnullis creditur, iuxta regis præ
ſcriptum perueniret. Erant ea tempeſtate hyberni imbres adeò ma
gni & aſſidui, vt inter eos qui reginæ cadauer deferebant, agitatũ &
initum fuerit, illud Toleti deponere, donec cæli inclementia deſæui
ret, viaq; facilis pateret. Nã itinera multitudine aquarum exũdantia

Universidad de Deusto Biblioteca

(si Petro Martyri fides habetur, qui funus sequebatur) maris vastitatem (sic enim ille ait) referebant: maioresq; à se difficultates esse perpessas dicit, quàm in longissima peregrinatione qua per Ęgeos, Ioniosq; rugitus, in Africam Asiamq;, deinde ad maximam vrbiũ Cairum, quam Memphim esse aiunt, legatus peruenit. Ximenius tamen haud propterea retardatus, iter per medias pluuias, pietate & fide laborem vincentibus, ex templo arripuit. Non est prætereundũ quod in Gonzali Ouetensis commentarijs reperi, occurrisse scilicet puellam custodem ouium feretrum reginæ ducentibus, quæ sciscitata cuius id cadauer esset, proh vitiorum (inquit) magnum triumphum: nam hodie è seuerissimis quibus coërcita tenebantur repagulis, soluuntur. Cuius vox cùm rerum euentum tam certũ habuisset, vaticinij loco tunc est habita. Postridie eius diei, quo Ximenius Taurum accessit, in primo illo post reginæ obitum congressu adeò fortem animum, vereq; regium Ferdinandus ostendit, vt obuius Ximenio ad cubiculi ianuam procedens, comiter & hilariter exceperit: & manifesta signa exhibuerit lætitiæ ob Ximenij pręsentiam cõceptæ: quod incredibili gaudio vniuersos qui aderant affecit. Nam hactenus rex in mœrore & lachrymis squalidus, cõsolationem nullius admiserat. Dum sedes antistiti deferebatur, rex nihilominus honoris causa stetit: quod à nostris regibus in Hispania, non nisi viris meritissimis, quorum prudentia & fides spectata sit, exhiberi, & id perrarò, solet. Poterat hoc sanè blandientis regis obsequium videri, Ximenium iam ea arte captantis ad nouos tumultus & rerum mutationes, quas ex Isabellæ reginæ obitu propediem futuras præuidebat, nisi iam olim frequentibus exemplis quanto eum in pretio haberet, quantumq; eius dignitas sibi curæ esset, in omni oblata occasione declarasset. Memini, me aliquando de his rebus cum Didaco Lupo Aiala Ximenij intimo & fidissimo ministro agentem, audisse quid ab rege Garrouillis, municipio in Lusitania Cauriæ proximo, esset factum. Accersiuerat eò Ximenium rex, vt de principis filij morte reginam certiorem faceret, & pijs verbis confirmaret. Meridiabatur Ximenius, custosq; Didacus Aiala pro foribus erat. Rex Ximenium allocuturus insperatò aduenit. Extemplo Didacus fores cœpit reeludere, vt dormientem excitaret. Sed rex vetuit, & commodiori (inquit) tempore veniã. Ergo Ximenius tam honorificè à rege susceptus, ferme duarum horarum spatium semotis arbitris

cum

cum illo collocutus est, domumq; corpus curaturus discessit, erat enim è proximo itinere admodum lassus. Eo digrediẽte rex honoris causa extra cubiculum processit: & cùm Ximenius se in genua demitteret, quòd se tam insigni comitate prosequeretur: rex etiam caput detexit, & hilari vultu dimisit. Sunt quidem hæc parua & minuta, sed à regibus apud nostros subditis exhibita, multum momenti & admirationis adferunt. Executores testamẽti singulis ferè diebus conueniebant. Hi autem fuerunt, rex & Ximenius, Antonius Fonseca, & Ioannes Velasquides, Didacusq; Deza Archiepiscopus Palentinus, & Ioannes Lopides Cæsaraugustanus eius secretarius. Hi de rebus ad remp. pertinentibus, magna cura & consideratione, inter se diligenter consultabãt. Rex interim hilarior solito per oppidi vicos, ximenio adhortante, obequitabat: & consuetis remissionibus paulatim mœrorem deponebat. Tunc fuerunt promulgatæ leges Tauricæ, quæ Isabellæ reginæ prouidentia, ad reip. fœlicitatem, & ad lites dirimendas præsentissimum remedium, de Ferdinandi cõiugis, multorumq; in ea re peritissimorum virorum consilio, excogitatę & adinuẽtę sunt. Ex testamenti reginæ clausulis, tres sunt quę potissimum ad regem pertinebant: & quarum cognitio ad ea quæ postea dicenda sunt, necessaria videtur. Prima, vt Ioãna filia ab Hispania absente, aut laborem sua regna administrãdi recusante, aut minus id propter aliquam priuatam causam facere valente, Ferdinandus maritus rerum summæ præesset: donec Carolus ex Philippo & Ioanna maior natu filius, vigesimum annum ætatis attingeret. Nã de Philippo genero, aut quòd illi peculiariter infensa, quòd filiam indignè tractasset, aut quòd Hispanis rebus moderandis parum instructum esse existimabat, nullam omnino mentionem fecit. Altera, vt in rerum à Ferdinando marito gestarum, & laborum in Granatensi prouincia expugnanda susceptorum memoriam, præmium decies centena millia nummũm, nec non dimidiam ex nuper repertis antipodibus prouentuum partem, quo ad vitam superi concessissent, quotannis perciperet. Tertia, vt trium opulentissimorum equestrium ordinum sancti Iacobi, Calatrauę, & Alcantaræ magisterijs quæ indulgente Romano pontifice magistrorum officio abrogato, quòd regiæ potentiæ æmuli tranquillitatem reip. læderent, Ferdinãdus & Isabella reges non ita pridem sibi vendicauerant, per vitæ suę tempus potiretur. Curauit enim vt administratione regnorum cõ-

 missa,

Universidad de Deusto Biblioteca

missa,& tantarum opum prouentibus,nihil pristinæ mariti authoritati præter regium Castellæ titulum detrahi videretur.Proceres illi quibus Aragonium nomen infestum erat,Ferdinandi regis præsentiam auersantes,ad hæc simulatq; vulgata sunt fremere: Philippum,cuius ingenio parum propter ætatem callido,se abusuros sperabant,accersendum:Ferdinandum ad patria regna primo quoque tempore pellendum,vrgere.In hoc prę cæteris Emanuellus,qui diu apud Maximilianum Cęsarem Ferdinandi legatus fuerat,totis viribus incumbebat.Is enim siue patrimonij dilatandi causa, siue potius primas partes apud Philippum habendi cupiditate,simulatque reginam obijsse intellexit,ad Philippum regem conuolauit: apud quem omni adnitebatur studio,vt nihil cum socero pacisceretur: sed vt is quam primùm è Castella discedens ad hæreditaria regna, quibus deberet contentus esse,migraret.Nonnihil Ferdinandi pectus hac animorum,& rerum mutatione infractum fuit. Et constãs ille ęqui & boni vxore viuente,vindex,affectibus procerum nonnihil indulgere cœpit,& Aragonium secessum formidare.Neq; tantũ præteritorum temporum,rerumq; gestarum ratio apud eum valuerunt,quàm præsentis status inuersio:quæ nimirum suas cogitationes de magnis negotijs absoluendis retardabat, comprimebatque. Quod dum Ximenius animaduertisset, vir robusto & incorrupto animo,omnem operam & curam pollicitus ad eius dignitatẽ tuendam,nutantem animum regis confirmat:virosq; aliquot spectatæ fidei ad Philippum generum mittendos adhortatur,qui eum Hispanicarum rerum rationem edoceant:& cupidos rerum nouarum regulorum animos detegant:qui mutua rerum simultate, suis commodis seruire satagerent.Adolescentẽ rerum imperitum,nullosq; veteratores aut vafros homines adhuc expertum,multò tutius in soceri fidem,qui horum hominum multos iam annos notitiam habeat,quique solam eius regiam maiestatem conseruare & augere intendat,quàm in eorum prædam venire,qui ex eorum discordia rerum suarum incrementa captant.Neq; enim generum regem esse abnuere:in cuius rei testimonium,in medio mœrore & iustissimis lachrymis,eo ipso quo coniux morte prærepta est die,regio se titulo spoliauit,nomine tantùm administratoris sibi in Castellæ regnis assumpto.Veniret ille modò cum Ioanna vxore,& experiretur non tantùm cupidum regnandi socerum esse, quàm pessimi delatores dixissent

dixissent:qui velut furiæ facibus accensis,vtrunque curabant inflammare.Huic rei gerendæ præficiuntur Lupus Cõchillus, & Michael Ferrera Aragonenses iuuenes:ex quibus Conchillus priuatim mittebatur,vt quandiu Philippus apud Belgas moraretur,Ioannæ semper reginæ adesset,& quidquid rei secretioris filia cum patre Fernãdo tractare vellet,eo tantùm arbitro fieret.His rebus ita constitutis dum omnia suspensa & in expectatione sunt,anni. M.D.V. ferme tertia pars iam elapsa erat: Fernandus nihilominus administrationi reip.intendere,& Castellani regni vtilitati,in cuius ille motibus comprimendis,& finibus amplificandis,tantum periculi & laboris exhauserat, prospicere.Ximenius verò à reipu.negotijs parumper liber,qui religionis & diuorum eximius cultor, semper aliquid secum versabat,quod hunc tam pium affectum incenderet, in memoriam reuocauit diui Ildephonsi corpus Zamoræ asseruari,quam Senticam olim appellatam esse nonnulli existimant,&.XVI. millibus passuum à Tauro distat.Incessit ergo illum mira quædam cupido visendi,& venerandi reliquias viri sanctissimi, qui & Deiparæ virginis munere & alloquio perillustris est, & ecclesiæ Toletanæ põtificatum adeo integrè & vigilanter tempore durissimo, dum schismata & hæreses vigebant,administrauit,vt diuinos sibi honores inter diuos relato comparauerit.Dolebat Toletanam ecclesiam eo esse thesauro spoliatam, & nihil magis ex illa calamitosa Hispaniæ vastatione,quam sub Roderico vltimo Gotthorum rege sustinuit, in familiari colloquio deplorabat,quàm sanctissimi Ildephonsi corpus,vestemq; sacram,per virginem matrem cælitus ad eum deductam,quæ in Ouetana ecclesia est,à templi Toletani adytis per alienas sedes exulare.Peropportunus ad eam rem gerendam Petrus Biuerus visus est:tum quòd equestris ordinis Zamoræ ciuis esset,& in sacerdotum ciuiumq; senatu permultos cognatos,& amicos, quorum id opera & patrocinio fieret,habebat: tum etiam quòd intimus & carus Ximenio,optimam operam patrono erat nauaturus, vt voti compos fieret.Eius ergo authoritate & cura id duntaxat impetrari potuit,vt quam dissimulanter id fieri posset,Ximenius Francisco Ruizio sodale,& duobus à cubiculo ministris comitatus,totidemque ante ambulonibus, Zamoram de nocte occultus veniret. Accipit ergo conditionem læta fronte Ximenius, gratijs pro tam sedula cura Biuero actis. Cùm omnia iam apparata essent,subitò Zamo-

Universidad de Deusto Biblioteca

Zamorenses mutatis animis,ne se Tauro moueret per eundem Biuerum renunciant:neque enim de ea re tam arcano consilio potuisse tractari,quin ad notitiam multorũ dimanauerit:qui tam grauiter & molestè tulerũt,vt vniuersa Zamorensis ciuitas fortunarũ omnium discrimen,suorũq; ciuium internecionẽ subire parata sit, potiusquam facultatem vllam dare Ildephonsi corpus cernendi. Quæ autem tã subitæ mutationis causa fuerit,nihil pro certo cõpertũ habeo:nisi q; nõnulli ridicula & pro tẽpore cõficta excusatione,religione quapiã prohiberi se dixerunt:vocem scilicet humana augustiorẽ è penetralibus,vbi Ildephonsus asseruatur,prodeuntẽ audiuisse,quę manes sanctissimos solicitare vetabat. Sed verisimilius est,potẽtissimi hominis & intrepidi ingeniũ timuisse, ne quid de possessione quondã sua tẽtaret,aut graues lites intẽderet sanctisimis reliquijs cõspectis,quæ diuinum odorẽ vndiq; spirarent,vereq; illam puritatem retinerẽt,quam Ildephonsus olim in illo exuuio coluit. Experimẽto enim cõstare,eamq; esse rerũ naturã,vt quę sub aspectũ veniunt acrioribus stimulis animos hominũ cõmouere soleãt. Ęgrè id Ximenius tulit,qui delusus à Zamorẽsibus videbatur:& illorũ sentẽtia cognita,quantũ(inquit) priuati hominis cõditio principis fortunæ prę stat? Nam si ego detrito,vt olim solebã,sacco indutus,ad Zamorensiũ ecclesiã venissem,sine vllo negotio,quod frustra rogaui essem assecutus. His dictis omnẽ deinceps huius rei curam proiecit, & rege Segouiã concedẽte,Tauro Cõplutum reuertitur: quanq̃ in quorũdã scriptis reperio regi comitẽ semper fuisse,donec Ferdinãdus & Philippus conuenerunt. Sed verisimile nõ est,cũ tot res Ximenius Compluti interruptas reliquisset,difficultatis & laboris plenas,quibus absoluendis eius præsentia necessaria erat. Interea reip. rebus è clancularijs cõsilijs,& occultis congressibus,in lucem se efferentibus,legati duo è Belgis venerunt,Philibertus Burgundius Veranius princeps, & Andreas Burgius patria Cremonensis,Italo ingenio,& literarũ studijs clarus:alter à Philippo genero,alter à Maximiliano Cæsare Philippi patre,ad eas res omnes,quæ non mediocriter reip. statum perturbabant,cognoscendas & tractandas missi. His in primis mãdatum erat,Emanuello aliisq; Hispanię proceribus omni vi & studio id cõtendentibus,vt Ferdinãdus Castella cederet. Erat regi adolescẽti & imperandi cupido facilè persuasum,speciosam quandã seruitutem se sub Ferdinãdi tutela actorũ,dulciq; illa regnãdi libertate

sub

sub soceri pædagogica disciplina cariturum. Belgis verò, qui Philippo intimi erant, Hispanarum opum auiditate captis, ingentia lucra proposita fuerãt,si inter socerum, & generum fœdus nullum iniri permitterent. Quas ob causas nihil aliud à legatis extorqueri poterat, quàm vt Ferdinandus Ioãnæ filiæ patrimonio relicto,in sua regna quamprimum discederet. Qua vna re tumultuantium regulorum studia, cæterorumq; omnium, qui nouis rebus inhiabãt, mirum in modum augebantur, & gliscebant. Dabãt naturæ degeneris documentum, quòd impudenti insultatione, regem de ipsis, & rep. optimè meritum, vellicabant & perpungebant. Quibus ille altissima patientia dissimulatis, aut aliorsum quàm fierent acceptis, temporis successus expectabat. Res. n. ipsæ se demũ produturæ erãt, & Philippus malo suo doctus sententiam suam erat mutaturus. Sed subitò exoritur, quod non mediocriter Ferdinandi animum, quantumuis excelsum, & fortunæ ictibus superiorem,debilitauit,& penè infregit. Lupus Conchillus, quem ad Ioannam reginam supra fuisse missum demonstrauimus, cum eam de his rebus certiorem faceret, procerumq; artes & consilia declararet, quibus Philippum coniugem à patre Ferdinando ab alienare conabantur, parentem per literas secretiores adhortatur, vt si quid apud eum carissimæ filiæ preces valerent, nullo modo ea regna desereret, quæ ipse vna cum Isabella matre, tot seditionibus & tumultibus nutantia, tot hostilibus armis vicinorum Maurorum impetita, securitate perpetua stabiliuerãt. Quòd si ad id, præter ius ex testamento reginæ Isabellæ, solennes tabulæ necessariæ essent, quibus facultas regni administrandi, donec Philippus in Castellam appelleret, daretur, se vel nolente marito quam primum missuram. Quare curis, & molestia liberdeget, nam simulatq; in Castellam ventum esset, omnia ex eius sententia componenda fore. Has literas. Conchillus Ferreræ, quem supra consiliorum participem cum eo ad reginam venisse diximus,ad Ferdinandum perferendas dedit,quòd nemo ad id exequendum aptior quàm vir Aragonius videretur:qui & soli natalis communitate,& multorum beneficiorum causã, quibus illum cohonestauerat,Ferdinando regi obstrictus erat. Is autem siue timore deterritus, ne si res palàm fieret Belgis pœnas atroces daret,siue captãdi Philippi cupidus,parum fidei & officij memor,rem vniuersam ad Philippum defert,eiq; literas in manus tradit. Philippus postquam mittẽdarum

Universidad de Deusto
Biblioteca

darum literarum,& totius consilij authorem Lupum Conchillum
fuisse intellexit:iracundia percitus,tanquam nefario in crimine &
capitali fraude deprehẽsum,in tetrum carcerem detrũdi iubet: vbi
loci pædore,& vligine caput intabuit,& defluuium capillorum pas
sus,vitæ periculum subijt.Id medicaminis viribus,quo se petitũ eo tẽ
pore aiebat,Conchillus accidisse arbitrabatur: atq; ita in familiari
colloquio senex olim iactabat,mentem sibi postea per interuallava
cillasse.Nec Conchilli pœna Philippus contentus fuit:nam vniuer-
sam vxoris familiam,Aragoniorũ hominum causarijs missionibus
atque adeò cæterorum omnium,quos ad Belgas venienti pater tra
diderat,obdurato animo immutauit,paucis duntaxat retentis, qui
bus ne se inscio in Hispaniam scriberent,seuerissima admonitione
edixit.Ferebatur etiam Philippus cum Gallorum rege Ludouico fœ
dus inijsse , ad deturbandum è Castella socerum si per vim aliquid
tentasset.Nam Carolo Philippi filio Claudia Ludouici filia , maxi-
mis conditionibus despondebatur.Galli tamen proceres id nõ pro
bantes,pacta cum Philippo conuenta mutarunt:& Francisco An-
gulemæ regulo,ad quem nisi Ludouico proles virilis nasceretur,sce
ptra de more maiorum pertinebãt,elocata est:ne minoris Britannię
successio,cum Claudia materni iuris & patrimonij hærede,ad Caro
lum postea deuolueretur.De his omnibus Ferdinandus certior fa-
ctus,cùm se peruersis corruptisq; Belgarum studijs foris vrgeri cer
neret,domi verò suorum ingratitudine,& inuidia premi , minimè
esse malis cedendum ratus,Ximenium confestim accersijt,vt illum
regulorum potentiæ opponeret,qui apud Belgicos legatos , in regis
contemptum assiduè versabantur:& vt cum eo conferret, quid su-
per Conchilli vinculis esset agendum.Quod quanuis alta dissimula
tione celauerat,animo tamen hærebat,præsertim postquam aper-
ta simultate & odio rem agi vidit.Paruit statim Ximenius,regique
suo tot difficultatibus & molestiis laboranti,deesse noluit.Venit ci-
tato itinere Segouiam,& regem munumentis gestarum rerum cla-
rum,Castellæ reip.amantissimum,mansuetudineq; morum cõmen
dabilem,cuius in omnes Castellæ regulos extabant merita,vno aut
altero ex proceribus,qui aut propter sanguinis coniunctionem,aut
propter intimam familiaritatem eius dignitatem tuebantur,comi-
tatum inuenit.Cæteri enim(vt dixi)apud Philibertum & Andreã
legatos assidui, omni insultationis genere regi suo bilem mouebãt.

Xime-

Ximenius inscijs omnibus Segouiam ingressus, vt erat de via pulue
rulentus,antequam regem salutaret legatos qui iam epulis paratis
discumbere volebant,ad se quam primum venire iubet:res enim es
se maximi momenti,quæ se festinabundum Segouiam venire coë-
gissent:nec vulgare periculum emersurum,nisi in tempore succur-
reretur,omniemq; moram quæ rebus gerendis semper nocuit, nunc
perniciosam insanabilemq; fore.Commoti sunt legati Belgæ,quan
uis proceribus id extenuantibus,atq; vt inanes terrores contemnen-
tibus.Gratias igitur se Ximenio agere pro suscepto labore benignè
respondent,& se à prandio ad illum venturos,& ex eius præscripto
omnia effecturos,quę ad rem p.pertineant,promittunt. Instat Xi-
menius vt relictis epulis properent , neque enim id genus nego-
tium esse,vt dilationẽ vllam pateretur.Parent legati, & in regiam
quò iam se ille contulerat veniunt.Egit primò de Philippi rebus prũ
dẽter satis & grauiter: & improbare se dixit,q; soceri probitati & cã
dori diffidens,sese vulturibus deuorandum cõmitteret, lupisq; hiãti
bus prædam appararet.Deinde de Cõchilli carcere,& Aragoniorũ
amandatione,rei indignitatẽ verbis etiam exaggerans,quòd Philip
pus leuibus de causis tam grauia animi exulcerati signa aduersus
socerum,de illo multis in rebus benemeritum dedisset.Quare nun
cios per equos dispositos ad Philippum mittendos censet, per quos
de Conchillo dimittendo,atq; in pristinam dignitatẽ restituẽdo,cũ
illo agant.Nam si vlterius progrederetur,videret ne soceri animum
aduersus se irritaret:cui nihil aliud quã reip. Hispanæ commodum
curanti,nõ defutura esse optimatum studia,qui illum quantumuis
gallico præsidio & potẽtia instructum,donec sanius cõsilium recipe
ret,ab horum regnorum accessu prohiberẽt.Attoniti ad tantam di
ctorum libertatẽ legati,& durum Ximenij ingenium cognoscẽtes,
ne quid nouarũ rerum in tã iusta indignatione,partim rex,multitu
dini carus,partim antistes potẽtissimus molirẽtur;anteq; dapes,re-
peterẽt,nuncios cum literis ad Philippũ miserunt de rebus per Xime
niũ tractatis:monẽtes vt omnia in melius mutaret,donec ipse in Hi
spaniã veniẽs,rebus pro voluntate cõpositis sceptra teneret.Nunc ve
rò Ferdinãdũ & Ximeniũ timẽdos esse,qui reip.cõmodis tuẽdis,eisq;
proculdubio studẽtes,ni eorũ volũtati obtẽperaretur,magno ad res
gerẽdas impedimẽto futuri erãt.Hęc postq; Philippo,intimisq; suis
renũciata sunt,cũcta ex Ximenij prescripto fiũt.Conchillus vinculis

liber

Universidad de Deusto Biblioteca

liber in dignitatem ablatam restituitur,& de fœderibus cum socero agitur. Ille vt erat perspicaci ingenio & prudentia præditus, nihil firmum fore eorum quæ tractarentur prædiuinans, dum hæc cum genero agit, Gallum ad amicitiam inuitantem, quanuis omnia superiora petentem, non abnuente Ximenio recepit. Ximenius ab hoc tempore vsque ad regis Philippi mortem, & Ferdinandi in Hispaniã reditum, magna reip. vtilitate varijs procellis per id tempus perturbatæ, nunquã à regio comitatu discessit. Mittuntur ad Gallum legati Cifontius comes, & Thomas Malfelitus Aragonij senatus præfectus: quibus authoribus, & si iniquissimis conditionibus, fœdera tamẽ percussa sunt. Gallus iuri Neapolitano cederet, dummodo Ferdinandus Germanam neptem, quanuis ipse ætatis multò prouectioris esset, vxorẽ duceret (erat enim duo de viginti annos nata) cui Ferdinandus rex maior erat auunculus, nam ex vetusta Foxiorũ comitũ familia paternum genus, maternum è regio Aragonum, & Cantabrorum stẽmate ducebat. Quòd si Germana absq; liberũ successione decederet, vrbs Neapolis atq; adeo vniuersa regni pars, quã Federico deturbato Hispanus & Gallus partiti fuerant, rursus in potentiã Gallorũ veniret: atq; in summam, vt videbatur, Hispanorũ iniuriã, quibus fusi sanguinis, & ingentiũ laborũ præmiũ, iure belli oppida quædam, & vrbes hostium donata fuerant, rursus prioribus dominis totius defectionis authoribus, Aragonio nomini infensissimis, restituerẽtur. Post hæc quingenta aureorum millia decennio penderentur, in singulos annos continuos quinquagena. Quæ etsi Ferdinãdi authoritati, qui paulò ante de Gallo tot deuicto prælijs triumphauerat, non mediocriter officiebant, & partam gloriã magna ex parte obscurabant, non reijciẽda esse eo tempore visa sunt. Postq̃ hæc Philippus resciuit, indignissimè tulit: & cùm se à Gallo delusum esse sentiret, ac soceri vires multum ea affinitate adauctas, quanuis indignabundus pacem cum socero inire cogitur: & cum vxore in gratiã rediens, tabulas tandẽ ad eum mittit, quibus regnorum administrationi æqua cum ipsis potestate præficitur. Salmanticã interea Ferdinandus & Ximenius vnà è Segouia venerant, vbi mense Decẽbri Ximenio nuntiatũ fuit, Petrũ Furtatum Cazorlæ præfectũ, Guadalfaiarę è viuis decessisse. Eius prouinciæ cura quoniã ad eũ pertinebat, statim viros strenuos & industrios illuc mittit, qui oẽs presidiarios custodes, iurisiuradi solẽni religione post Furtati mortẽ iã exolutos, sibi de

nuo de more obstringerent: & publicæ tranquillitati prouiderent: ac vectigalium prouentuumq; collectioni, quæ solent in huiusmodi rerum occasionibus rapacissimo cuiq; prædę esse, diligenter & studiosè attenderent. Hac diligentia, qua in omnibus rebus tẽpore semper necessario est vsus, animos hominum quietos continuit: cũctosque motus & seditiosas cogitationes è pectoribus eorum euulsit. Nihil vltra ea de re tunc constituendum esse existimauit, sagaci (vt non nulli dicebant) consilio, vt negotio in posterum dilato, regi de se benemerito occasionẽ pro aliquo intercedendi prẽriperet. Quãuis differre se aiebat hoc negotium in aptius tempus, quãdo regis animus hilarior esset, & minus curis premeretur. Est verò Cazorla (siue magis Castorlam appellare libet, nam ita ab historicis nostris vocitari deprehendo) antiqua (ni fallor) apud Strabonem Catastaon: nã haud procul ab ea Segura mõs est, quem argẽteum vocat, vnde Bætis fontes erumpunt: & adhuc nostra tempestate plumbi, & aliorum metallorum fodinę sunt, quarum etiam Strabo meminit. Ea quoniam olim à Roderico Toletano Antistite, viro prẽter insignẽ, prout illa tempora ferebant, eruditionem, & in pace & bello claro, è barbarorum imperio liberata fuerat, Ferdinando tertio Hispaniarum rege id benignissimè concedente, in Toletanorum pontificum ditionem venit: in quorum potestate trecentorum annorum & amplius spatium durauit, donec sub Ioanne Tauera, ad Camarasium Francisci Cobi filium trãslata fuit. Instabant interea Ianuarij Calendæ, nouaq; omnia cũ noui anni luce, qui supra millesimũ, D.VI. numerabatur, ex fœderibus inter reges ictis, non sine magna bonorum lætitia sperabãtur. Nec eos fefellit euentus: nam octauo idus Ianuarias, quo die Magorum ad Christum natum adorandum aduentus religiosissimè à nostris colitur, publica præconum regiorum voce, cõcordia regis Ferdinandi cum eius liberis pronuntiatur. Quare regia deinceps diplomata Ferdinandi, Philippi, & Ioannæ nomen prẽferebant. Nõ deerant è senioribus sinistri vates, qui & longa rerum experientia, & grandis ætatis vitio, omnia in peiorem partem detorquerent. Nam in eum vsum tantisper simulari dicebant, donec Philippus in Hispaniam se reciperet, & socerum in Aragoniam pelleret. Illam enim diplomatum præfationem in qua Ferdinandus prænominabatur, quem nullo in loco positum vellent, oppidò quam ingratam Philippo, & Belgis futuram. Ferdinandus statim Segouiam redijt, vt

Universidad de Deusto Biblioteca

venatione se oblectaret,cuius studio & exercitatione, mirum in modum recreabatur. Vere ineunte certior factus est,Philippum & Ioānam vela fecisse,propediemq; in Hispaniā appulsuros. Supplicationes pro eorum prospera nauigatione ad diuos omnes susceptę sunt, & non contemnenda nummorum summa per sacerdotum collegia,& per sacrarum virginum contubernia distributa. Quare Seguia discedens,Valleoletum (quæ antiqua Pintia est) proficiscitur: vt Oceano propinquior, simulatq; compertum habuisset Asturum terram eos attigisse,quà è Belgis soluentibus veniendum erat, facilè illis obuiam procederet. Illi interea maris inconstantiam experientes, tempestatibus grauissimis iactati. VI. Calend. Maias magnum Calletiæ portum deuenerunt, olim Brigantinum,nunc Corunnam dictum, quasi Columnam (Incolę enim sic turrim vocabant)non quòd ibi ab Hercule secundę columnæ, quod viri docti nonnulli crediderunt,eo in loco collocatæ sint,decepti (vt opinor)fabella quę inter nostros circunfertur: turrim illam ab Hercule constructam, in qua speculum arte quadam arcana posuerit, in quo naues vel longissimo spatio distantes contemplari liceret. In tam ridiculam opinionem ignoratione vocum sunt delapsi. Nam cùm turrim speculam vocarent,speculum illi, quod diximus, confinxerunt. Sed quoniam hanc Augusti turrim titulo esse memorabilem nonnulli authores tradiderunt, adscribemus & titulum,qui seorsim ab ipsa turri insculptus est, optima fide transcriptum.

MARTI
AVG. SACR.
G. SEVIVS.
LVPVS
ARCHITECTVS
A.F.DANIENSIS
LVSITANVS EXVL

Simulatque Ferdinandus reges aduentasse resciuit, iustis itineribus Valleoleto Compostellam contendit. Post eum Ximenius viæ se dedit,primoque ipso quo discessit die, Villumbrale oppidū peruenit,suæ ditionis municipium, lampadum oleo templi Toletani à maioribus religiosè dedicatum, bis decem millia passuum Valleoleto distans. Quopacto autem à Toletani Pontificis ditione longè

longè sepositum oppidum in ipsius potestatem venerit, non grauabor recensere,quemadmodum in templi Toletani adytis scriptum deprehendi. Alfonsus octauus Hispaniæ rex,cui crux in aëre se ostēdens victoriæ aduersus Mauros significationem certissimam dedit, Ferdinando Sanctio, qui regis abaco prefectus erat,ob sedulam in munere suo obeundo operam, id oppidum dono dedit. Ipse verò siue colonorum molestias non ferens, siue potius animi pietate inductus, quam Alda vxor, fœmina religiosissima fouebat, cum Roderico Ximenio Archiepiscopo Toletano pactus est, se illi oppidum cum agris communibus traditurum, modò pensionis annuæ nomine, aureos denarios trecentos, & frumenti Toletani quinquaginta trimodios susciperet, hi è Compluti prouentibus, illi è salinis Villinchonis, in spartario tractu pendendi. Hęc pacta Ferdinandus tertius Hispanię rex, Alfonsi octaui è Berengaria nepos, templi Toletani & Pontificatus eximius cultor,vt fierent benignè permisit: & diplomate regio testatus est, se id municipium cum vniuersa regiuncula subiecta, Toletanis pontificibus concedere, eo pacto quo Alfonsus eius auus Ferdinando Sanctio donauerat, qui ei à custodia poculorum erat. Fuit hic Ferdinandus tam insigni erga Deum pietate, vt inter omnes Hispaniæ reges Sancti cognomen obtinuerit: multisque prælijs cum Mauris consertis, victor spolijs onustus redierit. Nam Cordubam, & Hispalim, clarissimas vrbes, atque adeò maiorem Bæticę partem,diuina ope & auxilio è Maurorum tyrannide recepit. Huius optimi regis beneficio augustissima templi Toletani tecta debentur: quæ, cùm adhuc per centum, & amplius annos, ex quo ea vrbs in potestatem Christianorum venerat, Arabici delubri formam retinerent, miserrimam illam Hispaniæ cladem probroso quodam monumento referebant, curante id Roderico Antistite, viro grauissimo & magnanimo, in eam faciem exædificata sunt, qua Christiani homines vti consueuerunt. Huic rei exordiendæ Ferdinandus rex, & Rodericus Antistes, præclaro exemplo auspices fuerūt, primos in templi fundamentis lapides venerabundi collocantes. Ea nondum quadringentorum annorum spatio, in eum fulgorem & maiestatem creuerunt, vt nihil illis augustius in toto Christiano orbe visatur. Nam paulatim ex religiosorum principum,& piorum hominum liberalitate, ea sacrorum redituum portio quæ sartis te-

Universidad de Deusto Biblioteca

ctis curandis cedit, octogies centena millia nummorum summam efficit. Altero postquam Ximenius accessit die publicè sacris in tẽplo interfuit: & quoniam agrorum squalore, & pluuiarum aquarum inopia eo anno vniuersa Hispania laborauerat, hominum animi afflicti erant: placuit religiosissimo præsuli, post peracta sacra, vetustum quod extra oppidum est sacellum adire, quem omnes supplicantes secuti sunt, crucis vexillo (vt solet) præeunte & sacerdotibus in vestibus lineis vtrinque procedentibus, pluuiæ, eliciendę causa. Ea ingens & copiosissima antequam in oppidum rediretur effusa, & per plures dies continuata, non solum circum circa regionem, sed cęteras omnes Hispanię partes admirabili fœcunditate affecit. Hoc tantum beneficium Ximenij sanctitate, à numine concessum plerique dixerunt. Hinc ad Ferdinandum properauit: qui iam dudum in Calacię Lucensibus, ad Molinam oppidum, quã Ptolemęi Oliuam nonnulli esse dicunt, liberos Compostellam venientes expectabat. Hîc aliquot dies Ferdinandus commoratus est: quòd Philippus, & Ioanna maris tempestate iactati, lentè à portu procederent: & homo alioqui in omni negotio attentus, hac mora regulis parum beneuolis occasionem dedit, vt animum Philippi præoccuparent, & iuuenis incauti facilitate aduersus eum abuterentur. Nam quod in Belgis Emanuellus cœperat, cæteri omnes factionis suę principes, nouis additis calumnijs, perfecerunt. Regem prestantissimum, aut inuidia regni affectati onerabant, aut si id minus probare poterant, consortis esse impatientem criminabantur: & in animo habere, si prolem, è Germana vxore suscipere contingeret, Castellanicis opibus Aragonensium potentiam adaugere, eamque nostris sceptris æqualem, aut æmulam facere. Philippus animo insensissimo Germanæ nuptias semper acceperat, quòd eas in suum detrimentum & contumeliam esse factas crederet. Quare his tam opportunis criminationibus aures vsque adeò faciles dedit, vt Compostellam tandem accedens, quò Ferdinandus erat venturus, vt de rebus ad remp. pertinentibus cum genero ageret, non expectato socero, quamprimum inde discedere, alioque iter flectere, quàm inter eos per legatos Fernãdum Vegam, Calletiæ proregem, & Raimundum Cardonam conuenerat, instituerit: Ioannæque conspectum patri denegauerit: nihilque eorum quę per præcones Salmanticæ sunt pronunciata firmum

mum ratumúe habuerit. Itaque iter per montium penè inuiorum anfractus, ne sibi obuium socerum haberet, ad Aquascalidas (quod oppidum Orense nunc dicitur) quanta potuit celeritate conuertit. Id vbi Ferdinandus resciuit, doluit quòd parum prudenter Molinæ commoratus, regulos apud generum non anteuertisset, de quorum ingenio & maleuolentia, nihil boni sperandum fuerat. Ergo dissimulato dolore, vt erat in aduersis tolerandis prudentissimus, de tam aperta generi contumelia Ximenio ad se accersito conqueritur: suamque negligentiam damnans, nonnihil etiam Ximenium de ea re culpat, qui cessantem non admonuisset. Ille verò minimè in ea re defuisse respondit: & vt memoria repeteret rogabat, quoties admonuisset, vt armatus, & copijs militaribus instructus, res controuersas cum genero componeret. Nam regulorum animi nimium in Ferdinandum exulcerati, haud alia ratione refringi, aut in officio contineri poterant. Sed postquam ei durum & acerbum videri intellexit, vocem compressisse, nihilque amplius super ea re sibi tractandum existimauisse. Quare videret ipse, quid nunc tandem esset faciendum, vt fractis rebus succurreretur: libenter enim se omnia executurum. Conuenit inter vtrunque, vt Ximenius quamprimum ad Philippum iret, eiusque animo pertentato, daret operam vt omnem conceptam maleuolentiam ex regulorum rumoribus, deponeret: eiusque animum leniret, & tractabilem, qua erat dexteritate redderet. Suscepit eius rei curam Ximenius, & ferme sub mensis Maij principium Molina profectus, Compostellam ad Philippum ibat: sed per nuncios, quos præmiserat cognouit, Philippum Compostella discessisse, atque via faciliori neglecta, iter impeditius (vt dixi) suscepisse. Doluit Ximenius, & quòd nihil iam fieri à Philippo videbat: & quod bona spe esset frustratus. Nam sperabat Ferdinandum à genero opera suâ Compostellam vocandum, atque inde coniunctis animis Castellam bonis auspicijs ingressuros, & sine vlla æmulatione aut simultate, de rerum summa simul consulturos: hac verò publica mutuæ concordiæ imagine regulorum & vulgi animos conquieturos. Cæterùm ea itineris mutatione palàm fecerat, se socerum auersari & fugere. Quare nihil iam amplius prætexti poterat, quod Philippi alienationem excusaret. Dolebat etiam sibi occasionem pręripi,

Universidad de Deusto Biblioteca

ripi, ad religiosissimam sancti Iacobi ædem accedendi, vbi & sacra celebrare voluisset, & quouis pietatis genere diuum Hispaniæ tutelarem demereri. Cogitur Ximenius Orense diuertere, vt primo quoque tempore Philippum conueniret, gliscentemque illam simultatem coerceret. Iter per montes illos facienti vicus quidam occurrit, in cuius peruetusto & malè sarto templo, diuę Euphemiæ corpus asseruabatur: cuius præsens patrocinium innumeris per eam regionem editis miraculis, cùm alij finitimi populi, tum pręsertim accolæ Giguri, in quorum tractu Orense oppidum, & vicus ille est, frequenter senserunt. Ad eam visendam continuò Antistes venit: quam quoniam ob vici inopiam parum pro dignitate contineri comperit, ære suo ędiculam diuæ exædificari iussit, vbi ornatiori apparatu coleretur: quæ postea (vt audio) Orense translata est. Sedecim millia passuum vicus ille ab Orense aberat: & dum his rebus occupatur Ximenius, quantunuis postea festinantius solito iter fecerit, tamen Philippus & Ioanna anteuertentes Orensem peruenerant. Hoc ille molestè tulit: cupiebat enim Philippum, oppidum percelebre ingredientem, comitari. Igitur hora ferme dici sexta, reges intra oppidum sunt recepti: Ximenius verò sub noctis crepusculum, statim Franciscum Ruizium sodalem suum ad Philippum & Ioannam suo nomine salutandos misit, seque venisse nuntiaret, & tempus aptum ad colloquium peteret. Benignè Ruizium Philippus suscepit, & gaudere se dixit mirum in modum de Ximenij aduentu, & vt die sequenti ad se veniat iubet: cuius pręsentiam sibi cumprimis gratam futuram humanissimis verbis significat. Gauisi sunt etiam proceres aliquot, qui bonam spem conceperant, eius prudentia & grauissimo consilio cõtrouersias inter reges componendas. Ergo Ximenius postquã sacris interfuisset, ad Philippum venit: qui accedentem omni honoris & comitatis genere, in omnium cõspectu recepit. Nam prẹter primatis põtificiam dignitatem, cui omnem honorem reges nostri deferre consueuerunt, nouerat iam olim Philippus, quãta esset in eo amplitudo, quanta grauitas, & morũ sanctimonia. Per duarum & amplius horarum spatium, sine arbitris collocuti, prandio interpellante sunt digressi. Cœpit illicò Ximenij domus crebris procerũ itionibus frequẽtari, quos ille omnes incredibili comitate accipiebat, quã prudentiâ

suâ ita cum innata seueritate coniungebat, vt nemo eo aut grauior, aut iucũdior sit habitus, quanquã seueritati semper propior. Interea Philippum cõuenire nõ cessabat, deq; rebus cum Ferdinãdo componendis agere: in quibus omnibus postquã satis instructus Philippus fuit, easq; cũ intimis suis cõmunicauit, ij erant Belgarum principes, Veranius, Laxaus, & villas, & cum his Andreas Burgo, qui Philippo à secretis erat. Hi ergo iussi sunt ad Ximenium venire, regisque sententiam declarare. Factum est id pridie sacramentalium, idque ad multam noctem. In sequenti die bene mane, postquam diei religioni sacris peractis satisfactum à Ximenio fuit, penetrale ingressus, & cæteris digredi iussis, Vallegium ad se vocat: obseratisque cubiculi foribus, vt ad Ferdinandum epistolam scribat, imitato eius ad vnguẽ chirographo, iubet. Nam huius rei gnarus Vallegius, sępe illum scribendi labore leuabat, quoties ad principes viros scribẽdum erat. Ergo epistolam in hunc modum dictauit. Se cum Philippo genero omni cura & diligentia egisse: intimos suos sæpius conuenisse: quibus regulorum animos aperuisset: vt intelligerent, nihil aliud quã priuata patrimonia ex regum suorum discordijs adaugere velle: & Ferdinandum virũ opt. & de Philippo optimè meritum, imò verò de tota Hispania, è medio tollere vellent: quoniam illorum volũtates & consilia percallebat. Quare diligenter viderent, ne regulorum versutia & astu circunuenirentur. Nam si blandis illorum dictis decepti, sese illorum fidei commisissent, re ipsa postea cognituros, quã sana sint eius consilia. Quare rebus suis melius prospecturos, si Philippus sub soceri tutelam receptus, illi se totum crederet: qui longa rerum experientia edoctus, rerumq; nostrarum abũde peritus, quid in Philippi rem esset percalleret, & quopacto apud eos homines regia authoritas esset cõseruanda. Neque enim aliud Philippũ agere, qui socero repulso, se Emanuello, & cęteris tradebat, quã si crus sibi proprium abscinderet, & eius loco ligneum, arundinaceumúe supponeret. Socrus solere quidem nuribus infestas esse, propterea quòd sexus imbecillitate, pati nequeunt filios ab illis allici, quasi id sibi amoris detrahatur. At soceros semper esse generis beneuolos, eoque magis eorum res curare, omniq; studio adaugere & prouehere contendunt, quòd sic filiarum cõmodis, suæque posteritati prospicere certò sciunt. Eum verò potissimùm affectum nunc in socero rege acriorẽ esse, qui virili prole destitutus, omnem spem in filia collocarat: cuius

Universidad de Deusto Biblioteca

causa natura ipsa vrgente,& proprijs compẽdijs ita exposcentibus pro virili curaturus esset,vt Philippus quem asciuerat in filiæ coniugium,& sub cuius potestate,iure nuptiarum, tot principatus futuri erant,& nepotes item gignendi tanti imperij successores, sibi iã seniori, & corporis viribus ob ætatem ferme destituto, iuuenili robore adesset,& regnorum molem sustineret, soceri prudentia adiutus. Cęterùm nihil apud illos,super hac re,tot rationibus effecisse:siue quòd semper difficile fuit,opiniones quibus semel animus imbutus est euellere,siue quòd plerique hominum malis consilijs maiorem fidem habent:& quòd principes Belgarum certi essent,si in soceri gratiam Philippus rediret,primas apud illum partes se nõ esse habituros:totamq; illam priuatarum vtilitatum conceptam spẽ infumos abituram. Itaq; hanc sibi fenestram occlusam esse cũ Ximenius vidisset,sese ad id tractandum conuertit,vt Ferdinãdus in Granatensi regno,quod ipse tantis laboribus & sudore ceperat, regnaret. Esse adhuc gentes illas libertatis antiquę, & superstitionis memores,semperque nouis rebus intentas:quare hominis præsentia indigere,cuius authoritatem & conspectum vererentur:quiq; illos in officio contineret. Nemo verò ad eam rem eo rege commodior,cuius magna vi & bonis auspicijs tota illa regio subiugata fuit: & cui omnes montium & viarum aditus,omnesq; locorum stationes notę essent. Sed cùm neque hoc ab ipsis impetrasset,qui in primis id sibi euincendum esse persuasissent,vt Ferdinandus è Castella discederet:aliôqui Philippum,neque commodè,neque tutò regnare posse: illis tandem conditionibus contentum esse oportuit,quę in reginæ testamento cõtinentur. Nempe vt ex Bombycini opificij quęstu, qui Granatæ permagnus est, decies centena millia nummûm quotannis caperet:& sancti Iacobi,Callatrauæ,& Alcantarę,militariũ ordinum maximis magistratibus, quoad viueret,frueretur:& noui orbis,qui eius & Isabellæ vxoris auspicijs patefactus est,redituum(qui tunc quinquagies centena millia nummûm, aut aliquanto amplius erant)dimidiam partem sine vlla controuersia perciperet. Hæc pacta quanuis fortassis non aspernanda viderentur,non admodum sibi arridere Ximenius dicebat:sed quando aliter fieri nequiret, illis tandem conditionibus vt non omnino malis acquieuisse. A Philippo autem se non discessurum,donec socer & gener in cõspectus mutuos venirent. Interea de omnibus rebus quæ illic gererentur,certio

rem

rem eum continuò facturum. Hæc postquam ad hunc modum scripta sunt,priuato signo quod diui Francisci imaginem tenebat,epistola est obsignata,& Mirandę cursori in manus tradita,vt quàm celerrimè posset Molinam contenderet,& regi traderet. Rescripsit ad Ximenium Ferdinandus literas amoris & beneuolentiæ plenas: in quibus pro tam sedula opera,qua tam facilè,& tam breui tempore, res tam difficiles & arduas cõfecisset,gratias agebat. Gratiora enim sine sanguine & tumultu mediocria illa sibi contigisse, quàm per vim aut tyrannidis imaginem maxima quæq; obtinere. Nam cùm talis mortalium conditio sit,vt non nisi icti (quod aiunt) sapiant, se iam quidem certè diuinare, Philippum tãdem malis edoctum,eius operam non ita multò post sponte sua requisiturum. Dictum est supra,de Castorlę prefectura nihil post mortem Didaci Furtati à Ximenio prouisum,quoniam iactauerat,vt diximus,expectare se lętiorem in Ferdinando animum,multis de causis mœrente, & affecto. At res ipsa in prefentia indicauit,prudentissimum virum noui regis aduentum expectauisse,quò suam voluntatem cõfirmaret. Atq; ita cùm super ea re cum Philippo egisset,& aliquando Garsiæ Villaroello comite ad eum adiuisset, vt regis manum oscularetur iussit, qui illum Castorlę præfectura benignè donasset. Erat Villaroellus Ximenio carus,multisque de causis perquã coniunctus. Nam Garsias Ximenius,de quo diximus,Ioanni Villaroello viro nobili, oppidi sancti Martini ad fontem domino,Beatricem filiam vxorem dedit:ex qua natus Garsias Villaroellus,de quo agimus fuit: eo nempe cognationis gradu Ximenio propinquus,quem iurisperiti propius sobrino appellant. Hunc omni ornamento,& honore decorare Ximenius instituit:partim quòd in eo preclara indoles iam olim reluceret:partim quòd Garsię Ximenio patruo,ita se referre gratiã existimabat,pro beneficijs quibus puer quondam ab eo affectus fuerat, Quin & moriens Archipresbytero nepoti legatum reliquit, erat enim Ximenius Vzedæ Archipresbyter,vt aliàs diximus. Philippus & Ioanna,quoniam lassitudinem ex mari contractam,nondum deposuerãt,aliquot dies Aquiscalidis corporum curandorum causa se continuerunt. Huius vrbis situs in Cilinis est,olim Amphilocopolis dicta,& deinde Amphilochia:nam eam Amphilochus,qui Teucrũ ex Troia in Hispaniam est secutus, condidisse dicitur. Romani tamen Calletia deuicta Aquascalidas vocarunt,quòd prope eam fons

Universidad de Deusto Biblioteca

ſit,cuius aqua tanta inflammatione perpetuò feruet, vt quibus ignis vſum expectare faſtidium eſt, aut quos inopia vrget, illic oua, carnes,& obſonia percoquant. Sed præſertim vitularum capitibus radendis,quarũ ea regio feraciſsima eſt,magno eſt vſui. Nam citra vllam coquorum moleſtiam, dicto citiùs ablatis pilis, coria pura relinquuntur. Thermæ inde ſaluberrimæ deriuantur, varijs ægritudinibus ſalutares. Sueui,qui ex illa Scytharum gentium inundatione, vniuerſam Hiſpaniam ſubiugarunt,ea Calletię parte poſt Romanos occupata,proprio idiomate Vvarenſe appellare cœperunt:id eſt lacum,ſiue flumen,aut fontem calidum(ſe enim particula aquam ſignificat)quę cognominatio paulum immutata adhuc durat. Quare non ſunt audiendi,qui ab auri copia, quod ex proximo Minio fluuio colligebatur,dictum eſſe prodiderunt. Permulta in eo tractu ſunt,quæ vrbem amœnam & nobilem faciunt:ſed potiſsimũ excellentis vini abundantia, fructusque varij arborum circum circa ad naſcentes. Hîc cum aliquando ad templum maximum Ximenius veniſſet,quod Epiſcopo & Canonicis ſodalibus exornatum eſt,multa perſpexit,quæ raritate,& arte commendabantur:& inter alia ſignum Chriſti in cruce pendentis vetuſta indigenarum religione venerabili, iam olim miraculis clarum,eiuſdemque (vt ferebatur)artificis qui Burgis huiuſmodi ſignum in Auguſtiniano cœnobio dicauit,hominum cultu celeberrimum : cuius illud apud Burgenſes mirabile circunfertur, quòd Iudæi domum pollicem crucifixi clãmutilantis, cruoris riuulus continenter fluens, manifeſto indicio prodiderit. Locus in quo collocatum erat, non ſatis commodus Ximenio viſus fuit: luce enim totus replebatur, vnde bona religioſi affectus pars detrahebatur. Quare ſacerdotes qui eum comitabantur admonuit, vt in aliam ſedem transferrent: quam ipſe,omnibus approbantibus, deſignare grauatus non eſt. Viginti ferme dies Aquiscalidis commoratus Philippus,iter ſuſceptum perficere contendit:conſtituerat enim Pintiam venire, atque inde Burgos: vt ibi publici conuentus haberentur, resq; omnes per cuiuſque ciuitatis procuratores & legatos,ex Hiſpanię vtilitate tractarentur. Sanabriam, altero poſtquam profectus eſt die,Ximenio eum comitante venit: cuius opera & induſtria curatum fuit,vt poſtquam iam cum Ferdinando conuenerat,in colloquium etiam veniret,& ſimultatis depoſitę claram apud omnes ſignificationem daret. Obtemperauit Philippus:

ſed quoniam gnauus aliquis vir neceſſarius erat, qui & tempus & locum colloquio aptum, & rebus tractandis modum & ordinem conſtitueret, Emanuellus peraccommodus videbatur. Sed ille rerum aduerſus Ferdinandum actarum conſcius, nolebat in eius pręſentiam, niſi de ſua ſalute tutus,venire. Dati ergo ſunt obſides Fadricus Albę regulus, & Antonius Fonſeca,vir inter Vacceos princeps,qui Ferdinando intimè cari, cum in omnem fortunam ſequi decreuerant. Hi ſtatim vt ad Philippum venerunt, miſsi ad Ximenium ſunt:à quo humaniter & lautè excepti, mutua inter eos lętitia, eam hilares noctem tranſegerunt. Interea Ferdinandus Sanabriam verſus iter ſuſcepit, quò Philippus rectà venturus erat. Aſturica, & Beneuentum in medio occurrebant, quà illi neceſſariò tranſeundum erat:ſed Pimentellus & Oſorius reguli,quorũ illa oppida erant,parum propenſi in Ferdinandum,ne in ea reciperetur edicunt. Quod vt non multum Ferdinandus curauit, qui fortunę mutationes prudenter ferebat,ſic illis multum laudis detraxit. Cordatis enim omnibus iniquum,& graue viſum eſt,tantum ſubditis in eorum nuper dominum licere. Altero poſt datos obſides die,Philippus Sanabria,ad ſoceri colloquium, qui non longè aberat profectus eſt,magna regulorum multitudine,tam Belgarum,quam Hiſpanorum comitante. Præcedebat manus mille peditũ Germanorum,acie ita probè apparata & inſtructa,vt prælij faciem planè referret. Subſequebãtur ſagittarij equites,inter quos Philippus vehebatur,Siniſtrum latus Emanuello, dextrum verò Ximenio claudente. Quatuor ferme millia paſſuum à Sanabria emenſo, Ferdinandus, qui totidem ferme è Riuo nigro progreſſus fuerat, obuiam fit, nihil bellicum aut infeſtum pręſe ferens, ſed vt rebus tranquillis & pacificis conſueuerat, ducentis è ſuis ſtipatus, qui mulabus vehebantur, enſe tantum accincti, & vittis puniceis, more patrio capita obuoluti, Hiſpanicisque pallijs contecti, quæ Caputia vocant,parum ad pugnandum aptis. Qua ſanè ſpecie innocẽtiam ſuam ita Ferdinandus apud omnes commendauit, vt qui vel ei iniquiſsimi erant, eo tempore fateri cogerentur, neminem vel prudentiorem eo rege,vel moderatiorem eſſe. Qui iudicijs & animis incorrupti erant,non ſolùm eius prudentiam & modeſtiam laudabant, ſed peſsimis illis inſtigatoribus taciti indignabantur, quorum cauſa, Philippus velut victor inſultans,ſocerum inermem armatus exciperet:

Universidad de Deusto Biblioteca

exciperet:cui ob Hiſpanæ reipub.conſeruationem, totiusque ſuę dignitatis amplificationem (vt interim affinitatis vincula taceantur, quæ paternis proxima ſunt) multipliciter obnoxius erat. Paululum antequam in generi conſpectum veniret, in proximo tumulo Ferdinandus reſedit, vt ita locum prętereuntibus daret. Qui omnes cō reuerenter ſalutato,ordine ſuo rectà procedebant:inter quos armati manipuli pilas ferreas tormentis contorquentes,de militum more ſalutarunt: & ad iactum lapidis promoti, erectis haſtis (nam ita iuſsi fuerant)vtrunque regem circunſteterunt.Ea ſanè res quæ ferme in contumeliam & dolorem ab eius æmulis excogitata videbatur, ampliorem Ferdinando dignitatem attulit.Sic enim factũ eſt,vt proceres qui Philippum ſequebantur,etiam qui Ferdinando irati erant, militaribus turmis intercluſi, omnem reuerentiã vel inuiti præſtiterunt,dum more regio eum ſalutant. Quos ille omnes comiter ſuſceptos nulla offenſionis ſignificatione data, renidēti vultu dimittebat. Inter eos veniebat ManricusNaiarenſis regulus,thorace ferreo indutus,& vitta Bombycina circũtectus,quem armiger ſequebatur,manu item militum non contemnenda circunſtipatus. Huic priuatæ cum Ferdinando rege interceſſerant ſimultates:eoq; magis ſeſe hoc apparatu & Philippo cōmendari,& infeſtior Ferdinando exiſtimari volebat.Quem ad ſe Ferdinandus accedētem leniter & blādè ſubridens,Macte Manrique(inquit)eſto hac animi pręſtantia,ſemper enim memor es tui,neq; vnquã boni militis exemplũ prę te ferre deſinis.Notabatur enim paſsim Manricus elatioris, & glorioſi animi. Ad quē ille,qualis qualis ſum,talem Philippo & tibi me dedo. Garſias Laſſus,qui apud Alexandrum. VI. Pontif.Max. Legatus Ferdinãdi regis fuerat,totam illam ſalutationem hilariorē & lętiorem fecit. Nam cùm regem ſalutaturus accederet,in eius humeros Ferdinandus brachia iniecit,& manibus leniter demulcens(inquit)Garſia tibi gratulor ob humeros latiores,& miror quòd ſpatio tã breui multò obeſior factus ſis,eo dicto ſatis facetè declarãs occultorũ armorũ ſarcinã,quibus veſtitus erat.Omnis enim nobilitas ſic pręmunitaveniebat,vt ſi quid fortè Ferdinãdus attētaſſet,parati omnes ad reſiſtēdum eſſent.Prope iam ad cliuum in quo Ferdinãdus cōſtiterat Philippus accedebat,cũ ille ſe mouit,& obuiã venienti proceſsit.Philippus ſtatim ac ſocerum cōſpexit,ſpeciem ſe ab equo demittentis dat, & ad pedes eius ſe proijciētis. At ne id faceret Ferdinandus inſtat,& celeritate

celeritate Philippum anteuertit,qui equo hęrens detecto capite, manus deoſculandas ſuppliciter petebat.Ferdinandus quantũ ex mula licuit vniuerſum complexus, caput & genas deoſculatus eſt. Deinde mutuis alloquutionibus,quæ cōiunctiſsimos animos indicarent, ſe ſalutauerunt.Hęc in vaſta planitie quatuor millia paſſuum à Sanabria diſtanti,in omnium ferme Hiſpanorum regulorum cōſpectu gerebantur.Sed quò ſermones cōmodiùs inter ſe reges conſererent, in proximũ ſacellũ,quod fortè aderat,ad priuata colloquia ſeceſſerunt.Quos Ximenius & Emanuellus, cęteris ſemotis comitati ſunt. Sed cũ & ipſi quoq; illuc cũ regibus ingreſsi eſſent, neq; id Ximenio placeret,qui lōgè ab eo colloquio Emanuellũ ablegare cuperet,ad eũ ſtatim cōuerſus,qua erat frontis ſeueritate pręditus, demus (inquit) principibus noſtris colloquendi locum: nam eſt prorſus inurbanũ, nos priuatis eorum ſermonibus intereſſe velle. Quare tu hinc diſcedito:ego verò ad fores obſeruans,ianitoris officiũ in præſentia præſtabo.Nihil cōtra hiſcere Emanuellus potuit,ſed ſtatim ad regulos digreſſus voluntati Ximenij ſatisfecit:qui obſeratis ſacelli ianuis,tertius apud reges in podio ſedit,quod paſtores & agricolę conſidendi cauſa è terra conſtruxerant.Per duarum ferme horarum ſpatiũ colloquuti ſunt.Multa Ferdinandus expoſtulauit: quòd ſibi tam fideliter eius & reip.vtilitatem procuranti, ſine vlla ratione diffidiſſet,& potius fidem ijs habuiſſet,qui priuatis commodis proſpicientes, inter vtrunque diſcordias ſerebant. Cæterùm, quando iam eò res loci deducta eſſet, vt ſibi neceſſariò è Caſtellę regnis diſcedendum foret, videret quibus ſe hominibus committeret. Atque ſimul regulorum ſigillatim mentione habita,vniuſcuiuſque ingenium patefecit:quantumcuiq; fidendum,quibusque artibus eſſent tractandi, rex prudentiſsimus, & earum rerum ob diuturnum vſum probè callens, magna animi ſolertia declarauit. Sed in primis hortatus eſt, vt Ximenium quem digito monſtrabat, reuerentia & caritate,quæ patri debetur proſequeretur . Vnum eum eſſe cuius incorruptis conſilijs tutò poſſet credere, & omnes intimos animi ſenſus apud eum deponere.Quare ab eius ſententia nunquam diſſentiret,etiam ſi quę mente ipſe concepiſſet, potiora ſibi viderentur. Multa enim eſſe, quæ prima ſpecie inexpertis fugienda cenſerentur, altiùs tamen vt homines experientes facere conſueuerunt, introſpecta, longè alia videbantur, aliamque protinus faciē oſtentabant. Eam autem

Universidad de Deusto Biblioteca

autem rerum cognitionem,ſacrumq; per ſapientiam vaticiniũ, non
niſi poſt longum vſum,quẽ acris & attenta conſideratio comitare-
tur,mortalibus contingere.Se iam diu Ximenij ſanctimoniam,atq;
in rebus gerendis dexteritatem,multis experimentis cognitã habe-
re:ſcireq; ſe plerisq; regulorũ res ſuas priuatas magis cordi eſſe, quã
regum ſuorum,aut publicas:quorum conſilijs ſi obſequeretur,ſe nõ
dubitare,quin tandem in eiuſmodi rei familiaris anguſtias eſſet de-
uenturus, vt nemo per vniuerſam eius ditionem, ſe vno eſſet cala-
mitoſior,aut miſerior.Ita ſe facturum Philippus recepit, multaque
ſe excuſans reſpondit, quæ ita tunc aut ſoceri præſentia commo-
tus ſimulabat,aut ſic rem habere ſentiebat. In tam longa autem cõ-
fabulatione, nec Ferdinandus Ioannæ filiæ præſentiam à genero pe
tijt,nec contra Philippus cupidiſsimo patri obtulit:quod animi nõ-
nihil offenſi claram Ferdinando,& Ximenio ſignificationem dedit.
Ergo omni comitatis & amoris ſpecie,regulis videntibus,data,è ſa-
cello digreſsi,ad proprias ſtationes, quæ non longè aberant, profi-
ciſcuntur.Erant in agri illius finibus oppidula tria, duobus milli-
bus paſſuum inter ſe diſtantia, quorum ignobilia & obſcura no-
mina pręclariſsimorum regũ congreſſus æternũ celebrabit: ea ſunt,
Vime,Peque,Remeſal:in quę Ferdinãdus,& Philippus,& Ximenius
corporis curandi cauſa diſceſſerunt. Horum nominũ interpretatio
ob Hiſpani ſermonis ambiguitatem,dicacibus hominibus cauillan
di & ludendi locum dedit.Nam ſi quis nomina illa interpretetur, ſi-
gnificare videbuntur,vidi,peccaui,comas vellam. Quaſi reges pœ-
nitentia ducti,quòd in mutuũ colloquium veniſſent,inde animis of
fenſioribus diſceſſerint:vt ſtatim perquam manifeſta ſigna ſunt da
ta. Nam priuſquã inde pedem Ferdinãdus mouiſſet, nuntiũ graue
& permoleſtum, à Philippo accepit,vt ſcilicet aliud iter quàm Phi-
lippus faceret,ne in regione ſterili & incõmoda, ſibi mutuò impedi
mẽto eſſent. Proinde Philippus Beneuẽtũ,Villafafilã Ferdinãdus eſt
profectus: vbi varijs Ludorum ſpectaculis à Pimentello recreatus,
per quindecim dies continuos ſeſe oblectauit.Accidit,vt die quę agi
tandis tauris dabatur,Ximenius ad regem ſeſe conferret, ante cuius
ædes maximus circus ad taurorum ſpectacula vndique concluſus,
aditum perangustum Ximenio dedit: atque ita paucis ſtipantibus
(nec enim vniuerſus eius comitatus admitti potuit) lento, vt
ſolebat, gradu per medium circum pergebat. Et quoniã ſole iam
inclinante,

inclinante,omnes intentis animis commiſsionem Ludorum expe-
ctabant,parum Ximenium tranſeuntem,quibus ea cura demãda-
ta erat conſiderantes,taurum ferociſsimum emiſerunt: qui illico in
Ximenij comites irruens quoſdam illorum malè multauit: qui in-
terempti proculdubio fuiſſent, niſi peropportunè regia cohors in
auxilium accurrens taurum vndiq; cõfodiſſet.Interea intrepido vul
tu,& gradu cõpoſito Ximenius perſeuerãs, nullam animi cõmotio
nem præ ſe ferens,intra regiam ſe recepit. Quem vt incolumẽ Phi-
lippus vidit, num timuiſſet hilariter rogabat:ille verò negabat,ſem
per enim bene ſperauiſſe de cohorte regia, præſto affutura. Cæte-
rùm ad Pimentellum conuerſus,iubeto (inquit) oppidi duumuiris,
ne tant opere deinceps ſpectaculorum,aut ludorũ ſint auidi,vt præ-
tereuntium incolumitatem negligant.Pimentellus ſubridens, poſt-
quã(inquit)publica pręconis voce de tauro iam emittendo procla-
matum eſt,ſibi quiſq; ô Antiſtes,ſi ſapit caueat.Hinc Pintiam Phi-
lippus rectà contendit,quò item Ferdinãdus,quanquã itinere diuer-
ſo veniebat.Is cùm Tudellam quę ad Duriam flumen eſt acceſsiſſet,
octo millibus paſſuum à Pintia diſtantem,Philippũq; in villã Mu-
zientem veniſſe intellexiſſet, quæ propior Pintiæ,quam Tudella eſt,
ęgrè ferebat ſibi cum Ioanna filia colloquendi facultatem non da-
ri,cuius vnius cauſa ſuæ dignitatis immemor,tot contumelias à Phi
lippo genero,ſiue potius ab eius deprauatoribus,ſuſtinebat. Quare
iterum in cõſpectũ ire cogitur,& generi animũ, ſi quo pacto queat
inflectere,Ximenio ſequeſtro pertentat.Eius quidem voluntati per
quàm inuitus Ximenius annuit:intelligebat enim nihil aliud ſic Fer
dinandum facere, quàm ſe deridendum inimicis proponere: &
ſuam conſtantiam,& authoritatem quam olim in omnibus rebus
retinere cõſueuiſſet,obſcurare & deterere.Conuẽnit tamen inter v-
trũq;,vt quoniam niſi Emanuello adiuuante, nihil quod frugi eſſet
confici poſſet,prius per Ferdinandum Vegam,qui Emanuello inti-
mè carus erat,neq; à Ferdinando rege alienus,animus illius cõcilia-
retur.Sed quanuis Vega id egregiè curauerit,multaq; illi pręmia,&
vberiores ex cõcordia vtilitates propoſuerit,ille tamẽ nihilo bene-
uolentior factus,animo iam pridem indurato reſpõdit.Nolle ſe be-
neficiũ vllũ ab Aragonio rege accipere:quare ne quid amplius obtũ
dat:hanc eſſe ſummam, ſe quandiu aliquid apud regem Philippum
gratia aut authoritate valeret,nunquam paſſurum, vt Ferdinandus
cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum Philippo in Castella maneat,& simul sceptra moderentur. Id quanuis Ferdinandus ægrè tulerit,nullamq; bonam ad res quas parabat spem esse videret,curauit tamẽ strenuè, operam Ximenio apud Philippum nauãte,vt rursus antequam Pintiam gener veniret, congrederentur. Id Ranedi ignobili vico quatuor millia passuum à Pintia distante,præsente Ximenio,circa nonas Iulias factum est. Durioris animi signa in eo congressu Philippus dedit:neque illum soceri authoritas,neq; vlla Ximenij præsentia,à proposito reuocare potuerunt,solùm hoc vnum crebrius dictitantem,è reip. vtilitate esse, vt quamprimum Ferdinandus è Castella discederet. Cui Ferdinandus. Quando ita(inquit)animo tuo sedet, ego quidem in Aragoniã ibo,tu ne quid fœdera violes curato. Sic ergo filiæ conspectu denegato,& omni spe remanendi abiecta,in Aragoniam profectus est. Fadricus Albæ dux,& Bernardus rogius Dianij marchio, omnem cũ Ferdinando casum subire prompti,fortunæ reflantis incursiones nihil sunt veriti:nam cæteris amicis regem deserentibus, hi non modò in Aragoniam,sed in Italiam quoque,quò vtriusque Sicilię rebus prouidendis Ferdinandus properabat, secuti fuissent, nisi princeps prudentissimus prohibuisset. At Alfonsus Fonseca Alfonsi Fonsecæ Compostellani Antistitis filius, cum Romam eo tempore priuatis de causis traijcere instituisset,demerendi Ferdinandum occasionem nactus,se illi comitem itineris dedit:& Neapolim officij gratia,cum eo appulit. Decreuerat(vt diximus) Ximenius, nunquam à Philippi comitatu discedere,donec eiusmodi turbę & dissidia inter socerũ et generum,componerentur:sed multò magis id apud se cõstituit,post quam vidit absente Ferdinando,piaculum esse iuuenem regem in tam lubrica ętate,& dura rerum occasione,fidi consilij egentem relinqui. Proinde vigilantissimis vicarijs gregis sui cura demandata, quoad vixit Philippus,ei assiduus fuit. Si quid verò in sua diœcesi grauioris censurę aut animaduersionis dignum emergebat, vt ad se deferretur iusserat. Dum reges Tudellæ,& Muzienti cõmorabantur, crinita stella(quam cometam vocant)in cęlo visebatur, ad Arcton inclinans,quæ Muzienti villulę imminere videbatur. Hanc ob rem varij sermones vulgò iactabantur:alij reip,tumultum,& bella ciuilia promittere:alij regi Philippo exitium. Qui verò meliùs de rebus sperabant,vim suam exercuisse ducebant,in Ferdinandi regis discessu. Ęstatem ferme totam,in vicis Pintię proximis Philippus cõsumpsit:

psit: Nã in vrbẽ ingredi pertinaci animo regina negabat. Tãdem arte & astu effectũ est,vt regina sub primũ septẽbrẽ Pintiã ingrederet. Quod Pintianis gratissimũ accidit,q; splẽdida põpa, & solẽni apparatu,reges suos accipere expetiuerãt. Dũ illic cõmorãt Philippus,iurgiũ Mẽdozio Zenetẽsi,cũ Pimẽtello Beneuẽtano fuit:q; in tãtã simultatẽ creuit,vt vtriusq;familiares et ꝓpinqui ad arma cõcurrerẽt. Res erat cũ primis formidabilis: nã Zenetẽsi Mẽdoziorũ familia præsto aderat:Beneuẽtano autẽ, pleriq; ꝓceres. Zenetẽsis ptes inferiores videbant: nã q̃nuis Didacus Infantat⁹ dux,Bernardinus Cluniẽsis,Inachus Tẽdillan⁹,qui salutãdorũ regũ causa,eo tẽpore Pintiã venerãt, Zenetẽsi suppetias ferrẽt,impares cæteris erãt. Modicũ enim & inermẽ comitatũ,q̃lis togatis cõueniẽs erat, nihil tale timẽtes adduxerãt. At vulgari Hispanorũ parœmia nõ abre inter nostros iactat,nul libi magis panopliã req̃ri,quã in nuptijs & publicis ludis. Id cũ Garsias Mẽdozi⁹ Matallanẽsis abbas sensisset,qui populo Pintiano car⁹, in eo oppido multũ pollebat,Michaelis cymbalũ pulsari iussit, q; nisi magna aliq̃ de causa fieri nõ solet,& Garsiã abbatẽ cõclamari. Tãta populi armati multitudo obhas voces in zenetẽsis domũ,vbi Garsias aderat cõfluxit,vt alteri⁹ factionis ꝓceres manifestã perniciẽ timẽtes, de regis vt aiũt volũtate,q; se id nõ sẽtire simulabat,nũtios cõtinuò ad Ximenũ miserint:vtquãprimũ ad Mẽdozios egress⁹,seditio nẽgliscentẽ cõprimendã curaret:q; multò ante Bernardini comestabilis suasu,adid faciẽdũ sese pauerat. Erat comestabilis Pimẽtello leuir & Mẽdozijs iã olim amic⁹,q̃re vtrosq; saluos cupiebat. Ximeni⁹ Cluniẽsis opera,quo cũ amicitia intercedebat,ad hãc rixã cõponendã est vs⁹. Cui,è Zenetẽsis domo vbi popul⁹ tumultuabat accersito,rei indignitatẽ,cladẽ imminẽtẽ,iustã regis indignationẽ grauib⁹ verbis ante oculos ꝓponit:et Pimẽtellũ è populi furore,q; ei⁹ ędes iã frequẽs cinxerat,prudẽtia sua vt liberet,rogat. Ille mula q̃ fortè vehebat in Pimẽtelli domũ,tãq̃;vn⁹ ex aduersarijs venit,atq;Pimẽtello suadet,vt obuolutocapite in mulã etiã ďsiliat,si salutẽ carã haberet. Quofacto extra vrbẽ illũ abduxit,& popul⁹ est ďlusus Garsia ap,ꝓbante. Erat Garsias Didaci ducis infantat⁹ patru⁹ Iunquerę Oppidi ad Guadalfajarã dñs, cui⁹ posteri gẽtilitiã adhuc hæreditatẽ Iunquerã tenẽt. Vix Ximeni⁹ has turbas pacauerat,cùm ecce aliud euestigio oritur, q; ad se priuatim ꝑtinebat:Gõsalus Gallec⁹,et Petr⁹ Mercatus,è regij comitat⁹ quatuor viris, Franciscũ Ribã Compostellanæ diœcesis primis dũtaxat sacris initiatũ,certam ob causam cõprehendi iusserunt. De ea re Al-

Universidad de Deusto Biblioteca

fonsus Fõseca Cõpostellanus antistes certior factus,Gõsalũ Vlloam iudicẽ ad eã rem à se legatũ ad eos mittit,qui ni ecclesiasticę iurisdictioni Ribas restitueretur,regios quatuor viros de more chrĩano àsacris arceret.Quod cũ tandẽ Vlloa fecisset,illi ad Ximeniũ primatẽ prouocãt:qui vt erat antiquarũ consuetudinũ religiosus obseruator iurisq; sibi debiti maximus vindex,occasionẽ libẽter arripuit:obsoletãq; illã primatis antistitis potestatẽ auidè amplexus,totã causam cõtinuò ad se deferendã curat:& per literas suas Cõpostellanũ ex iuris forma inhibet.Id adeo grauiter Cõpostellan' tulit,vt durissimo libello,acerbitate & cõtumelia referto,ad Ximenij literas respõderit Huius libelli exẽplũ Gaspar Quiroga omniũ bonorũ studiorũ, sed potissimũ antiquitatis cultor,qui ex regijs senatoribus vnus ad senatus Italici pręfecturã,nuper magna cũctorũ approbatione assumpt' est,copiã mihi benigne fecit.Pintię parũ moratus Philippus,Burgos vt decreuerat petere cõtendit.In eã vrbẽ maxima totius ciuitatis lætitia septimo idus Sept.excipitur:Ximenio in eius vrbis vico,cui hortus regi' cognomẽ est,Ioãnis Orẽzi nobilis mercatoris domus in hospitiũ datur.Igitur cũ Pintię de reb'reip.agi cœptũ est,nihil erat parui aut magni momẽti,quod nõ Emanuelli cõcilio gereretur:cui'(vt diximus)apud regẽ,nõ sine magna quorũdã inuidia,sũma erat gratia.Id cũ malè Ximeniũ haberet,cui propositũ erat Philippũ ęquè omnib' carũ reddere, occasionẽ sibi dari cupiebat,qua Emanuelli studia reprimeret,& ab eo regis animũ nõnihil abalienare posset.Erat hoc cũprimis difficile,sed vir intrepidi & ingẽtis animi,nihil ea difficultate deterrebatur.Hęc diuinitus optãti est oblata:Nã cũ Beltran' Saltus,vnus ex ijs qui rationibus regijs pręfecti erãt,semel ad Ximeniũ cũ libellis venisset,deq; eis omnibus familiariter cũ eo ageret, diplomata quędã ostẽdit,quib' Bombycini opificii quęstus,qui in Granatẽsi regno(vt diximus)perãplus est,& ex pacto Aquis calidis inito,curãte Ximenio Ferdinãdo cesserat,redẽptoribus in decẽniũ locabatur.Hoc sibi in manus tradi serena frõte Ximenius postulat:& omnibus inspectãtibus mediũ disrupit,& fragmẽta Vallegio eius cubiculario,vt asseruet iubet.Ad Beltranũ verò cõuersus,hoc,inq̃t Beltrane amicitię nr̃ę dato,q̃ nõ statim vt tibi caput amputet',apud regẽ curo:cui tu fidei fractę infamiã cõcilias,atq; in tã apertã simultatẽ cũ sui amãtissimo socero cõmittis.Tact' dolore ob eã rẽ Beltranus,omnẽ culpã in Emanuellũ,rationũ regiarum magistrum,reijcere:cu-

ius

ius scilicet cõsilio & iussu,ea omnia cõfecta essent.Nimis graue præsentibus visum fuit,etiam si nemo hiscere audebat,regia chirographa ad hunc modum lacerari.Ximenius ne quem calumniatoribus calumniandi locum daret,priusquam id aliunde Philippus resciuisset,se in eius conspectum dedit: atq; aduentus sui causa declarata, quantum damni,perfidię, & turbationis ex illo chirographo esset emersurum,planũ fecit. Cœpit deinde apud eum grauissime dissere re,quanta calamitas & pernicies rebus Hispanicis propterea imminneret,quòd peruersis quorundam consilijs, nihil ex æquo,& bono fieret: parum ei esse cognita hominũ nostrorum mentes.Quare nisi in tempore sibi caueret,non dubitare quin res eò esset deuentura miseriæ, & calamitatis, vt nisi à numine aliquo, in integrum restitui nõ posset.In pręsentia verò nullum se pręsentius remediũ videre, quàm vt honesta ex causa Emanuellus aliquò amãdetur.Durũ id esse Philippo videbatur: quoniã ita se illi, suaq; tradiderat, vt non sine magna molestia ab eo se posse explicari crederet. Cęterùm quoniã Ximenij dicta, vt pote ex animo cũ prudẽti, tũ syncero profecta,eius mẽtem altius penetrauerãt,mandatorũ Ferdinandi memor,se ipsi totũ libenter cõmittit.Multa in mediũ adducta sunt,in quibus Emanuellus Foris occupari poterat: sed tandẽ Ximenio visum fuit,vt Romã legatus mitteretur: id. n. cũprimis honestum esse, & quod nulla iusta ex causa recusari posset. Placuit Philippo, & propediẽ se id effecturũ Ximenio est pollicitus : tamen in eius gratiã molestiam hanc subiret rogat, vt negotia secretioris cõsilij,quæ singulis diebus Veneris cum rege de more tractabantur, pridie eius diei cũ eo cõmunicarẽtur, & suam sententiam interponeret,quæ multùm momenti omni in re esset habitura. Ingentes gratias Ximenius habuit ob cõceptã de se opinionem,sed deprecabatur prouinciam, vt quæ inuidiæ cũprimis esset exposita,et immensi laboris plena. At cùm rex in proposito persisteret,et Ximenio nihil antiquius esset,quàm publicis cõmodis quacunq; data occasione consulere, tandẽ expugnari libẽter tulit:atq; ita deinceps vsq; ad Philippi mortẽ, non sine magno suæ virtutis testimonio,regij senat' præfect',cæteriq; ꝓceres qui ab arcanis erãt,die Iouis ad eũ veniebãt:nihilq; Philippus decernebat Ximenio incõsulto.Viuũt adhuc Toleti ex primaria nobilitate homines, q̃ hoc memoria tenẽt.Solẽt enim adolescẽtũ, pręsertim ingenuorũ animis,ea virtutis et honoris,siue insignia siue testimonia,quę rarò vel

 viris

Universidad de Deusto Biblioteca

viris excellentibus dantur,ob illam gloriæ,ad quam optimusquisq; propensus est,cupiditatē,tenaciter hærere. Multū debilitari. Emanuelli cōsilia abhoc tēpore cœperūt:ciuilior deinde,& modestior,nō sine multorū lætitia,est factus.Crebrò deinceps ad Ximeniū venire omnēq; illi reuerentiā deferre,simulq; secū cogitare cœpit,de eo viro obsequijs demerendo,cuius virtutē & integritatē,multò suis cōsilijs præstare intelligebat.Pręsagijsse Emanuellū aliquis posset existimare,quod nō multò post Philippo accidit.Na.XIII.Calen. Octo. sese oblectandi gratia in agrū eques processit,vbi equū admissum in gyros aliquot circūegit.Ea nocte,siue ꝙ paulò ante quā in cāpū prodiret,paruæ pilæ lusu,quo se crebrò exercere cōsueuerat, delassatus, sudore oborto frigidā bibisset,nō expectata refrigerati corporis cōstipatione,siue alia de causa,in lentā febrim incidit,nō sine lateris affecti suspicione.Petrus Martyr refert in epistolis,accepisse se à Martiano medico,ciue suo,&studiorū socio,Philippū partim animi affli cti tędio,qui se circūueniri à proceribus sentiret,prędāq; in dies singulis fieri,partim mole curarū obrutum,eā ęgritudinē cōtraxisse:nā & illum aliquādo in secretiori cubiculo,adhunc modū cōquerētem audiuisse.Quis me in has coniecit miserias, & specioso magni regis nomine grauatū in hāc rerum inopiā pertraxit? Mène vel meis stipatoribꝰ & ministris,quos spe pręmiorū illectos vix à Belgis reuelli,annua stipēdia persoluere nō posse,quibus hęreditarię tantū ditionis meæ pręsidio abunde satisfaciebā? & regifico sumptu meā,& vxoris familiā exhibebā?Vbi regē ęgrotare Ximenius resciuit,eius medicū Petrū Ianguā,sua in arte percelebrē mittit,qui morbi qualitatē cognosceret,& opē quā posset ferret.Belgæ medici ad regē ingredi omnino prohibuissent,ni Philippus certior factus adduci iussisset Is ad Ximeniū reuersus,in summo periculo regē esse dicit:idq; factū Belgarū medicorū ignoratione,qui planè morbi natura non perspecta,abcesserat enim in sinistrū latus non parua sanguinis infecti copia,venā scindere neglexissent. Se tñ ab illis irrisum esse cū hęc diceret,vt qui Belgarum tēperaturam & habitū ignoraret.Quare curaret Ximenius quę facto opus essent,vt in Philippi salute omnino deplorata.Igitur rumore in singulas horas crescēte,quo regē deterius multò se habere ferebatur,reguli frequētiores ad Ximeniū vēnitātes oēs rumusculos ad eū deferebant:& priuatim multa cū eo tractātes rei euentum suspensi expectabant:Tandem.IX.cal.Octob.regē in

vltimo

vltimo vitę discrimine esse passim vulgatur.Erat totius ciuitatis miserrima species:cùm nemo,qui regē in adolescētię vigore,veluti florē decerptum,è medio tolli videret,à lachrymis tēperare posset.Cōuenēre post meridiē in domum Ximenij vniuersi principes,qui Philippi comitatū sequebantur:vbi ad multam noctē,vt fieri solet,varia cōsilia sunt habita.Postridie eius diei,cū lethali singultu pectus Philippi quateretur,& sensus ferme oēs moribundum destituerēt, principū conuentus apud Ximeniū denuò factus est, de tranquillitate reip.statim seruanda,quandoquidē res in eo statu esset.Sic.n.quā primum ille viuere desiisset,regio funeri & reginę cōsolandæ tutova care possent.Erāt in eo cōsilio totius Hispanicæ nobilitatis viri primarij,Mendozius infantatus dux,Velascus Friasiorū princeps, equitum in Castella magister(quē comitē stabuli,magnæ apud nostros dignitatis vocabulo appellant)Henricus Methinensium dux,qui in Vacceis sunt,& Egurros nonnulli esse existimant,hūc nostri ob maritimę oræ præfecturam,Almirantum vocant,Pimētellus Beneuēti comes,Paciecus Ascaloniæ dux,Cueua,& Manricus , ille Alburqueciorum,hic Naiarensium dux,Rogius Dianii marchio, Aialas Fonsalitanus comes,Emanuellus & Fonseca, rationum apud regē sūmi magistri.Principio apud eos,de primario aliquo viro designādo actū est,penes quem post mortē Philippi summa rerū esset: quādoquidem Ioanna regina parum(vt diximus)mentis cōpos,& Carolus filius adhuc ætate immatura,minimè essent tā lato imperio gubernando apti.Non nullorum sententia fuit,vt Ferdinandus ex itinere,quo Neapolim cōtendebat,quam primum in Hispaniam accerseretur,quē ad eam rē administrandā cōmendabant. Multi horū sententijs,siue ꝙ contrariæ factionis proceres Ferdinandi discessu,odijs satisfecerant,siue ꝙ neminem ex æqualibus superiorem habere æquo animo ferre potuissent, manifestis signis cœperunt applaudere.Esset in eas inclinatū,nisi Pimentellus acerbissimè Ferdinādo infensus,indignabūdus dixisset.A page obsecro Hispani proceres,nihil vra virtute indignū decernatis.An quē nuper,ꝙ nobis grauis,& molestus esset,tāta animi cōsensione eiecimus,rursus ad imperiū imprudēter admittemus?An nō videtis eū iniurię recētis memorē,nris capitibꝰ insultaturū?& vt est animi sensus dissimulādi & premēdi peritissimus artifex,etiā si omnē lenitatem præ se ferat,atq; in principio comiter arrideat,tandē pœnas lōgè cōtumelia illata ma

 iores

Universidad de Deusto Biblioteca

iores, à nobis sumpturum? Vobis quidem liberum erit quod libebit statuere: ego tũ iam hîc in vestro omnium cõspectu polliceor, priusquã rex Aragonius Castellę regna gubernaturus redeat, duo paria thoracum, quos apud me ad militares vsus seruo, cõstanti animo in bello detriturum. Eo Pimentelli sermone reguli commoti, in eius sententiam vniuersi cõsenserunt. Quod cũ animaduertisset Ximenius, qui hactenus vt mẽtes eorum exploraret in silentio sese continuerat, nihil amplius expectandũ ratus, ne vlterius tacẽdo, illis tanq̃ Ferdinandi fautor, suspectus foret, aduersus quẽ post Pimentelli orationem oẽs grauiter fuisse concitatos sentiebat, tempori prudenter cedens, etiam si præter animi sui constantiam, qui semper Ferdinãdi partibus adhæserat, quoniam reip. nimis studiosum, & iustitię obseruantissimum esse cognoscebat, ad hunc modum exorsus est. Non satis intelligo proceres, quę vos causa diutius in hac re deliberãda detineat, cùm vestra amplitudine, & maiorum vestrorum authoritate qui vel regibus suis viuentibus sese quoties vtilitas reip. posceret, opponebant, indignum sit, vt in præsenti statu, quo nisi fortè cõclamatum iam est, continuò vt videtis rege carebimus, alium præterquam ex vobis ipsis, Hispano imperio curetis præficiendũ. Nunquã negabo Ferdinandum regem, longa rerum experientia edoctum, vel populis immanissimis regendis peraccommodum esse: Verũ non vsq; adeo eius me amicitiæ tradidi, vt patrij decoris, & dignitatis oblitus, non intelligam, nõ modò frustra, sed etiam impiè ab alienis prę sidia peti, cùm domi tot viris præstantibus abũdemus. Sat ille nostrorum dum licuit curã regnorum gessit: nam (ni fallor) per quadraginta annos remp. nostram est moderatus: Suam ergo ditionem bonis auspicijs deinceps curet: nam vobis nõ deerunt optima consilia, vt deo annuente, rebus succurratis, regiq; vestro sua regna incolumia conseruetis. Proinde omni alia sublata cura, in id vnum incumbite, vt vnum ex vobis tandẽ deligatis, non dicã prudentia aut integritate alijs pręstantẽ, nam in hac parte cũ omnes his virtutibus instructi sitis, errori locus esse nõ potest, sed qui authoritate, & gratia populis cõmendatus, maiori ab illis beneuolẽtia colatur. Nã & huic obtemperatiores erũt, & eius cõsueta & amata voce, nõ secus atq; equi generosi freno, in omnẽ partẽ facilè flectentur. Ita est enim natura cõparatũ, vt nõ oẽs parem gratiã apud populos obtineãt: imò nõnulli ita à popularitate absunt, vt sine vlla certa ratione plerisq; sint odio.

Ego

Ego quidẽ certè quẽ elegeritis, nõ sec⁹ colã q̃ regẽ ipsum, cuius Vicarias vices geret: & omni ope & consilio adnitar, vt eum cæteri eadẽ pietate prosequãtur. His præter expectationẽ à Ximenio dictis, ita principũ animi demulsi sunt, vt dici nõ possit quãta fuerint lętitia pfusi. Metuebãt. n. ne tumultus populares excitarẽtur, si Ximeni⁹ cui⁹ tãta erat potẽtia, Ferdinandũ euocandũ cõtendisset. Quare de cõmuni sententia decretũ est, vt quoniã nemo erat, qui magis morũ sanctimonia, & authoritate, quã Ximeni⁹ apud plebẽ vniuersam polleret, aut cũctis ꝓceribus carior, vt qui nullis propinquitatũ cognationib⁹ cuiq̃ eorũ obnoxi⁹ esset, is vn⁹ ex omni optimatũ, & regulorũ numero, reginę custos, Caroliq; pueri ꝓtector designaret, Comite stabuli, & Naiarẽsium duce, quadã planè triũuirat⁹ ſpecie, in cõmunicationẽ cõsiliorũ assumptis: donec post Philippi regis mortẽ, procerũ cõsilio iterũ coacto, quid esset deinceps faciendũ decerneret. Ab hora eius diei meridiana, vsq; in mediã noctẽ protracti sermones, Ximenio cõsuetũ cœnãdi tẽpus abstulerũt. Nã cùm die qui sequebat, religionis causa esus carniũ interdictus esset, qui iã ex horologiorũ sono pręcedẽti die successisse videbatur, nõ licẽre œconomus putabat, apparatas carniũ epulas apponere, Ximeniũ cõsulere decreuit, qui ꝓparũ credendũ horologijs cẽseret, inter quæ rarò cõuenit, moderantiũ vitio: Accũbamus (inquit) intrepide, adhuc. n. ad medię noctis terminũ integrã horã deesse nõ dubito. Hoc dicto cõuiuarũ animi fuerũt religiõe exoluti. Postridie eius diei Philippũ vita functũ Ximenio est nuntiatũ: quod eius animũ, vt par erat, vehemẽter afflixit. Sed postq̃ remotis arbitris dolori satisfecit, quãuis obfirmata facie in publicũ ꝓgredi cuperet, nõ potuit adeo obdurare, quin magna mœstissimi animi indicia, vultu proderet. Postq̃ in aulã venit, reginã in penetralibus domus luctu & dolore penè obrutã, magna prudẽtia nec minori grauitate vsus, nõ quidẽ ne se afflictaret suadebat, sed cumulatissimas rationes addidit, cur à nemine intãta calamitate eius fletus esset inhibẽdus. Cũ verò doloris vim per lachrymas exhaustũ sensit, oĩa cõsolatiõis lenimẽta pijssimis & grauissimis verbis admouit. Pridie ꝓceribꝰ placuerat, vt Ximenius post Philippi mortẽ in regia maneret. Quare locus illi dignitate plen⁹ in parte ędiũ anteriore est datus, quã in viã publicã, ꝓspectus est. Tot⁹ isdies regis cadaueris calce & aromatib⁹ cõdiẽdo, & plũbeis loculis apparãdis dat⁹ est. Ipse regijs vestib⁹ more patrio indut⁹ alto in lecto, ostro & auro exornato cõposit⁹, sceptris vtrinq; iacẽtib⁹, & ense ad pect⁹ admoto, velut sõno indulgẽs visebat.

Universidad de Deusto Biblioteca

Liberum fuit per eum diem omnibus eius vultum,& quæ diximus ornamenta intueri, donec Miraflores Cartusianorum cœnobium, quod modico à Burgis spatio distat, translatum cadauer est. Hoc ipso mortis Philippi die Velascus,& Manricus,nam Ximenius pontificiæ authoritatis causa in palatio remansit,equis vecti vrbem perlustrarunt,& celebrioribus in plateis publica præconis voce omnes admonuerunt,vt nemo armatus obambularet,alioqui centum flagris cedẽdus. Quiensem, pugionem, sicam,aut cultrum stringeret, dexta mutilaretur. Sanguinem cuiusquam qui effunderet,aut potẽtioris alicuius familiam appellasset,capite plecteretur. Vt flagitiosi qui sese in domos regulorum recepissent,nemine vetante,illico extraherẽtur. Quòd siquis priuatę conditionis homo,eis vindex, aut fautor esset,flagris cederetur: Reguli verò pecunia magna mulctarẽtur. Eius edicti promulgatione,ad turbas comprimendas nõ mediocre operępretium factum est: nam regulorum animi,parum huiusmodi triumuirorum sanctionibus commouebantur. Postero die,in secretius cubiculum Ximenius secedens,Vallegio vt solebat, quoties aliquid arcanum ad reges scribendum erat, ad se vocato, Ferdinandũ illico per literas de omnibus,quæ post discessum eius acciderant,priusq̃ Barchinona solueret,certiorem facere instituit. Nam quantum ex breui trãsacti temporis mora,quæ à Ranedi colloquio ad eum vsque diẽ intercesserat, licebat cõiectare,adhuc Barchinoni esse credebatur. Literarum autem hæc erat summa: Philippum celeri morbo magna omnium mœstitia præreptum esse,proceres inter se dissidere,& propter varietatem consiliorum,nihil esse certi quid omnino fieri deberet. Nam cùm multi eorum æqualem dignitatis honorem tenerent,quenquam præferri grauiter ferre,& nouis rebus,vt iam olim consueuerunt,studere. Ioannam reginam animi impotentia totam in mœrore,& squalore esse. Proinde si quid regnorum quondam charissimorum cura,si quid filiæ desolatæ amore tangeretur,Italas res,quarum status quietus erat,in præsentia dimitteret,& protinus in Castellam rediret. Nõ se dubitare, vt humani affectus sunt,quin propter ingratas procerum nostrorũ voluntates exulcerato animo hinc discessisset: cæterùm eius esse magnanimitatis & prudentiæ,hisce rebus vel tantillum non commoueri. Quòd si vereretur ne rursus ad eundem lapidem esset offendendum,sibiq; denuo cum proceribus rixandum,suam ipse fidem interponere,suamq; opem simul polliceri,in Castellæ regnis eam tũc tranquillitatem habiturum,qualem nunquam vel Isabella coniuge viuente obtinuisset. Hasce literas obsignatas ad Ludouicum Ferrerium,qui Ferdinandi legatus apud Philippum manserat,perferri iubet: quas ad suum regem per nuntium aliquem,qui mutatis subinde equis volet, perferẽdas curet. Interea Didacus Gueuara,qui Philippo à poculis fuerat,aliquot è regia custodia susceptis militibus,incertum quo è triumuiris iubente,à Burgis Simancas cum diplomate regio præpro perè venit: quibus edicebatur,vt Ferdinandus puer Philippi filius,qui in eo oppido,sub Petri Nonnij Gusmani, Calatrauæ præfecti maximi educatione,& custodia tenebatur,in oppidi arcem reciperetur,Gueuara,& militibus comitantibus,& etiam Gusmano sed cum paucis ministris,donec secundis tabulis quid esset faciendum à rege admonerentur. Sed Ramirus Gusmanus Petri præfecti ex patre nepos,qui Catanensis episcopus erat, (vt Gonsaluus Ouetensis,qui illis rebus interfuit scribit) diligenter & studiosè Gueuaram reiecit: partim quòd de Philippi morte Catanensis certus,tabularum fidem eleuaret,quæ octauo cal. à rege signari tam firma manu,quàm autographum pręse ferebat non potuerant: partim q̃ longè tutiùs,& è reip. vtilitate esse iudicaret,si Pintiam frequentissimum & nobile oppidum Ferdinandus iam tunc transferretur, ne in potentioris alicuius potestatem veniret,qui remp. interturbaret. Quod etsi ægrè à Simancensibus impetrari potuisset,qui id in sui cõtumeliam fieri,vtpote quibus parum fideretur,interpretabantur: tamen Pintiani magistratus qui illic in regio tribunali publici iudices sedent,& magna apud nostros authoritate sunt,ad eos cum nõ mediocri armatorum manu venientes,& causas quæ ad hanc rem faciendam impellerent declarantes,tandem effecerũt,vt regius puer Pintiam commigraret,Gueuara honesta è causa reiecto. Datus est potior apud puerum locus. CCCC. viris Simancensibus: qui ea conditione ipsum Pintiam venire concesserunt. Peropportunum id Catanensis consilium habitum fuisse Ouetensis testatur, nempe fidei in remp. plenum. At cùm sit (vt diximus) ambiguum, cuius authoritate Didacus Gueuara Simancas venerit,ex his quæ postea anno,XVII. acta sunt,factum id fuisse Ximenenij iussu quispiam iure potest coniectare. Nam vt erat occasionibus præoccupandis promptus,eius illico pueri,à quo maxima pars quietis pendẽret, rationẽ non

Universidad de Deusto Biblioteca

non vulgariter habendam conſtituerat. Vnde fortaſſe, quoddam ſeminarium animi parum in Petrum Guſmanum, totamq; eius familiam beneuoli, Ximenio datum fuit, qui ea è re præfractos eorum mores notauerat: Adeo paruis de cauſis magnarum rerum momẽta amittuntur, facilè humano animo ad ſiniſtras opiniones concipiendas inclinante. In ea rerum mutatione proceres nimium ſoliciti, rurſus eo die apud Ximenium in conſilium veniunt. Erat iam numerus auctior Aſtuniga Beiarenſi duce, & Aſtuniga Mirandæ comite, Cordubaque iuuentutis aulicæ magiſtro, & Villaroellio Caſtorlæ præfecto, multisque alijs in vnum confluentibus. Nam in rebus afflictis, quæ in commune ad omnes pertinent, etiam diuerſarum factionum homines, & qui mutuò ſe oderunt, conuenire ſolent. Sed Velaſcus priſcarum ſimultatum erga Manricum tenax, priuſquam ad publica tractanda accederetur, ſe hoc ab eis efflagitare dixit, vt Manrricus cogeretur, iuxta leges & conſuetudines Hiſpaniæ illi ſatisfacere in quibus ab illo inſigniter læſus eſſet: aliôqui manu propria vindictam ſumpturum. Multa ab alterutro viciſſim ſunt iactata, dum alter alterum proditionis inſimulat, ſeque mutuò maledictis, partim veris, partim falſis proſcindunt. Ximenius, qui ſi longius ſimultates procederent, graues fore tumultus videbat. Nondum (inquit) humatus eſt Philippus, & vos iam diſsidijs ſtudetis, quos multo magis deceret, concordibus animis mecum animaduertere, quo pacto reipubli. ſuo rege orbatæ conſulatur? Nam in Bætica (vt audio) Henricus Sidoniæ dux nouas turbas concitat, & parum honeſto titulo innixus, Gibraltarum armatus obſidet. Idcirco vnus tandem de reginę noſtræ authoritate, rebus gerendis, & regio ſenatui præficiatur, cuius dictis omnes obediant: alioqui nihil vnquam benè adminiſtrabitur, ſed omnia potius in manifeſtam perniciem ruent. Non potuit commodiori ratione, gliſcenti diſcordiæ à Ximenio ſuccurri, quàm Bætici motus mentione iniecta. Nam quod ſibi quiſque facilè condonat, in altero minimè ferendum eſſe cenſet. Vnum omnes, è Ximenij ſententia, deſignandum vnanimes proclamant, qui de ampliſsimæ curiæ conſilio, vbi duodecim viri literis, & authoritate inſignes maiora ſubſellia tenent, reipublicæ prouideat, cui omnes ſine prouocatione obtemperent. Ximenium autem ſine controuerſia eligendum eſſe cenſent,

quo

quo nemo eſſet ad eam rem aptior. Nam quanuis illi laborioſa prouincia eſſe videretur, qua tamen in remp. caritate erat, non dubitabant, quin id oneris libenter eſſet ſubiturus. Quò vero id commodius gereret, mille aurei annui, ex regio ærario, numerarentur, quibus impenſæ publicæ fierent, & ipſe ſacris reditibus parceret, quos egenis ſubueniendis, & multis alijs caritatis operibus tam ſtudioſe erogabat. Difficile id eſſe Ximenio videbatur, præſertim in tam diuerſis regulorum ſtudijs, tamen cum intelligeret bonam eorum partem ad Maximilianum Philippi patrẽ è Germania vocandũ animari, cui Hiſpaniæ regna, donec Carolus nepos adoleſceret, gubernanda traderentur, veritus ne hac ratione Ferdinando regi, cuius præſentiam neceſſariam eſſe videbat, reditus ad noſtros interciperetur, nõ duxit id muneris quamtumuis moleſti recuſandum. Quare libenter ſe in illorũ, & reip. gratiam, onus illud ſubiturum dixit. Nam quamuis ætate erat imbecilla, tamen Dei Opt. Max. auxilio, & eorũ cõſilijs adiutus ſperabat ſe bonorum votis ſatisfacturum. Cæterum oblatam nummorum ſummam regio ſe fiſco libẽter cõcedere, eos enim prouentus diuino beneficio ſibi contigiſſe, qui peramplè tam egenorum ſubuentioni, quã reip. adiuuandæ pares eſſent, cuius egeſtati, & anguſtiæ viri boni ſuccurrere tenentur, ſed in primis pontifices, nam reges ſemper ſe excipere. Vnum id tamen viderent, ne quid à ſe quiſpiam iniquum peteret, aut per vim tentaret, illud enim nunquam conceſſurum, violentiæ autem crimẽ ſeueriſſimè animaduerſurum. Nam vt tunc ne ipſe ad id munus aſſumeretur, in eorum voce, & poteſtate erat, ita ſi ſemel optaretur, nemini amplius iam liberum fore eius voluntati, præſertim honeſta conanti repugnare. Proinde iterum atq; iterum ſecum conſiderarent quid expediret, ſe enim nulla tanta neceſſitudine, aut amicitia cuiquam hominum obſtringi, vt veri & æqui rationem, non ſit ſemper potiorẽ habiturus. Grauior nonnullis Ximenij oratio videbatur quã pro ipſorum voluntate. Cæterum iuſta dicenti omnes aſſenſerunt, ſeq; ea omnia præſtaturos promiſerunt. Abrogatum fuit ab eo die Triumuirale, de quo diximus, imperium, & omnia vnius Ximenij arbitrio tradita: qui partim regij ſenatus cura ſuſcepta, eiuſq; numero, qui eo tempore imminutus habebatur, virorum præſtãtium delectu ſuffecto, partim communicatione de rebus omnibus, quæ ſerij aliquid cõtinerent, cum proceribus habita, facilè omnes ad opinionem ſuã tra

xit

Universidad de Deusto Biblioteca

xit,rēq; pub. mirū in modū adiuuit. Sed quoniā paucissimos quosque esse intelligebat qui honesti ratione ducti, meliora sequerentur & tuerentur, instructam aliquam armatorum manum, quæ ad omnem motum præsto esset, comparandā existimauit. Proinde Vianellum Venetum, de quo supra diximus, cuius fidem prudentiam, & bellicam virtutem egregiè probabat, accersiuit, & re diligenter cum eo communicata, stipendium annuum illi cōstituit, ob rei bellicæ curam, auri libram cum semisse. Ille verò quingentos leuis armaturæ milites magna celeritate conscribit, quos armis instructos extra vrbem in loca spatiosiora quotidie educebat, vbi exercerentur & ad quamlibet belli occasionem promptiores fierent. Sic nouarū rerum auidi à proposito deterriti in officio retinebantur, quanquā qui Ximenium minus amabant, seditionis id esse seminarium dicebant. Per totum septennium, & amplius fuerant Hispani, post Granatæ expugnationem, alta pace vsi, & omne armorum genus rubigine ob incuriam perierat. Quamobrem Ximenius, qui reip. quietem in vnico armorum præsidio collocabat, Gonsalum Reinosum nobilem è familia sua virum, ad Asturum Ferrarias officinas, quæ non longè aberant, in Cantabriam mittit, vt mille è chalybe thoraces, hastas bis mille, & tormenta leuiora, quibus pilæ ferreæ contorquerentur, quingenta, ad se quanta posset celeritate adduceret. Interim reginæ, & palatij custodiæ prætorianam cohortem preficit, qua & ipse quoties necessitas exposcere videbatur, stipatus progrediebatur. Huius cohortis curam Granatensis prouinciæ præfecto demādauit, quem Adelantatum Hispani vocant. Is erat Alphonsi Cardenæ maior natu filius, qui cordatus & manu strenuus esse videbatur, patre, qui maximus erat ordinis sancti Iacobi commēdatarius ea de re gratias Ximenio non vulgares agente. Erant, vt diximus, qui cùm nondum Ximenij virtutem & robur nossent, eius consilijs & actis detraherent, omnia vana quædam terriculamenta esse dictitantes. Hominis enim planè stolidi esse, ea tyronum manu quēquam magnatum posse compesci credere, si quid nouæ rei conaretur. At ille Dei opt. max. præsidio fretus, quem sanctissimè semper coluit, & proprio animi vigore adiutus, quo ab omni ignauia, & oscitantia erat alienissimus, adeo integrè, & magnanime se gessit, vt simultates regulorum admirabili prudētia consopiuerit & externos motus qui per Sidoniæ ducem apud Gibraltarum, vt diximus, acci

derant

derant, diligentia insigni coercuerit. Nam diplomata à regina, quæ ob mœrorem mente aliquantulum læsa esse credebatur, & subscribere recusabat, extorsit: per quæ finitimis circumcirca regionibus, vt Gibraltaro laboranti succurrant, & Sidoniana obsidione liberēt, ducemq; ipsum capiendum quamprimum curent, edicebatur, præmijs etiam capienti non vulgaribus propositis. Dum hęc geruntur nuncius de Philippi morte ad Ferdinandum regem missus, quem in Ebusa insula fuerat consecutus, literas lachrymarum, & mœstitiæ plenas attulit. Dolorem quem de genero sublato conceperat, multis verbis exaggerat: Ximenio gratias pro beneuolentia, & fide erga se agit: grauiterq; & iniquè pertulisse dicit quòd non id anteq̄m vela fecisset, resciuerit: nam omnibus in aliud tempus reiectis negotijs, ad Hispanæ reip. conseruationem, omnem suam curam cōuertisset. Cæterùm iam integrum sibi non esse, retro pedē referre: quādoquidem eius aduentus Neapoli vulgatus, omnium animos erexerat, vbi multa erant magni momenti agenda, quæ suam præsentiā requirebant. Quare fieri non posse sine maxima Neapolitanæ reip. iactura, tanta præsertim classis instructæ impensa facta, illuc nō appellere. Se tamen fidem suam obstringere, ea negotia, quanta posset festinatione, confecturum, illicoq; in Hispaniam reuersurum. Interea summopere rogare, vt quando non sine diuorum numine Hispanis regnis tēpore maxime necessario datus esset, caritatis in rēp. memor, rebus moderādis, vt quidem faciebat, sedulus incumberet: minimeq; gentium aut mœrentem reginam, aut negotia nutantia desereret: crebrasq; de singulis rebus ad illum daret literas. Ximenio susceptā huiusmodi epistola, tanta lætitia perfusus est, vt eam Velasco, & Mendozio, nonnullisq; alijs, quorum in remp. fidem multis rationibus exploratam habebat, ostenderit: qui pari gaudio affecti sunt. Nam rumores quidam incerti ferebantur, Ferdinandum Neapolitanis rebus, quæ factionum dissidijs impeditę erant, non facilè se explicaturum: difficilemq; fore eius per ea tempora in Hispaniam reditum: quo magis qui diuersas partes tuebantur, de accersendo Maximiliano imperatore vrgebant. Non satis cauto consilio tam propera literarum ostensio à Ximenio facta videbatur. Nam cùm Ferdinandi propositum ad diuersæ factionis homines emanasset, nimiam in eo redeundi cupidinem cauillantes traducebant: cuius nempe causa, suis sese inimicis submitteret: & proprijs regnis externa

ante

Universidad de Deusto Biblioteca

anteponeret. Hi ergo cùm eius præsentiam sustinere non possent, antequam Neapoli Ferdinandus se expediret, assiduis ad Maximilianum legationibus missis, eius aduentũ impedire conabantur. Hoc cùm Ximenius præsensit, denuo procerum consilio apud se coacto, multa adhuc esse in tanta mole regnorum dixit, quibus perficiendis haud parem se esse videbat. Nam cùm reginæ causa, quæ mentis morbo ægrotabat, non sibi plena potestas esset ad res omnes pro arbitrio gubernãdas, necesse esse vnũ aliquem rebus præficere, cuius illa aut præsentiam vereretur, aut rerum vniuersarum curam citra sententiæ mutationem, illi demandaret. Esse enim aliquot ecclesias, præsulibus suis eo tempore orbatas, non sine maxima religionis iactura. Eæ erant Segouiensis, Placentina, & Ouetensis: quibus pastores suos non dari, piaculum erat. Iam tribunalia, quibus causæ religionis examinabantur, & vnde totius regni tranquillitas pendebat, non posse deteriori in statu esse. Quandoquidem Petrus Corduba Pliegianus Marchio, confractis vectibus carceris, in quo sontes religionis causa tenebantur, omnibus discedendi quò vellent libertatem dedisset, in maximum Hispaniam gubernantium opprobrium. Eius autem generis negotium id esse, vt nisi exempli seueritate, cæteri à re simili perpetranda deterrerentur, funditus reipubli. fundamenta subuerterentur. Vt interim taceret reginæ prægnantis valetudinem: cui tum ob partus laborem, tum ob mentem afflictam, non mediocre periculum immineret. At verò neminem huic rei, si rectè iudicare vellent, aut socero Maximiliano, aut patre Ferdinando aptiorem futurum: quorum vterque cùm proprijs rebus occupatus esset, precibus erant eo tempore exorandi. Suam ergo sententiam si poscerent, eam esse, vt omnes simul ad reginam irent, ab eaque vel magna importunitate exculperent, vtrum è duobus comitem, moderatorẽq; sceptrorum in Hispaniam venire vellet? Neque enim æquum esse ea inconsulta de tanta re aliquid decernere. Placuit vniuersis Ximenij consilium: atque inde ad reginam profecti eius sententiam super ea re exquirunt. Illis ergo, quod regina post mariti mortem facere solebat, per fenestellam ad colloquium admissis, acuta, prudentique oratione, qualem vix animo integro constantissimoque dixisset, ad hũc modum respondisse fertur. Esse sibi in animo fixum, regni occupationibus liberam, viduali secessu vitam trã

sigere

sigere: nam & sibi molestissimas esse, neque se satis aptam eo munere pro dignitate obeundo, sentire. Quòd si Carolus suus ea foret ęta te, vt è Belgis in Hispaniam traijciens, regendi molem sustinere posset, id esse cum primis ab omnibus optandum. At quoniam id fieri non poterat, magis patrem Ferdinandum, vt ad se veniret placere, cui rerum Hispanicarum notitia esset, quique hæc Castellana regna multis modis labefactata, maximis laboribus restituerat, & adauxerat. Maximiliano verò sat negotiorũ & curarum esse eximperij Romani, quod suis humeris sustinebat, pondere. Quòd si illi, ex horum regnorum administratione, quorum mores & instituta parum nouerat, noua cura superponeretur, proculdubio succubiturum. At de episcopis prouidendis, esse quidem perquam necessarium, verùm se fœminam rerum istarum ignaram esse: expectarent donec veniret pater, cui merita cuiusque nota essent. Vrgente Ximenio, & cæteris proceribus, vt aliquot eorum, qui aderant, in consilium adhibitis, id examen facere dignaretur, ne interea ex absentia pastorum, morum corruptela, & circa religionem errores varij exorirentur. Grauius fore arbitror (inquit) si pastores gregibus regendis ineptos, aut inutiles delegero: nam fieri potest vt quisque vestrum priuatas amicitias habeat, quibus gratificari cumprimis studeat. Instantibus verò, vt quando ita animo sederet, ad patrem vt reditum maturet, scriberet: protinus ad mentis suæ inconstantiam rediens, nolle se patrem Italis rebus occupatissimum in nouos labores conijcere, respondit: neque vt anni tempore incommodissimo sese mari iactandum committeret. Quòd si ipsis secus videretur, id à patre per literas exposcant. Hoc reginę responso habito discesserunt reguli, nihilque vltra de Maximiliano vocando, à contrariæ partis proceribus est actum. Andreas Burgo Maximiliani imperatoris legatus, semper in vulgus spargebat Maximilianum in Hispaniam venturum, quantuncunque regina prohiberet. Nam Petrus Martyr Andream ad eum de his rebus expostulantem dixisse scribit: id sibi primum in mandatis esse, vt Ferdinandi reditum quoquo pacto posset impediret. Demirabantur plerique quodnam id esset delirij genus in regina, quæ tam commodis & prudentibus responsis regulorum conatus elusisset. Quòd si tabulæ subsignandæ traderentur, quæ ad reipub. vtilitatem pertinerent, etiam si à supplicibus per lachry

mas

Universidad de Deusto Biblioteca

mas peteretur,nihil tandem obtineri poterat.Qui meliùs id consy
derabant, mulieres naturâ suspicaces esse aiebant, regina verò tunc
atra bile exagitata, nullis ex ratione præsidijs adiuta, vehementiùs
in id incumbebat. Nam siue Belgicæ pellicis (vt ferebatur) venefi-
cijs, siue id morbi malitia acciderat, illa quidem imaginãdi vi, &
memoria pollebat, at prudentia ad distinguendum res propositas,
carebat. Hæc. n. virtus sanã & multo vsu edoctam mentem postu
lat. Cœpit inter hæc reginam Burgorum vrbis tædere:quare Xime
nio ad se vocato,vt se, regiũq; comitatũ aliò transferat petit: neq;
n. in ea se vrbe manere velle amplius, in qua Philippus mortem
obijsset. Durum id esse Ximenio visum fuit, qui vterum geren-
ti impendiò metuebat: at instanti repugnare non licebat, cui
pro ratione voluntas erat. Idcirco Ximenius vt illi satisfaceret,
de procerum sententia Pintiam eundum esse proposuit. Est in
medio itinere Torquemata oppidum, olim Porta augusta voci-
tata, Benfetriale (vt à nostris appellatur) municipium, quoniam
nullius principis subiecta imperio, proprijs legibus tantum guber
netur, seq; eius protectioni pro voluntate tradat, quem magis
beneficum patronum esse senserit, vnde & nomen accepisse credi-
tur. Eò peruentum est pridie dominicæ Natiuitatis, vbi reginæ
placuit subsistere. Annus M. D. VII. numerabatur, sub cuius ini
tium, xix calen. Ianuarias, regina Catherinam Torquematæ pe-
perit, quæ postea Lusitanię regi nupsit. Annus hic pestilentia & an
nonæ caritate Hispaniæ vniuersæ grauissimus fuit: atq; ita cùm
Torquematę morbus ille contagiosus cœpisset sæuire, & aliquot
regias ancillas in ipso palatio absumpsisset: nulla Ximenij admo
nitione, qui crebrò cum ea de hac re egit, inde pedem mouere vo-
luit: ægram enim sese dicebat, neq; satis è partus labore viribus re-
fectam. Ximenius de aliorum salute, magis quàm de sua solicitus,
regium senatum Pallantiam trãsfert: quem comitentur iubet, quot
quot Torquematæ inhabitare commodè nequirent. Ipse verò cũ
aliquot regulis, quorum Velascus primas partes apud illum obtine
bat, reginæ semper assiduus fuit. Tunc è regio senatu amoti sunt,
quos Philippus, instigantibus Belgis pecunia corruptis, incautè
delegerat, illiq; omnes rursus recepti, quos Ferdinandus ei muneri
præfecerat. Quod siue id regina præceperit, siue potius Ximenius
ita reip. cõducere arbitratus, suo cõsilio & procerum fecerit,reginã

sic iu

sic iubere vulgatum fuit. Quod nonnullis ridiculum esse, & ina-
ne videbatur, tantopere reginam de mutandis senatoribus solici-
tam credere, quæ Belgicos sacrorum officiorum cantores immu-
tari passa non fuerit, & annua stipendia numerari, eorumque ma-
ximam rationem haberi, iussisset. Hoc ipso tempore auiti Cisne-
rorum municipij Ximenius memor,quod & Benfetriale est,ad an-
tiquos maiorum lares visendos profectus est, vt Cisnerij tradunt.
Garsiæ Ximenij domum ingressus,cognationis officia in tanto po-
situs fastigio non neglexit.Eam tũc domum Maria Garsiæ filia pos-
sessionum auitarum hæres,nam masculorum successio defecerat,te
nebat.Ximenium ad se veniẽtem Cisnerij omni apparatu, & põpa
excipiũt:eos ille cõtra,quid in reip.suæ vtilitatem à se fieri cuperent,
rogat. Qui,vt antiquorũ hominum mos fuit,cùm in numerato nõ
haberent quibus indigerent,vnius duntaxat incõmodi, quo tunc im
pendiò vrgebantur,remedium postulant.Vt quoniam per publicos
ministros,quos Castellæ præfectus(quem Adelãtatum vocãt) ad eos
mittebat,assiduis iniurijs diuexarentur,apud regiũ senatum curaret,
rogarunt,liceret ipsis municipales duumuiros,ad suas causas & lites
disceptandas quotannis creare.Hoc eius opera paulò post effectum
est,& nunc etiam eo munere fruuntur. Pestilentia igitur magis ac
magis sæuiente,regina sub Aprilis finẽ de discedendo cogitare cœ-
pit:non longius tamen quã per duo millia passuum ab eo loco pro-
gredi voluit.Est villula quę Furnilli vocatur,quà transeundũ erat Pal
lantiã petentibus,vbi diuitis agricolæ domus reginæ arrisit, vt quæ
peraptè ędificata erat,& prospectu amœnissimo fruebatur. Quare
nulla Ximenij,neq; aliorũ procerũ ratione habita,vlterius esse pro-
cedendũ pernegauit.Qui cũ vt Pallantiam se cõferret suaderent: vi-
duã non decere respõdit,in magnificis oppidis,aut frequẽtibus vrbi
bus,morã facere.Præclaro mehercle,& celebrando exẽplo,modò ex
sanę mentis cõsilio id profectum esset. Dũ Furnillis morantur, varij
tumultus è diuersis locis quotidie renunciabãtur. Nam Methinę no
bili emporio in creatione abbatis Methinensis,paulatim proceden-
tibus iurgijs inter eos penes quos creandi ius erat, ita ciues vniuersi
mutuò exarserũt,vt armati medio in foro multi se cõfoderint. Dio-
nysius Castrus,Roderici Osorij gener,Lemiorũ comes, Põferratam
olim suæ ditionis particulã,tunc verò ob disidia inter Osoriũ & Pi
mentellũ super ea re habita,per regem tanquã publicum protecto-

K rem

Universidad de Deusto Biblioteca

rem & sequestrem ab illorum iniurijs vindicatam, per vim pręsidio imposito occupauerat. Vbeda ad priscas simultates rediens, Molinę sibus Carolum, Cuęuijs Ferdinandum appellantibus, qui iam olim in ea vrbe fuerunt factionum capita, in armis erant, & multi vulnerati renuntiabantur, Antonio Manrico vrbis pręfecto, qui cõtrarius Ferdinandinis erat, ad id manifestam (vt aiunt) occasionem dante. Neque minori in seditione Abula & Toletum clarissimæ vrbes esse ferebantur. Inachus Tendillæ comes Granatensem prouinciã in periculo esse per nũtios declarauerat: quoniã milites qui oram maritimam tuebantur, ob stipendia non soluta irritati, sacramẽto exolui poscerent: quorũ multi non expectato exauthoramento, stationes suas iam deseruissent. Hęc omnia Ximenium animi anxium, & suspensum tenebant. Nam partim ob reginæ obseruantiam, ad quam quanuis nihil proficeretur, referenda erant, partim ob proximũ Ferdinandi regis aduentum, vt frequentibus literis pollicebatur, illi omnia huiusmodi negotia integra reseruare statuerat. Neq; enim satis tutum esse sibi existimabat, quo tempore omnium animi ad res nouas erecti erant, nondum planè confirmata regendi potestate, sese tam grauibus causis immiscere. Sed quoniam eiusmodi erant, vt nec cõtemni, nec dissimulari possent, proceribus in consilium vocatis, quo remedio incommoda quę diximus propulsari quirent, tractauit. Visum fuit quantunuis subitarium, aut pro tẽpore natum remedium interponeretur, magni momẽti eo in articulo futurũ. Neq; enim ea remedia tunc quęri oportere, quæ vim mali penitus euellant, sed quę tantisper dum Ferdinandus veniat, ne vlterius grassentur, impediant. Quare Ximenij curæ, & prudentiæ, qui Velascũ consiliorum socium assumeret, omnia relinquenda esse censuerunt. Nam & Vbedam executores regij sunt missi, qui in seditionis authores capitali pœna de more animaduerterent. Toletani & Abulenses, vt quiescerent, à seditionibus cessantes, magna interminatione si secus facerent, sunt moniti. Tendillano libera potestas data est, à coactoribus cuiusuis ordinis pecuniam exigendi, eamque in milites suos erogandi. Sed quoniam sinistrè de se suspicandi Tendillanus occasionem dederat, Molinenses eius fauore fretos Vbedæ seditionibus studere, manifesto eius rei indicio, quòd Antonium Manricum, de quo diximus, libenter hospitio Granatę suscepisset: quo cùm arcanos sermones habuisset, etiam atque etiam quid

faceret

faceret caueret iussus est, & vt sese reipub. fidum custodem, & ministrum maiorum suorum exemplo, pręstaret. At in Lemiorum comitem, quoniam grauius delictum fuerat, Pimentellus Beneuentanus, & Fredericus Albę regulus, qui ob affinitatem nuper contractam, in Castri perniciem conspirauerant, duces reipub. deliguntur. Hoc Ferdinandi regis exemplo factum fuit: nam ille apud Granatam occupatus, Roderico Osorio eadem tentanti, Pimentellum, qui cum Osorio de Ponferrata contendebat, callido quidem consilio opposuerat. Quanquam eo tempore Ponferrata ab Osorio capta, non nisi regis pręsentia recepta fuit. At nunc Pimentellus & Albanus coniuncti, cùm validam militum manum conscripsissent, iamque in Castrum proficiscerentur: ille partim ob proximum Ferdinandi aduentum, partim quòd si ferro decernendum esset, longè alias vires requiri, & longè alios apparatus faciendos esse sentiebat, se arma deponere, & omnia pro Ferdinandi arbitrio facturum ad Ximenium scripsit. Interea tamen se regis nomine Ponferratæ mansurum, omnesque motus Callaicos sedaturum, qui vt ea gens in martem est prona, non parum multi futuri credebantur. Ad quæ Ximenius paucis respondit: ni maturè Ponferrata discederet, indeque præsidium militare educeret, non modò Albanum, & Pimentellum, quorum tamen virtuti multum fidebat, sed vniuersas Castellę vires, ad eum perdendum statim concitaturum. Ille soceri periculo edoctus, quem vniuersis possessionibus ea de causa Ferdinandus priuauerat, confestim paruit. Dum his reipub. negotijs distineretur, non deerant etiam priuata sacerdotiorum negotia in diœcesi sua. Nam cùm Ranerę, quæ in Carpetania sita est, beneficio, quod Curatum vocant, de Ximenij voluntate Petrus martyr præfectus esset: Bernardinus Mendozius, Didaci Mendozij Infantatus ducis frater, Guadalfaiarici tractus, in cuius solo Rainera est, Archidiaconus, literis quas vulgò expectatiuas vocant, ab Alexandro Pont. Max. olim impetratis, eam sibi pręfecturam armis, & vi vindicare conabatur. Quod multis de causis Ximenius ęgrè tulit: nam Alexandri, qui iam dudum obierat, illiusmodi priuilegia nihil tunc efficacię continere dicebat: quo prætextu sibi fraudem fieri, vimq; locis sacris, suisque ministris inferri, nõ modò graue & inhonestum, sed flagitiosum & impium iudicabat. Idcirco literas expostulatrices ad eum dat, & à pręsente Mendozio,

Universidad de Deusto Biblioteca

vt fratrem in officio contineat, eumque seuerè increpet, exposcit: multisque verbis obsecrat, ne sibi ansam, aut occasionem dari ferat, sese proprijs armis (hoc est sacrorum interdictis, & pontificia authoritate) vindicandi. Quòd si ea negligerentur, esse sibi quoque militares copias, multò armatis satellitibus prętãtiores, quos Bernardinus veluti in bellicum præsidium, in eius contumeliam in æde sacra Ranerę collocauerat. Optima monenti Mendozius paruit: atque ita se Ximenius ea molestia liberauit. Nihil tamẽ animum eius ęquè fauciauit, quàm quòd per eosdem dies Petro Cordubæ iuuenum regiorum pręfecto in Africa accidit. Nam cùm eius operâ portus magnus, qui Maurorum lingua Mersalcabir dicitur, Carthagini nouæ in Hispania oppositus, in nostrorum potestatem venisset, eumque præsidio militari tueretur: aliquid egregium patrandi cupidine incensus, in interiorem Africam, cum tribus peditum millibus, aliquotque itẽ cataphractis equitibus penetrauit: sed inauspicato prælio cum Mauris dimicans, penè omnes, hostium innumera multitudine vndique confluente, sunt perempti. Quod magis ac magis Ximenij animum confirmauit ad expeditionem Africanam, quam iam diu secum meditabatur, suscipiendam. Dum his in Hispania curis Ximenius distringitur: Ferdinandus, quem vniuersæ Italiæ gratulationes, ipsiusque adeò Pontificis Maxi. Iulij. II. honorifica per nuntios gratulatio, & ictum cum Ludouico Gallorum rege fœdus, iniuriarum obliuisci fecerant, à Neapoli, vbi omnia ex voto cõposuerat, in Hispaniam rediens, Sauonam Genuensium vrbem, ante diem quartum Calen. Iul. appulit. Eò Gallus neptis suæ visendæ prętextu, quam (vt diximus) Ferdinandus vxorem duxerat, venit: & multa de vtriusque rebus, quæ antea per sequestres & nuntios tractabantur pręsentes egerunt, Gonsalo Fernando cognomento Magno, & Antonio Palauicino Pont. Max. Legato tantũ ad colloquium admissis. Digrediuntur reges animis coniunctissimis, & Gallo in sua redeunte, Ferdinandus prospero cursu in Laletaniam traiecit, quæ pars est Cataloniæ: vbi ab omni nobilitate officiosissimè salutatus, receptus est. Deinde in Castellam diu cupitam profectus, ab vniuersis proceribus, qui ad illum festinatis itineribus conuolauerant, multis obsequijs, & gratulationibus excipitur: qui nullam interim offensi aut alienati animi significationem dedit, sed omnibus benignè arrisit. Nam vel Emanuellum ipsum, cui multis de causis

sis non iniuria offensus esse existimabatur, Naiarensium reguli, quo cum amicitia ei intercedebat, custodiæ concessit. Quãquam vt erat Emanuellus animi sagacis & prouidi, parum fidit Ferdinandi dissimulationi. Sed dum ille alijs atque alijs negotijs occupatur, decepto aut dissimulante custode, simulatque per occasionem licuit, iter ad Belgas continuò arripuit. Quod paulò ante non expectato Ferdinandi aduentu, Villas, & Veranius, alijque nonnulli Belgarum principes fecerant, statim ac Philippus obierat, ad Carolum Philippi filium confugientes. Quanquam sunt qui ad regem Gallorum diuertisse dicunt, vt eius literis Ferdinando commendarentur: qui rerum ab illis gestarum gnarus, Placet sanè (inquit) ad eum ita scribere, vt talem erga vos benignitatem exhibeat, qualem vos vestris officijs promeremini. At regina vt patrem per nuncios aduentare resciuit, quanquam nullo signo lætitiæ dato, in vltimos Castellæ fines venire voluit, ad excipiendum patrem, nisi Ximenij authoritate, qui ea de re Ferdinandi literis admonitus iam erat, prohibita fuisset. Proinde Furnillis relictis, Tortoles oppidulum non lõgè distans, nocturnis itineribus, vt solebat, proficiscitur. Quam cùm Ximenius nonnunquam admoneret, ne iter noctu, tempore sanè incommodissimo faceret: hoc est (inquit) viduæ fœminæ perquam decorum: nam sole maritali ablato, solis lumen oportet fugiat. Atque ita facibus longo ordine præeuntibus, & mariti feretrum cingentibus, viæ se de nocte dabat, nouo, neque vnquam antea audito exẽplo. Modicis itineribus Ferdinandus ad Ioannam filiam contendens, quod crebris regulorum occursibus impediretur, quarto Calen. Septem. Tortoles venit: vbi patria quadam caritate illachrymãs in mutuos filiæ amplexus effusus, obortam animo lętitiam apertè declarabat. Illa verò, quod vix quispiam in tam pertinaci mœrore expectaret, lachrymas quidem nullas effudit, quæ illi post pellicem cum marito deprehensam, nimia ui doloris, aruisse dicuntur: hilarescentis animi signa non pauca, neque obscura dedit. Sermonibus vltro citroq; habitis, ad multam noctem euigilarunt, Ximenio duntaxat arbitro. Priusquam colloquium dirimeretur, cæteris aulicis iam admissis, cùm de loco regum habitationi apto agitari cœptum fuisset, & regina patrem rogaret, vt suo arbitrio illum optaret, & Ferdinandus eam curam honoris gratia in filiam reijceret: tandẽ placuit, vt sanctam Mariam Campẽsem, oppidum satis celebre viginti

Universidad de Deusto Biblioteca

millia passuum à Burgis distans, concederet. Nam & annonę abũdantia illic erat, & reginæ affectui mos geri videbatur. Inter cætera quæ dum in Italia Ferdinandus morabatur, cum Iulio Ponti. Maxi. egit, hoc vnum ab eo efflagitauit, vt Ximenius vir omni laude cumulatissimus, atque maximę authoritatis, vtpote Hispaniarum primas, in Cardinalium amplissimum senatum cooptaretur, cum Cardinalis Hispaniętitulo, quem patrum memoria Petrus Gonsaluius obtinuerat, & aliquot ante annis Petrus Friasius Vxamensis Episcopus, ab Enrico tertio Hispaniarum rege, magno in pretio & honore habitus. Igitur cùm id Ferdinandus Ximenio impetrasset, secumque ipse insignia tantæ dignitatis asportauisset, quod amoris in eum testimonium haud vulgare fuit, voluisset quidem, vt primo quoque tempore magno apparatu, & celebritate, Ximenius galero purpureo insigniretur: sed regina id pertinacissimè vetuit, indignum esse viduitate sua clamitans, quicquam lętum se pręsente geri. Quòd si id ita animo sederet, diuerterent in aliquem proximum vicum, atque ibidem meritissimum Antistitem, omni honore & hilaritate prosequerentur: se enim aurea & serica tapetia, & quicquid amplius ornamentorum ad eam rem necessarium esset, è gazophylacio regio deprompturam, & quocunque locorum conuenissent, libenti animo missuram. Obtemperauit reginæ Ferdinandus, quanuis animo dolenti & per inuito: neque enim tantam rem mysteriorum & religionis plenam, humili in loco & parum regij comitatus capaci geri voluisset. Accersitus est è Pallantia vrbe Ioannes Rufus Pontif. Maxi. nuncius, nam regina (vt diximus) per vicos ignobiles & angustos diuersante, illuc multi ex proceribus sese contulerant. Quoniam autem æstatis calores nondum deferbuerant, vestes purpureæ ex serico vndulato Ximenio sunt apparatę. Accidit autem, vt cùm ad eum visendum Ferdinandus rex venisset, & ambo in domo Ximenij morarentur, nuncius Pontificius aduentaret, & iam in proximo esse Ferdinando & Ximenio nuntiaretur, voluit illico prodire obuiam rex, sed eò vsque se continuit, donec vestibus purpureis Ximenius indutus, sese comitem regi adiungeret. Tanta fuit regi potentissimo comitas, & tanta pręsuli optimo dignitas, vt neque illum id honoris pręstare dedeceret, neque hunc admittere. Oppidulum quoddam, quod in propinquo erat ad ea

vsque tempora obscurum, incolæ Mahamudum appellant, ad ea sacra celebranda pro tempore accommodum esse visum est. Illuc cũ rege ferme proceres omnes conuenerunt, & Ioanne Rufo sacra curante, rubro galero Ximenius decoratur. Literæ verò summi Pont. super ea re ad Ximenium missæ, quoniam tunc sunt publicè perlectę, non abs re fuerit posteris quoque in hisce commentarijs tradere: quas nobis ecclesiæ Toletanæ sacerdotes ex adytis suis, vbi asseruantur, describendas obtulerunt. Nam Ximenius beneuolentiæ & officij causa, Toletum mittendas curauit: & priuata eius epistola, amanter de Pont. Maxi. collato in se beneficio certiores fecit. Rogat etiam vt supplicationes ad Deum haberentur, qui reip. Christianæ in primis, deinde sibi felix, & faustum esse annueret.

Venerabili fratri nostro Frãcisco S. R. E. Presbytero Cardinali, Iulius. II. P. M.

Dilecte fili, salutem & apostolicã benedictionem. Inducti pręclaris meritis & virtutibus tuis, contẽplatione etiam carissimi in Christo filij nostri Aragonum, Sicilię, regis catholici, qui hoc à nobis per literas & oratores instantissimè petijt, hodie in consistorio nostro secreto S. R. E. Cardinalium consortio, & collegio te aggregauimus, sperantes quòd eidem S. R. E. cuius iam honorabile membrum es, vtilis eris & honorificus, illiusque authoritatem pro viribus conseruabis, & augebis. Datis Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris. Die XVII. Maij. M. D. VII. Pontificatus nostri anno quarto.

ACTVM est id, maxima omnium aulicorum lætitia, xix. Calen. Octob. quo die Petrus Nauarrus, vir in bellicis rebus spectatę virtutis arcis Burgensis pręsidiũ quod dux Naiarensiũ ibidem collocauerat ad deditionem faciendam coegerat. Quãta autem ea cooptatio patrum purpuratorum approbatione, Iulio Pont. Max. rogante facta fuerit, literæ multorum, qui ex nostris eo tẽpore Romę agebant declarauerũt: quarum mihi copiã eadem sanctæ Ecclesiæ Toletanę

Universidad de Deusto Biblioteca

adyta ſuppeditauerunt,vt multarum etiam rerum aliarũ, quæ huic operi neceſſariæ videbantur. Erat quidem Ximenij nomẽ, vel apud exteras gentes iam celebre,ſed conceptam de ipſo opinionem non mediocriter regis Ferdinandi fauor & ſtudium adauxerat:qui incredibili cura & voluntate,vt grauiſsimis quibuſque muneribus præficeretur contendebat. Quare poſt ſacræ purpuræ dignitatem conceſſam,vt cauſis religionis examinandis ſupremi iudicis partes ſuſtineret(quem Inquiſitorem generalem vocant) à Pontif. Maxi. obtinuit. Huius magiſtratus tanta authoritas & maieſtas eſt,vt nemo ſit quantunuis magnus,quem non liberè queat in iudicium vocare,meritasque pœnas irrogare. Inſtitutum eſt huiuſmodi tribunal,magna totius regni conſenſione,ab Ferdinando rege de quo agimus,& Iſabella vxore,procurante vt id conſtitueretur Petro Gonſalio Mendozio,qui tũc Epiſcopus Hiſpalẽſis erat, anno. M.CD.LXXVII.& Xiſto. V.Pont.Max.approbante. Thomas Torquemata,ordinis Dominicani ſodalis,& Segobienſi monaſterio præfectus (quem vulgus priorem vocat) vir theologus, & vitæ ſanctimonia clarus, ad hoc munus conſilio Gonſalij Mendozij tunc fuit aſſumptus. Huius præclari,& ſacri magiſtratus, cùm ſtatim Hiſpania vtilitatem maximam ſenſit contra Iudaizantes, tum verò his calamitoſis temporibus contra tot ſectarum peſtem experti ſumus incomparabilem, & nunquam ſatis pro merito æſtimandam. Sed quoniam quo tempore Philippus rex in Hiſpaniam traiecit,ſub Deza Epiſcopo Hiſpalenſi,qui huic tribunali preerat,& Luzero Inquiſitori Cordubẽſi,magni motus Cordubę exorti ſunt, Petro Corduba Plegij Marchione cauſam quorundam hominum,qui de violata religione accuſabantur,protegente:rex Ferdinandus id memoria voluens, multum referre intellexit,virum aliquem,qui authoritate,prudentia,& vitę integritate polleret, ad tribunal grauiſsimum moderandum aſſumi. Nemo autem occurrit,qui omnibus numeris abſolutior eſſet, & aptior ad tantum munus digniſsimè exequendum,quam Ximenius. Idcirco ſimul cum cardinalitio honore,huius magiſtratus moderationem ad eum deferri,à Pont.Max. poſtulauit. Hęc ſimulatque impetrata ſunt,illico Ferdinandus eum,autographa epiſtola,de vtraq; re certiorem fecit:cuius exemplum, quod Franciſcus Hiſpania regis Philippi.II.cubicularius miniſter, mihi benignè obtulit, hîc libuit adſcribere.

Ferdi-

Ferdinandus Rex.

REVERENDISSIMO DOMINO PATRI Card.Hiſpaniarum,Archiepiſcopo Tolet. S.

VM tuam ingentem virtutem, cum inſigni pietate coniunctam experimento exploratam habeam,& quãto in pretio & honore habendus ſis cognoſcam, teque ipſum quantò ampliorem dignitatem obtinueris,tantò maiori,tum religioni,tum publicæ tranquillitati, nõ modo iſtorum regnorum,ſed & aliorum præſidio futurum eſſe, mihi perſuadeam:ſimul etiam dum quantum tibi debeam frequenter memini,dedi operam,vt me id ſupplicante, è beatiſsimo patre noſtro in S.R.E. Cardinalium numerum heſterno ſenatu cooptaris. Id tu obſecro beneficium ſuſcipe eo amore, qualis in me ad impetrandum fuit. Ad hęc cùm Archiepiſcopus Hiſpalenſis ſeſe Inquiſitoris generalis prefectura,quã in Caſtellæ regnis exercebat,per literas ad me datas abdicauerit,curaui etiam vt Pont. Max. ad ſanctum hoc munus moderandum Reuerendiſsimam paternitatem tuã deſignaret. Porrò duo ſunt,quæ mihi à te in præſentia petuntur,vnum vt pietati & religioni conſulas,optimis quibuſq; viris,qui omnibus affectibus potiſsimùm ſint liberi,ad tanti muneris partes aſſumptis: alterum,vt omni ratione,& diligentia, ne quid Archiepiſcopi Hiſpalenſis authoritati detrahatur,caueas. De quo etiam ſi te admoneri ſuperuacaneum eſſe videam,mihi tamen de eius dignitate ſolicito,vt ita faciam mens ſuadet. Vtriuſq; rei teſtimonia ad te vt propediem mittantur curabo. Hactenus ad te non ſcripſi, quoniam à remis ad velum(vt aiunt)in procinctu ſemper fui:at Deo,vt ſpero, iuuante,vltimo inſtantis Sancti ſpiritus celebritatis die,vela faciã:nam me hucuſq; cupientem,maxima negotia retardauerunt. Vale manu propria. Neapoli.XV.Cal.Iunias,Anno.M.D.VII.

HVIC grauiſsimo ſtatim vt præfectus eſt muneri, tabulas publicas,quarum exemplum in Complutenſibus ſcrinijs habetur,per vniuerſas Hiſpanię eccleſias dedit:quibus id potiſsimùm agebatur,quo pacto recens ad fidem conuerſi,liberique eorum,& familia vniuerſa in religionis rebus ſeſe gererent,& qualiter ſacris deberent intereſſe:

Universidad de Deusto Biblioteca

& quibus item rudimentis & exordijs,paulatim ad Christianam fidem instruerentur.Rursus à quibus rebus cauendum esset, vt pote Iudaicis,& Mahometicis cæremonijs,maleficis ritibus, & magicis incantationibus,cęterisque omnibus superstitiosis actibus,qui à dęmonibus sunt inducti.Nam de blasphemijs,& nefarijs vocibus, quibus homines impij diuos omnes,imò & Deum ipsum impetũt,quoniam legibus regijs seuerè vindicatur,id vnum additum fuit in his tabulis,suam quoque illos experturos indignationem.Hæc verò cõminatio mirum est quantum momenti apud nostros semper habuerit.Quoniam verò seuera Luzeri animaduersio multorum animos turbauerat,primo quoque tempore de eo agendum ratus, curauit vt deposito magistratu,rerum à se gestarum rationem daturus,vt rei solent,ad se veniret.Fuit id cumprimis speciosum, & multis hominibus oppidò quam gratum.Testes sunt in medium producti,quorum ille operâ aduersus innoxios vsus dicebatur. Ingentia causarum volumina,quibus damnatorum crimina continebãtur, assidua Ximenij & aliorum iudicum cura,qui supremas in inquisitionis curia partes cum eo tenebant,lectitata & expensa sunt.Luzerus crebrò de omnibus interrogatus Burgos vinctus asportatur: ibique arcis pręfecto sub arcta custodia asseruandus traditur.Sed re omni accuratè examinata,cùm in illũ animaduertẽdi causa satis idonea non inueniretur,liber tandem abire permissus est,& Hispali in cuius vrbis templo maximo sacerdotium canonicus obtinuerat,diu priuatam vitam vixit.Priusquam huic volumini finẽ imponamus, commodum videtur,de Hierosolymitana expeditione, ad quã sub hoc tempus Ximenius Ferdinandum,& Emanuelem Lusitaniæ regem assiduis sermonibus,non cessabat adhortari, nonnihil posteritati tradere.Nam vt ex literis Emanuelis, quæ in Academię Cõplutensis scrinijs,regio signo,ceraq; propendẽti Lusitano sermone scripte seruantur,intelligere licet,anno sexto qui hunc antecessit, paulò antequam Hispaniam Philippus è Belgis appelleret,suadente & curante Ximenio,de fœdere inter Ferdinandum Hispanum, & Emanuelem Lusitanum,& Enricum Britannum feriendo agebatur: vt mutuis animis,& exercitibus,aduersus Saracenos proficiscerentur, Dominicum sepulchrum recuperaturi.Quanta in eam rem animi contentione Ximenius intenderet abunde Emanuelis verba declarant:quę suis ferme verbis,quantum potui fideliter, & circunscriptè

apponam:

apponam:quoniam nihil potuit honorificentius,aut præstantius in alicuius commendationem scribi à rege rerum gestarum gloria in clyto.Ferdinandi (inquit) soceri prudentia, cum excellenti animi magnitudine coniuncta,nosterque item & Enrici Leuiri ad hanc rem ardor,& propensio,cõcorsq; animorum affectus, diuino in primis fauore adiuuante, sine quo nunquam aliquid in terris præclarè geritur,facilè me in spem ingentem erigunt, vota tua suum finem habitura.Quæ quantum ex literis tuis intelleximus, semper cò tendunt,vt Mahumetana secta deleatur,& omnes qui extra cœtũ Christianorum sunt,dominico gregi tandem coniungantur,fiatque vnũ ouile,& vnus pastor.Id autem fausta hac & felici expeditione, ita cumulatè euenturum speramus,vt propediem victorijs exultantes, sanctissimum Christi corpus te ad sepulchrum dominicum sacra faciente, è tuis manibus socer & duo generi, magna lætitia & voluptate perfusi, genibus flexis sumpturi simus. Crede enim mihi, quòd post Ferdinandi regis ad hanc rem paratam voluntatem, cuius auspicijs mirificè confidimus, nihil meum animum magis confirmauit,nec confirmauit modò,sed altero tanto etiam adauxit,quãtuum ad hanc rem feruorem, diligentiam curamque intueri, sine quibus nihil eorum quæ à te prudenter singulis in rebus animaduertuntur, potuissent ad me perscribi: quæ mihi maximo argumento sunt Deo annuente prouinciam hanc assumi.Quare id tibi vnũ persuadeas velim,multò magis mihi pretiosum & carum esse,te nobiscum huius expeditionis participem venire, quàm si rex quispiã potentissimus,sese nobis socium adiungeret. Neque enim solũ opibus tuis, & authoritate,quę neutiquam contemnenda sunt, pręsidio nobis, & vsui eris, sed augurij fortunatissimi spem præsentia tua semper suggeret. Nam id ex tua pietate, & quam perpetuò colis, morum sanctimonia pro certo habemus, nihil vnquam aduersum,aut triste eis,quibus cum verseris, accidere posse. Si quidem à viris sapientissimis accepimus,idque oraculis nostris testatum retinemus, Deum immortalem beneuolentiorem in eos esse, à quibus purè & religiosè, quemadmodum tu facis,colitur.Sæpe etiam ob vnius viri dignitatem & merita vniuersorum noxas condonari: quemadmodum è diuerso, ob vnius flagitium & scelus totam aliquando remp.cuerti.In ijs verò quæ ex longa consyderatione, quam in legendis historijs adhibuisti,vbi de simili expeditione

agitur

Universidad de Deusto Biblioteca

agitur,prudentiſsimè diſſeris,permulta ſanè exempla recenſentur, quæ parum aliôqui animatos deterreret,& promptos & paratos cõmonefaciunt & cautiores reddunt.Ea etſi nos quoque iam proſpexeramus,abs te tamen admoneri,grato & lubenti animo ſuſcepimus. Nam & ſententia noſtra tuo calculo confirmata fuit,& ampliorem de ea re cogitandi materiam nobis obtuliſti: vt quãdo coram de eis agendum ſit,ea quæ nobis vſui ſunt futura,accuratè expẽdere valeamus.Eſſet enim omni culpa dignus,qui ex aliorum periculis non ſaperet. At tu Antiſtes optime,planè curam non vulgarem pręte fers, ingentisque tuæ ſolicitudinis non mediocre mihi teſtimonium pręſtas,cùm eorum omnium,quæ ad hanc rem efficiendam cõducunt, tanta ſis cognitione inſtructus.Nec enim oręmaritimæ ſinus,nauiũ ſtationes,& abditos in ipſo pelago ſcopulos quiſquam eſt in oriente nauclerus,qui diſtinctiùs poſſet explicare.Iam quę de belli gerendi forma à te dicuntur,ita aptè,& conuenienter,ita fortiter & robuſtè diſponuntur,vt nihil aliud tractaſſe videaris.Idcirco quantis hoc vltimum eſſe videamus,neque de eo prius diſputandum,quàm cæteris omnibus(vt oportet)compoſitis,quid nos quoque de eo ſentiamus,à te tam luculenter prouocati,breui ſermone aperuimus. Hæc ex Emanuelis literis decerpta,ſatis demonſtrant ſolicitum in primis Ximenij animum,de Mahumetana gente extirpanda:qui tanta diligentia,& ſedulitate,trium potentiſsimorum regum concordiã ad eam rem perficiendam curaret.In hoc quidem negotio Emanuelis pietas mirificè enituit,magnam voluntatem,inſignem fortitudinẽ, ingentem in Chriſto fiduciam præ ſeferentis. Qua tamen de cauſa ea expeditio non ſit confecta,nihil certi quod ſcribam habeo: niſi quòd partim ex Philippi regis in Hiſpaniam aduentu,cuius occaſione omnia mutari,& aliam(vt ſupra diximus)faciem oſtendere cœperunt,partim ex Iulij ſecundi Pont.Max.cum Gallo diſsidijs,in quibus apoſtolicæ ſedi laboranti,ſubuenendum fuit,Ferdinandi & Ximenij conatus ad bellum ſanctiſsimum ſuſcipiẽdum impeditos fuiſſe par eſt credere.Pręſertim cum multa deinceps ex eo fonte continenter acciderint,quę domeſticam tranquillitatẽ interturbarunt,& cunctam de bellis externis curam abſtulerunt.Quàm difficile autem ad huiuſmodi res conficiendas principũ animi coire ſoleant, quantęque in ipſis difficultates ſubinde oriantur, Franciſci Valleſij Gallorum regis,prudens me hercle de hac re dictum,& ſapienter & elegãter

ter declarauit.Ille enim cùm captiuus ad Imperatorem Carolũ. V. qui tunc Madriti erat,per Hiſpaniam,Alarcone,alijsque primarijs viris comitantibus,iter faceret,& Cõpluti meridiatus eſſet, cœpit victoris imaginem qui iam prope erat,mœſto vultu cogitare:& cùm nihil ijs qui adſtabant loqueretur,Petrus Laſſus, vt ęgrimoniã diſcuteret,bono animo(inquit)eſto rex,neque te ad hoſtem venire exiſtimato,ſed potius ad principem mitiſsimum & humaniſsimum: in cuius poſtquam conſpectum veneris,cuncta ex tua voluntate fient. Nam iam ego hinc cõcordiam inter vos clauis trabalibus fixam ortam video:qua non ſolùm Chriſtiana reſp. confirmetur, ſed Mahumetana ſecta deleatur.Nam Turcis tãto terrori eritis,vt paribus armis conſpirantes,& cęteris Chriſtianis principibus ad eandẽ prouinciam prouocatis, vrbem Hieroſolymitanam ſine vllo negotio expugnetis. Franciſcus ad hęc reſpondiſſe fertur, longè maius negotium in conſpirando Laſſe erit,quàm in expugnando.Proſpiciebat enim prudentiſsimus rex,duos æqua poteſtate principes,quorum alter parem,alter priorem nequaquã ferret,difficilè mutuam conſenſionem habituros.Illorum ergo principum Chriſtianorũ diſcordijs noſtrisque flagitijs,eas vires barbari ſumpſerunt,vt difficilior expugnationis ratio iam facta fuerit,quã pro Ximenij eo tempore opinione.Cùm tamen Franciſcus rex, Academiæ viſendæ cauſa in Ildephonſi ædem veniſſet,eumque rector,ac literarij patres, per omnes ſcholas circunduxiſſent,vbi ſinguli profeſſores,de ſuis diſciplinis diſceptabant:poſtquam attento & conſyderanti animo cũcta tacitus perluſtrauit.Rem(inquit)Ximenius veſter animo concepit, eamq; (vt video)abſoluit,quã ego aggredi neutiquã auſus fuiſſem, veritus ne conanti effectus tantę rei non ſuccederet.Nam Pariſienſis ſchola qua mea Gallia iure gloriatur,opus regum multorum eſt. Hoc ſanè potentiſsimi, atque erecti animi regis teſtimonio,illuſtri alioqui Academię, non mediocris commendatio parta eſt.Sed nos ad eius amplitudinem pro virili deſcribendam, quandoquidem ita ſeries hiſtoriæ poſcit,Deo auſpice,accedemus.

Universidad de Deusto Biblioteca

LIBER QVARTVS.

AD EAM partem historię deuenimus,in qua nobis de Academiæ Complutensis principijs & institutis,& literatorũ hominum subsidijs ad vitam ducendam,est agendum,& etiam de profectibus studiorum, quandiu Ximenius superstes fuit. Ergo postquam ille Cardinalitia purpura insignitus,& Inquisitor generalis factus fuit,rex Ferdinandus sub Octobris initium Burgos se contulit:neque enim reipub.negotia patiebantur,amplius eum per vicos ignobiles vagari, & ęgræ filię, ac parũ sibi constanti,cum publico omnium detrimẽto obtemperare. Regina verò cùm id intellexisset,nec quicquã illi repugnandum esse rata,ea tandem cõditione annuit,si modò sibi liberũ esset,apud Arcos oppidũ quindecim stadijs à Burgis distans,cũ Philippi coniugis feretro manere: neq; enim animo imperare posse,vt eam vrbẽ rursus inuiseret,in qua coniux sibi dulcissimus fuisset ereptus. Cũ rege Burgos Ximenius venit,fuitque in eius comitatu ad extremũ vsque Augusti mensis insequentis anni.Quo quidẽ tempore,rex Petri Aquilarij marchionis Plegiani plectendi causa,quod regium executorem irreuerenter,& indignè tractasset,Cordubã profectus est.Ximenius verò à Compluto nuntium lætissimũ accepit,scholã suã nõ ita pridem à nouis colonis habitari cœptam: exorsumq; Petrũ Lermã Burgensem,quem ille Burgis paulò ante ea de causa Cõplutum miserat,librum Aristotelis de moribus,non parua scholasticorum frequẽtia,prout illa tempora ferebãt,interpretari.Quę quidem prima lectio,non sine felici bene in posterum de moribus Academię sperandi augurio,publicè est habita.Regis igitur absentia peropportunè Ximenius vsus,Cõplutum Academiã suã visurus venit.Die xxvj. mensis Iulij,Annæ Deiparę virginis genitrici sacro,studiosorum iuuenum colonia à Salmantica Complutum Ximenij iussu deducta, diui Ildephonsi ędes faustis auspicijs,in totius Hispanię profectũ, & commodum sempiternũ habitatura iniuit.Eorũ verò nomina,neq; enim in obscuro fas est delitescant,qui tam pręclarę rei principium dederũt,à maioribus hæc fuisse accepimus.Petrus Campus,Michael Carrascus,

Carrascus,Fernandus Balbasius,Bartholomęus Castrus,Petrus Sãcta crucius,Antonius Rodericus,Ioannes Fõtius. Qui omnes intra ędes Ildephonsi,sub eius diei crepusculũ recepti,quas deinceps collegij nomine sumus vocaturi,tricliniũ escarium ingressi,quod perampla,& satis spatiosam collegij sui maiestatẽ præ se fert,epulis hilares accubuerunt.Collegarũ numerum triginta tres esse placuit, quibus duodecim sacerdotes(quos capellanos vocãt)sodales dedit.His idem vestitus,habitatio,& mensa cõmunis est:omni reip.cura hos liberos esse,nullũq; ius suffragiorũ per leges habere cauit:addita insuper causa,quoniã deo dicati essent.Hi sacra singulis diebus in collegio peragũt,Ximenij cõditoris,eiusq; parentũ & cognatorũ,atq; collegarũ defunctorũ manes,perpetuis parẽtationibus,statis quibusdã diebus, expiantes.Ęgrotantiũ sodaliũ curã gerũt:pauperibus deputatas sportulas,atq; reliquias epularũ diuidunt.Duo ex his, qui capellani maximi vocãtur, parochorũ ius,ex summi Pont. authoritate,in collegas tenent,cęterosq; alios qui collegiũ inhabitãt.Sunt alia officio & religione plena horum curæ commissa,quę in Academię decretis continentur.Vnum tamẽ dicã lege benignissima à Ximenio prouisum esse:vt scholasticis sacerdotibus, quos inopia rerum necessariarum premit,non deesset vnde viuerent, sacra pro eius,ac piorum defunctorum requie celebrantibus,certi reditus vt deputati essent iussit, vnde illis in singulos dies velut sportulę darentur, ne à suis studijs cessarent. Postridie illius diei, septem illi viri collegarum primitię, peculiari sodalitatis vestitu,qualem nunc videmus,ornati, in publicum prodierunt. Is est talaris amictus,fului coloris, nulla parte adapertus,nisi quà caput profertur,& brachia per scissuras laterũ exeruntur.Est autem quà ceruicem attingit, altiusculus,vt collum vndique vestiat,fibulis quatuor astrictus.Ab humero sinistro dependet vtrinque eiusdem panni & coloris fascia quędam, palmari latitudine,longitudine verò ferè amictum ęquat: sed quę retro proijcitur,in multò latius spatium desinit,spira quadam sinuosis plicaturis assuta. Hęc autem est veluti insigne collegij primarij, cęteris enim non licet sic vestiri.Hic ergo amictus adeò collegas cõdecorat, & speciosos reddit,vt quanuis illorũ pleriq; satis matura nõ sint ætate,senatorum personam probè referant, planeque digni esse iudicẽtur penes quos reip.literariæ gubernatio sit. Nam horũ arbitrio & prouidentia,orbis ille disciplinarũ nouis subinde luminibus clarus, perpe-

Universidad de Deusto Biblioteca

perpetuò est circũuertendus. Pridie diuę Annæ,qui dies Iacobo apo
stolo diuo Hispaniarũ tutelari, sacer est, ab Ildephonsi sacello in Ia-
cobi ædem,quæ tertiam parochiam Cõpluti constituit, quingentis
ferme scholasticis comitantibus(is enim numerus, vt qui adfuerunt
sunt testati,ex finitimis locis cõfluxerat)rudi pompa,si ad pręsentem
maiestatem respiciamus,at prout in illis initijs licuit,satis splendida,
ventum fuit. Nam Petrus Lerma,quem Iusti & Pastoris abbatẽ Xi-
menius creauerat,& exiguus ille qui tunc erat canonicorum ac cęte
rorum sacerdotum in eo templo numerus, supplicationem sedulò
curauerant. Nondũ in pileis laureatorũ, tot versicolores apices præ-
fulgebãt,nec sceptrigeri regnum literarium quale nunc est,ostenta-
bant,& tamen Complutenses ciues impendiò hilares, faustũ sibi diẽ
non cessabant gratulari,ac veluti animo præsentire oppidi sui exo-
rientem felicitatem. Qua de causa Ximenius pietatis & sacrorũ, in
primis cultor religionis,legibus quas inter cæteras scholę suę tulit,in
perpetuum cauit,vt eo die singulis annis literaria resp.in eam ędem
sacra factura frequens conueniret:ortusque sui ea ratione memor,
ad nouam sobolem subinde educendam, & prouentus vberrimos
præstandos sacri concionatoris voce concitaretur. Vbi priuatim re-
gum Hispaniarum salutem &fortunas,deinde cæterorum quorum
protectioni & fidei scholam suam cõmissam esse voluit,supplicibus
votis Deo & Iacobo Hispaniarũ apud cælites patrono, cõmẽdandã
demãdauit. Statim igitur vt Ferdinandus Burgis discedẽs,quod cir-
citer idus Iulias factũ fuit,Cordubã est profectus,Ximenius oppor-
tunam occasionem nactus,sub Augusti finem Cõplutum venit: vbi
collegij sui rebus consyderatis,præclarisq; illis initijs perspectis,qui-
bus ingens studiorum spes ostẽdebatur:illico viros doctissimos,par
tim Salmantica,partim Lutetia Parisiorum,quę semper bonarũ ar-
tium emporium est habita,ad disciplinarum professionem acces-
sendos doctores curauit:idque tanta solicitudine & diligentia,vt an
te Lucę festũ,quod sub idus Octobris celebratur, quodque singulis
annis studijs in Hispania per vniuersas scholas principiũ dat,omnes
ferme professores seu regentes(vt ille appellare maluit) cõuenerint.
Theologicę scholę,quam nominaliũ eo tẽpore vocabant,Gonsaluũ
Ęgidium Burgẽsem pręfecit,ingenij peramœni, virũ,atq; varia do-
ctrinarũ supellectile exornatũ:cui⁹ tenacissima memoria adeò admi
rationi fuit,vt hac vna potissimũ re ingẽtis opinionẽ doctrinæ apud
omnes

omnes comparauerit: quanq̃; sunt qui mihi retulerint, eam me-
moriæ vim, morbo grauissimo, postquam à Parisijs in patriam
redijt,amisisse. Dedit suæ memoriæ specimen, apud Ximenium,
cum Carolo Bouillo samarobrino, non incelebri theologo disputans.
Hic enim cùm dictum diui Augustini, in patrocinium suæ
opinionis citaret, nihil contra se facere Gonsalus proclamauit:
nam præterquam quòd non in eo libro Augustini, quem Bouil-
lus citauerat, ea authoritas continebatur, multa uerba deesse di-
cto dicebat, quæ omnia protinus continuata serie recitans, me-
moriam aduersario vacillare exprobrauit, quæ illi neq; librum
certum, neq; libri caput fideliter suggessisset. Hic ille est inquiens
Bouille, quem tu non ita pridem, bonum in re literaria tyronem,
inter iuuenes nostros appellasti. Bouillus ad hæc hominis doctri
nam, & memoriam miratus : non iam (inquit,) spei bonæ ty-
ronem te Gonsale, sed veteranum doctorem venerabor. Illico-
q; ad Ximenium conuersus, multis eum verbis commendauit.
Quod gratissimum Ximenio accidisse, vultus, & frontis indicio
declarauit. Eius aliquot carmina, memoria magis hominum,
quàm scripto vllo circunferuntur, & acuminis & iudicij plena.
Scoti lectioni Clementem, sodalem Franciscanum, virum in
illius authoris libris versatum, claramq; ex eius Cimmerijs tene-
bris & non contemnendam doctrinam, eruentem. Erat alio-
qui Clemens impeditioris naturæ, carebat enim extemporali
respondendi facultate, & frontis confusionem, rebus præser-
tim subitis, patiebatur. Quare rarò quæsitores illos,quos colum
nares vocant, admittebat. Nam nonnulli lectione peracta, præ
ceptorem ègymnasio thelogicò egredientem, & ad colum-
nam,quæ è regione est stantem, vanis nonnunquam interrogatio-
nibus, ostentationis potius gratia, quàm vllius bonæ frugis, im-
pudenter nimis interpellant, & obtundunt. Sancti Thomæ
enarrationi, Petrum Siruellum Darocensem, indefessi in stu-
dijs laboris hominem, librisq; perpetuò adhærentem, cuius
permulta scripta, quę passim inter philosophię studiosos pu-
blicè edita circunferuntur, eius diligentiam & eruditionem non
vulgarem indicant. Hunc ego puer iam octogenarium Com
pluti vidi, adhuc vigorem suum retinentem : cuius illud dictum

Universidad de Deusto Biblioteca

in ore omnium tnnc habebatnr, nunquam à se diem suauius peragi, quam cùm populus taurobolijs, alijsue publicis ludis occupatus, ædes sibi liberas interuentoribus faciebat: solidus enim ille dies studijs dabatur. Nam quicquid temporis studijs non impertiebatur, perire existimabat. Penuria auditorum eius gymnasium semper laborabat. Cuius rei causam cùm aliquando rogaretur, ad hunc modum (vt aiunt) respondebat. Sancti Thomæ doctrinam incomparabilem quidem esse, prorsusq; cubicis figuris persimilem, quæ vtcunq; iaciantur firmiter sedent, cæterùm cibi solidi instar, nisi lento ventriculi calore percoquatur, nullum est corpori alimentum allatura: Id autem Hispanorum ingenijs repugnare, quibus omnis mora molestiam incutit. Logicæ, & Philosophiæ studijs Michaelem Pardum Burgensem, cuius in ea re eximia diligentia multis exemplis Parisijs innotuerat, quiq; dum vixit Gallicam illam viuendi libertatem sine vllius querela perpetuò tenuit: Antonium item Moralium Cordubensem, Ambrosij Moralij regij historiographi patrem, qui nunc in iuuentute nobili moderanda valde laudatur, virum tam philosophicis, quàm medicis studijs eo tempore celebrem, & cuius opera Ximenius persæpe est vsus. Medicorum scholæ Tarraconam, & Cartagenam viros percelebres. Hunc ego Compluti familiariter cognoui, elegantia morum in primis commendabilem, vultusq; quadam hilaritate præditum, qua mirè animos ægrotantium recreabat: atq; ea de causa principibus viris, ad quorum morbos curandos persæpe missus est, valde gratum. Hic dum Veranicæ, quod est Vacceorum oppidum, Delphino, & Duci Aurelienſi Francisci Gallorum regis filijs, qui pro patre capti uo obsides sunt dati, Caroli V. imperatoris iussu, operā medicam prestitit. Græcæ linguæ Demetrium Cretēsem ex Italia accersitum, ac post eum Ferdinandum Nonnium Pintianum: è quorum scholis Franciscus Vergara Ioannis Vergaræ frater, Laurentius Balbus liliēsis prodierunt, viri eruditione, & ingenio præstantes, veteribus illis sine iniuria vlla comparandi. Vnum tamen addam, quod Ximenij prudentiā maximè commēdat. Nam dum legibus suis (quas cōstitutiones vocant) singulis professoribus quid agendū præscribe ret,

ret, cautumq; esset, vt auditoribus deficientibus, stipendia item cathedrarum cessarent, de græcæ linguæ præfectura sanciens sic ait. Quoniam Græca Lingua, Latini sermonis, atq; adeo aliarum scientiarum fons & origo est, quiuis numerus auditorum, de quorum indole & profectu bene speretur in ea sufficiens esto. Præuidebat enim vir prudentissimus, paucissimis semper quibusq;, quorum nempe animus ab studio lucri alienus, ad disciplinarum arcana rimanda promptus esset, Græcę Linguæ cognitionem cordi futuram: atq; ita eius curandæ, & prouidendæ rationem, minimè quidem quemadmodum in cæteris disciplinis ad auditores, qui perrari & negligentes futuri erant, sed ad Rectoris, & triumuirorum (quos Consiliarios appellant) suffragia, pertinere voluit. Hebręæ Linguę Paulum Coronellum, de quo supra diximus, cùm de bibliorum excussione tractaremus. Rhetorum gymnasio Fernandum Alfonsum Ferraram Talabricensem, hominem ingenio promptum, & extemporali facundia præstantem. Ferunt illum arroganti natura præditum, non dubitasse in omnem messem falcem mittere, deq; re omni literaria iudicium ferre: adeo vt aduersus Aristotelem libellum edere nō erubuerit. Fuit quidem ille reprehensus à plerisq; academiæ magistris, sed ab Aegidio Gonsalo, & Bartholomæo Castro multò acrius, adeo vt senex rubore suffusus, & æstuans hęserit. Rhetorum gymnasio hoc priuilegium Ximenius dedit, vt semel ad id moderandum assumptus, perpetuam dum vixerit teneat prę fectu ram, nisi iustæ aliquæ causæ interuenerint, quæ illum gymnasio decedere cogant. Nam in aliarum disciplinarum scholis, vt professores officio suo, & munere diligentius fungerentur, voluit vt peracto quadriennio exauthorati, rursus discrimen petitionis subirent, nouiq; iterum candidati haberentur. Prospiciebat enim vir sapiens, annis ingraueſcentibus segniores mortales naturâ fieri, & nulla re magis in officio perstaturos, quàm si æmulos paratos viderent, semperq; ancipitis euentus solicitudine tenerentur. Quid tamen secutus, diuersum in rhetorica fieri voluerit, mihi sanè certum non est: nisi fortè, quòd conjectare licet, homini prudenti, & rerum humanarum probè perito, exactè quidem cognitum fuisse, viros excellentes in

Universidad de Deusto Biblioteca

omni re perraros ſemper fuiſſe, in eloquentia tamen longè rarioreſ. Nam & perpaucos eo ingenio eſſe, qui multiplici diſciplinæ pa res pro rei dignitate ſint, & magnam hominum partem lucri cupiditate in tranſuerſum raptam, potius artibus quæſtuoſis, quàm eloquentiæ, cuius in præſentia neglectior eſt vſus, operam ſuam libenter impendere animaduertebat. Iuri ciuili ne vllus in academia ſua eſſet locus, lege ſeueriſsima cauit: cur autem id fecerit ſtatim dicemus. Iuri pontificio interpretando Lorancam quendam, & Salzeum præfecit, homines quidem non admodum celebres, ſed qui rudimentis eius facultatis tradendis ſufficere poterant: quanquam poſtea legem de ea re ferens, viros in vtroq; iure præſtantes ad id munus eligendos eſſe voluit: vt ſi quę inter academiæ patres controuerſiæ, aut potius aduerſus remp. literariam orirentur, eſſent in ea iuriſperiti, qui non tantum profeſſorum munus implerent, ſed etiam conſulere & patrocinari poſſent. Libet legis ipſius aliquot in præſentia verba recenſere, vt intelligant omnes, quantum Ximenius auerſatus fuerit nimiam curam in iure perdiſcendo. Nam cùm theologica, & liberalium artium ſtudia ſuo tempore contemni videret, cumq; his linguarum cognitionem, hæc tria ante alia à iuuentute literarum ſtudioſa, in academia quam condebat quæri voluit. Sed audiamus legis verba. Cùm duæ celeberrimæ apud noſtros academiæ habeantur, in quibus iuris vtriuſq; ſcientia, magno cum fructu, & laude ingenti traditur, iuris ciuilis peritiæ in hoc gymnaſio locus non eſto: Ius pontificium eo vſq; tradatur, quatenus eius peritiam ad ſacros ordines in hac Toletana diœceſi ſuſcipiendos, noſtræ ſynodales conſtitutiones neceſſariam eſſe cauent. Duo profeſſores ſacrorum canonum quàm maximè docti, & inſtructi haberi poterunt, in hoc noſtro Collegio ſunto. Sic igitur ille cùm aliô qui his diſciplinis parum faueret, honeſtiſſimam cauſam prætexuit, quòd vnam præterierit, & alterius paruam rationem habuerit. Cùm aliquando Ximenius apud eorum gymnaſium qui Philoſophiam naturalem profitentur ſederet, turbamq; ſcholaſticorum oculis circunluſtraret, conſpexit fortè pontificij iuris præceptorem cum diſcipulis lectione peracta egredientē, & aſtantibus dixiſſe aiunt. Profectò ex animi mei ſentētia vobiſcum

cum actum eſt. Occupate ergo illa inferiora latibula, vt alijs mihi carioribus diſciplinis, hæc ſplendidiora & illuſtriora loca relinquatis. In hac autem ſententia erat, non quidem contemptu illarum diſciplinarum, quas ſentiebat eſſe reip. neceſſarias, ſi vitio hominum nō corrumpantur. Sed cùm vir prudentiſsimus vtriuſq; iuris cognitionem Salmanticæ, & Pintiæ doceri intelligeret, Theologiam verò iacere, hanc ſibi omnibus modis exornandam, & augendam propoſuerat. Singulis profeſſoribus, eo quem diximus delectu aſcitis, neceſſarium viſum eſt vnum aliquem creare, qui omnes in officio continere poſſet. Is autem opibus, & cenſu non exiguo, vt imperio & maieſtate polleret, indigere videbatur. Quamobrem diu ſecum Ximenius agitauit, an Salmanticenſis ſcholæ exemplo vnum è nobilibus adoleſcentibus, qui ſtudiorum cauſa Complutum conuenirent, rectorem conſtitueret, penes quem ſenatus cogendi, & ſalaria profeſſoribus diſtribuendi, & nouos præceptores in demortuorum locum, aut eorum qui docendi munere functi eſſent ſubſtituendi, ius eſſet. Præter hunc verò, etiam magiſtrum ſcholarum litibus audiendis, & ſontibus puniendis præficeret. An potius è collegis Ildefonſi vnum aliquem vtriq; muneri præficeret, qui annuo tantum tempore duraret. Videbat hac forma primarium illud collegium multum augeri, contra verò ſi hæc potentia in partes diuideretur, imbecilliorem & ſeditioſiorem futuram: præterquam quòd iuuenem illum è nobilitate Rectorem probare non poterat, quòd pari conditione omnes in ludo literario ſe exercentes viuere deberent: cæteris verò imperaturum longè aliā rationem ſequi oporteret, nec fieri poſſe vt ex æquo cum cæteris ageret. Scholarum verò magiſtrum, ſiue is eſſet Iuſti & Paſtoris ſcholaſticus, minus virium habiturum, quàm tanto imperio conueniret: eſt enim Iuſti & Paſtoris templum longè infra Salmanticenſe, ſi quis reditus & opulentiam conſyderet. His rationibus perſuaſus, Ildephonſi collegij Rectorem, dignum eſſe exiſtimauit, quē academiæ gubernandæ præficeret. Sic.n. & Collegij ſui authoritati, & ſupremæ illi poteſtati conſultum iri, ſibi perſuaſit. Nā cùm in ſingulos annos ingentē pecuniæ ſummam, in academiæ vſus impēdendā, penes ſe redactā habiturus eſſet, ſatis hinc illi neruorum ad tantam dignitatē tuendam acceſſurum: & Ildefonſi collegis, quos maximè auctos eſſe cupiebat, authoritatem magnam conciliari:

Universidad de Deusto Biblioteca

cùm vnus ex eis ad præstantissimam omnium dignitatem eligendus esset, cui omnes obtemperarent. Dedit tamen illi ex eisdem collegis annuos triumuiros, quos proprio nomine consiliarios appellauit, quorum solùm suffragijs & sententijs, ne semper essent à suis studijs collegæ interpellandi, pleraq; negotia disponenda forent. Quoties verò aliquid maioris momenti tractandum incideret, ad collegas referendum esse iussit, deq; omnium sententia decernendum. Quòd si id ad totius academiæ vtilitatem attineret, maioribus comitijs agendum esse voluit: & ex omnibus disciplinis eos dũtaxat, quibus insigne magisterij datum esset, ad senatum per appariores esse cogendos. Fuit hæc ratio satis idonea ad rectoris magistratum cohonestandum: nam illico magno in pretio haberi cœptus fuit, atq; æquè cum ipso Ximenio venerari. Nunc verò cùm præter sceptrigeros, lictorem, Quæstorem, & Tabelliones duos, quos illi Ximenius per leges dedit, nouis subinde rebus in tanta amplitudine emergentibus, multi in dies ministri addantur: quoties extra collegium prodire rectori accidit, quod nunquam nisi grauibus de causis fit, nihil est eius comitatu honestius, aut dignius. Præfectus est primus huic amplissimo muneri, anno M. D. VIII. sub Lucæ festum (nam eo tempore ad eum eligendum, ex Ximenij lege senatus cogitur) Petrus Campus, iuuenis iam tunc magnæ expectationis, atq; ea de causa in collegarum numerum (vt diximus) asumptus. Huic præter ingenium, & morum probitatem, species digna imperio contigerat: ea. n. erat oris dignitate, atq; apta totius corporis habitudine, vt ad sui venerationem facilè omnes alliceret. Cõstituit etiã ad Parisiensis scholæ exemplum, Academiæ Cancellarium, qui honorum titulos, (quos vulgò gradus vocant) studiosis tribueret: & simul cum quatuor viris, qui examinationi iuuenum in liberalibus disciplinis quotannis præficiuntur, præsens esset: omnibusq; literaris actibus iure suo interesset. Hunc Abbatem Iusti & Pastoris perpetuò esse voluit: vt maiori authoritate munus suũ posset obire. Ad eam rem Petrum Lermam doctorem Parisiensem Ximenius asũpsit, de quo latius aliàs dicemus. Compositis ad hunc modum quæ ad tradendas disciplinas pertinebant, maximam sibi suæ scholæ partẽ peractam arbitrabatur: quoniã id vnũ esse sibi persuaserat, vnde frequẽtia in primis studiorũ expectaretur, si viri in singulis doctrinis præclari academiæ gymnasia moderarentur. Nec

sua

sua eum opinio fefellit, nam animorum illa contentio, in rerum primordijs semper exultans, tantopere studiosos accendit, vt breui in tantam frequentiam Complutensis academia creuerit, quæ illã cæteris Hispaniæ scholis quanuis florentissimis, æquauerit. Illico enim ex vniuersis Hispaniæ partibus ingens numerus studẽtium cõfluxit: & pręceptores multitudine incitati nullis laboribus indefessi parcebant. Plurimùm autem nascẽti academiæ profuit benignitas indulgentissimi patroni, non sine summa prudentia. Propositis. n. præmijs, & obseruantia priuilegiorum, præceptores vndecunq; alliciebat, & miram scholasticorum copiam. Nam vt conditores nouarum vrbium solent securitatem ædificatis asylis promittere, vt ciuium copia non desit: sic qui academiam construit, indulgentem esse oportet, & in erratis nõnullis conniuentem. Conueniebant per ea tempora Complutum iuuenes ex diuersis locis, qui tam ætatis feruore, quàm noua libertatis, & gymnasij assurgentis licentia, veluti pulli indomiti, primùm in oppidi præfectum, sonte quopiam qui ad suspendium ducebatur ablato, deinde in regium executorem insultantes, fabro argentario, qui Guadalfajaræ capitale quid commiserat, ex eius manibus per vim erepto. Sed illud factum iuuenili ætati condonandum, vt risu dignum, Ximenius esse dixit: hoc verò apud regem aliòqui frementem sapiẽter eleuauit: scholæ id esse ebullientis spumam dictitans, quę illico esset feruorem repressura. Erat faber argentarius arte sua celebris, sacris poculis quæ ildephonsi sacello parabantur necessarius: vnde Ximenij volũtate magis quàm vllo temerario scholasticorum impetu seruatus à nõnullis dicitur. Ille autem alter, qui iamiam ceruicem laqueo prębebat, voce cuiusdam scholastici fuit ereptus. Nam cùm dixisset, quæ est hæc ô iuuenes studiosi socordia, & animorum deiectio? Vobis ne præsentibus, & maximè hoc sacro tempore, quod Christi funeri dicatum est, patiemini miseri hominis cadauer pendere? ita sunt animi omnium incitati, vt agmine in præfectum, lictores, & satellites facto, sontem nihil tale expectantem liberauerint, & ad proximum diui Francisci cœnobium duxerint. Id cùm acerbissimè oppidi præfectus ferret: nullamq; de illis vindictam posset sumere, nam scholasticorum adolescentum multitudo per momenta crescebat: suadente Carolo Mendozio Ximenij cubiculario, qui Compluti certis de causis tum temporis agebat, vnus è vinctis vulgo satis notus

Universidad de Deusto Biblioteca

ſubitò eſt raptus, & aſino impoſitus publicè verberatus, præcone proclamante ſcholaſticum illum eſſe, & plecti ob ſeditionem paulò ante factam. Fuiſſet id priori caſu atrocius, nam ſimul atq; præconem audierunt, illico iuuenes nihil rationis aut penſi habentes, eum iterum erepturi conuolant, cladem & incendium oppido minitantes, niſi hominem, qui verberatur, agnouiſſent, & impoſturam ſibi factam intellexiſſent. Quam obrem pacatis animis, riſu in tanta turbatione oborto, ſinguli in ſua ſe tecta receperunt: licet grauiter offenſis oppidanis, quibus ea iuuenum inſolentia, nimis terribilis, & formidanda viſa fuit: ſed Carolus Mendozius blanda oratione furẽtes deliniuit: deq; ea re ad Ximenium ſcripſit: qui indulgentem patrem imitatus, cùm ſe in eos acerbè vindicaturum reſcripſiſſet, tamen non longo poſt tempore Complutum veniens, oppidanorum prudentia collaudata, qui inſanis adoleſcentibus pro tempore ceſſiſſent, ſeſe pro illis ſponſorem dedit, nihil vnquam tale commiſſuros: idque ita quandiu ille vixit, euenit. Florebat quidem his de cauſis Cõplutenſe gymnaſium, maximamq; in dies expectationem dabat, bonas literas in Hiſpania reuiſcuras: Ximenijq; pectus gaudium occupabat, cùm iuuentutem contemplaretur, à qua veluti fœlici plantario fœcundiſſimæ arbores ſperabantur, quarum mirabiles fructus breui per totam Hiſpaniam eſſent aſportandi. Sed vt ſunt res humanæ inſtabiles, ſubitò accidit, quod animũ Ximenij haud mediocriter afflixit. Nam viri illi præſtantes, quibus munus docendi datum diximus, partim Ximenij fauore abutentes, partim Salmanticenſis academiæ pollicitis inuitati, verebantur enim Salmanticenſes, ne ſua ſchola non ita floreret, ſi Complutenſis tam inſignes haberet profeſſores, ſalaria ſibi maiora dari poſcebant. Id cùm Ximenius, ad eos prouehendos alioqui munificus, indignum eſſe & impudens duceret, ſemper enim vir in promittendo parcus, bene de ipſo ſperarẽt edixerat, cœpit animo nonnihil commoueri. Nulla enim re magis ingenui & liberales viri indignantur, quàm ſuorum diffidentia, quos ſecuros eſſe iuſſerant de ſuo in eos animo, & voluntate, nec tamen ceſſant putidè, & ineptè, illorum mentem pertentare: ſubori tur enim faſtidium, quod paulatim amorem in odium vertit. Cùm itaque præceptores illi Ximenio diſplicerent, nondum integro ſexẽnio exacto, omnes certatim, ſed alius alio maturius, Compluto profecti, duro nimis & iniquo tempore, naſcentem ſcholam deſeruerũt.

Nam

Nam Gonzalus Ferrera, Pintianus, alijque nonnulli, inter quos Alphonſus Cordubenſis fuit, cuius in artibus liberalibus tradendis nõ vulgaris diligentia laudabatur, in Salmanticenſe gymnaſium conceſſere. Sunt autem illos comitati complures iuuenes ingenioſi, & prouecti diſciplinis: ſed potiſſimum Gonſalum, cuius mira erat in docendo dexteritas, & extemporalis facundia: quod acrius Ximenio bilem commouere potuit. Accidit etiam, vt Bartholomæus Caſtrus, cuius obiurgationem Ferrera ſuſtinere non potuit, Ximenio propter eius virtutem, & doctrinam impenſè carus, Romam diſcedere cõſtituerit, ſpe magnarũ rerũ cõcepta, quãuis cauſam honeſtiorem obtenderet, linguarum videlicet, & literaturæ politioris amorem. Veruntamen cùm parum Salmantica Gonſalo arrideret, placidis nondum culta diſciplinis, & Alphonſus ob inſolentiam ſcholæ Auguſtini cucullum induiſſet, Ferrera autem lepra importuna laboraret: Ximenius cùm iſta reſciuit, Genius hic eſt (inquit) Complutenſis academiẹ, iſtorum facta iuſta ratione vlciſcens: qui meam liberalitatẽ & indulgentiã, tam ſuperbis animis, ſine vlla cauſa ſpreuerunt. Iſtorum vos caſus iam vidiſtis: at ſibi Caſtrus vt caueat moneo: nam neſcio quid ſiniſtrum mihi de eo mens præſagit. Non multis poſt menſibus ad Ximenium allatum fuit, Bartholomæum Caſtrum ſpe ſua fruſtratum. & vrbis Romæ tandem tædio affectum, dum in Hiſpaniam Oſtia ſoluiſſet, miſerandum naufragium paſſum. Quod ſanè indicauit, quæ à pontificibus ſacris dicuntur, vana non eſſe. Debilitatus nonnihil hoc euentu ſtudentium ardor videbatur: veruntamen aureus ille Maronis ramus, nullibi magis quàm in gymnaſijs diſciplinarum naſcitur, vereq; de eo ſapientiſſimus poëta cecinit. Vno auulſo non deficit alter. Protinus enim poſt illorũ diſceſſum indigenæ ſunt præceptores ſuffecti, alijque deinceps ſucceſſerunt, quorum opera & eruditione, in eam claritatem & gloriã Cõplutenſis ſchola prouecta eſt, quam nunc videmus. Hoc in loco de Fernando Balbaſio, qui ſextò rector fuit pauca dicenda ſũt, quoniam in eius magiſtratu nonnulla acciderunt, quæ cũ Ximenij rebus videntur coniuncta, verecundè tamen & parcè, viuit enim adhuc Compluti octogenario maior, viridi tamen & molli ſenecta, vniuerſis literarijs honoribus magna cum laude & dignitate functus. Ad eam ætatem ſine vllis ſenectutis moleſtijs perueniſſe creditur, ob placidam & mitem qua præditus eſt naturam. Hunc virum

Universidad de Deusto Biblioteca

Ximenio carum fuisse permulta ostendunt: nam & opimis sacerdo
tijs illum honestauit, & postquam studiorum suorum curricula pe-
regit, extremis Ximenij temporibus, ad eius familiā accersitus fuit,
vt disputationibus theologicis interesset: quas ille post epulas sin-
gulis diebus longiuscule, cùm delectationis, tum valetudinis causa
producebat. Nam homo regijs negotijs occupatus, grauissimisq;
rebus, hac vna duntaxat vtebatur animi remissione. Adeo. n. sem
per sapientiæ studia amauit, vt huiusmodi quęstiones illi essent pro
ludo, & relaxatione. Nec his tantū quæ publicè habebantur, contē
tus fuit, sed ad interius cubiculum horis pręsertim nocturnis, priua
tas quoq; cōmentationes addebat, viris illis literatis pręsentibus: in-
ter quos non ignobili apud Ximenium loco Balbasius est habitus.
Is anno M.D. xiij. in rectoratus dignitatem Michaeli Carrasco suc
cessit: quo tempore Ximenius rebus academiæ absoluendis Com-
pluti agens assiduus instabat. Accidit autem, vt Ferdinandus rex ob
medicatas epulas, quas ei Germanam reginam, dum prolem disci
pit, propinasse fama erat, malè habens, sub cal. Ianuarias à Madri-
to profectus, Cōpluto iter faceret, in secessus illos amœnissimos Se-
gouianos, vbi se venationibus oblectaret, procul ab aulico strepitu
& interpellationibus negotiorum. Gratum id Ximenio & perop-
tatum accidit. Nam cùm Oranicæ expeditionis causa non nihil dis-
sidij intercessisset, tā opportuno regis interuentu ad omne genus lę
titiæ exhibendum sese comparauit. At quid libentiùs ab eo exhibe
retur, quàm nouæ academiæ, & reipu. literariæ ostentatio? Quæ re
gi peræquè ac Ximenio conditori voluptati futura erat, cùm Hispa
niam suam schola florentissima adauctam videret, quæ Parisiensis
gymnasij æmula, illius laudem ad nos esset translatura. Venit igitur
in Ildephonsi collegium Ferdinandus, Ximenio latus claudente,
vbi magna totius populi literarij lætitia exceptus, singulas scholas di
ligenter perlustrauit, & professores studiosè audiuit. Sed ędificiorū
magnificentiam contemplatus, Ximenio qui prope aderat com-
pellato. Omnia (inquit) mihi mirificè arrident: sed terrena hęc stru
ctura, operis æternitati, quam æquum est te animo concepisse, pa
rum quidem videtur accommoda. Ad quæ Ximenius respondisse fe
rtur. Ita est, ō rex, sed huiusmodi esse oportet opus hominis festinā
tis, & ne morte præoccupetur timentis. At ni mea mihi vaticinia
blandiuntur, quam ego terrenam populo huic literarum studioso

tra

trado, ipse sibi marmoream conficiet. Neq; eum fefellit sua diuina
tio. Nam postea anno xliij Io. Turbalanus rector, amplum illum
orthographiæ prospectum, totamq; parietum seriem, quæ ab Ilde
phonsi sacello versus diui Francisci cœnobium protēditur, aliquot
ex collegis reclamātibus, quibus & immodici sumptus displicebāt,
& terrena alioqui moles firma adhuc, & diu duratura videbatur, so
lo nihil cūctatus æquauit: quòd rimulas aliquot in tam ingēti ædifi
cio contemplatus, ruinam minari, aut iactauerit, aut pro certo ha
buerit. Satis constat dum parietes formacei diruerentur, multa fer
rea instrumenta, ob murorum duritiem, penitus confracta, &
disrupta fuisse. Cœpit illico marmoreum opus assurgere, tam accu
rata fabrorum arte, vt non modò ædes æternas fecisse videātur, sed
vario ornamento & sculptura insignes, & pulcherrimas. Verum est
enim quod Pindarus cecinit, operis principio vestibulum quod à
longe resplendeat, apponendum esse. Interea rector patribus acade
miæ stipatus, cùm è collegio in regis occursum progressus esset, præ
euntes eius sceptrigeros, rabduchi regij, qui & ipsi sceptra gerebant,
conspicati, voce intentiori, vt sceptra submittant, aut deponant
inclamant: neq;. n. fas esse, vt præsente rege, cuiquam subditorū
huiusmodi insignia præferrentur. At humanissimus rex, nihil ea
de re maiestatem suam imminui sentiens, vt solito more procedāt
iubet: musarum inquiens illas ædes esse, in quibus fas poscebat, vt
musarum sacris initiati regnarent. Præclarissimo id sanè exemplo
factum fuit, non tamen summis principibus inusitato. Nam cùm
magnus ille Pompeius, vniuersi penè orbis triumphator, aliquan-
do Athenas venisset, atq; Possidonium Philosopum doctrinæ opi-
nione eo tempore percelebrem inuisere instituisset, neq;. n. euoca-
re ad se passus fuit, fores de more à lictore percuti vetuit, & fasces
ianuæ submisit, sapientis hominis, & eruditi reuerentia. Cùm gra
tias Ximenius Ferdinando regi ageret, pro tam humana erga suā
scholam comitate, honorificentiæ & splendoris plena: Rector ad
regis genua iam procumbens, manus osculādas suppliciter petebat,
& libenter à rege exceptus, cùm aliquid ab eo rogandus videretur
occasionem Rectorem suum honorādi Ximenius nactus, minimè
eam auolare sinens, sic regi dixisse ferunt. Ni tibi, o rex, molestum
est futurum, edisserat rector tua in præsentia, quæ me absente in a-
cademia gesta sunt: & tibi breuiter seriem studiorum recenseat, om

nem

Universidad de Deusto Biblioteca

nemq; aliam huius suæ reip. rationem : mihi. n. in res diuersas & multas distracto, minus ad id præstandum facultatis aut memoriæ est. Placuit regi humanissimo, vt rector medius incederet, sic enim melius quæ vellet referre, vterq; erat intellecturus. Narrauit ille disertè, quæ ad illud tempus pertinere putauit, factis nonnullis in ambulatione spatijs ad prima ferme noctis lumina: vnde occasio rixæ inter scholasticos adolescẽtes, & regios pueros data est. Nam iam vesperascente, pueri regis cum facibus adesse jubentur, qui vt sunt mirè petulantes, cœperunt acriter scholasticos iuuenes dicterijs impetere, & cauillis mordere: scholastici verò nec puerorum nobilitate, nec quòd in regia essent familia retardati, totidem regerunt conuicia. Paulatim deniq; ad manus ventum est: & illis scholasticorũ facies facibus vstulantibus, his verò fustibus & saxis se vlciscentibus, tantus excitatus est tumultus, & clamor, vt necesse fuerit rem omnem regi aperire. Qui quanuis ad animi motus compescendos, & dissimulandos, mirè erat compositus, non potuit indignationem reprimere. Et ad Ximenium cõuersus, hæc sunt (inquit) præmia meæ semper lenitatis. Nam si isti tui scholastici, cum primum in regios ministros irreuerenter se gesserunt, fuissent vt merebantur multati, non peruenissent ad tantam impudentiam, vt me præsente, in meam familiam tam procaciter irruerent. Dum hæc à rege indignante dicebantur, patribus aliquot literarijs curantibus, tumultus ille sedatus fuerat, sed potissimùm Bernardini comitis Cluniensis opera. Is enim scholasticis acriter increpatis, & aulicis pueris blãdè demulsis, qua erat inter vtrosq; authoritate, facilè iras cõceptas deliniuit: cunctisq; studiosis hominibus, nõ sine magna voluptate, illius viri pietate grauis imaginem retulit, qui apud nobilem poetam, vulgi sæuientis animos dictis regere dicitur. At Ximenius dolentis vultum præse ferens, inest (inquit) ô rex, & formicæ sua bilis: nemo est tam deiecto animo qui se vlcisci, nedum defendere nõ conetur: sed videt tua maiestas vt subitò omnis tumultus est compressus voce viri vnius? Repressit animum rex, & subdolens quòd puerorum rixa esset commotus, ad hilariores sermones se conuertit: & academiæ magnificentia, & disciplinarum exercitijs collaudatis, in regiam se recepit. His ipsis diebus, Antonius Nebrissensis Salmanticensis scholæ odio, ad Ximenium quem olim deseruerat, vltro tãq; ad portum redijt, vt in Compl. academiæ gremio, sine vllo tempestatis metu, quodcũq; æui superesset conquiesceret. Fuerat ad Salmanticensem scholam vocatus, ob mortem cuiusdam Petri Titionis, qui primariam grammaticæ cathedram, vt vocant, habuerat. Dignum sua eruditione esse putauit Nebrissensis, in luce illius perãtiquæ academiæ versari, & senectuti suæ consulere, amplissimo & perpetuo stipendio suscepto: nec. n. dubitabat, quin in sua arte cæteris omnibus esset præferẽdus. Sed rem longè aliter euenisse sensit: nam cùm duos haberet competitores, Ferreram senem, cuius à nobis facta est mentio, & Castellum, qui Ferreræ in eruditione nullo modo erat comparandus, nedum Nebrissensi, vtrunq; tamen hic longo suffragiorum interuallo superauit. Ergo Helena, quam tres ambiebant, Castello cessit: siue is muneribus, siue pollicitationibus, siue alijs artibus puerorum animos, quorum suffragijs statur, decepẽrit. Impatientissimè hanc repulsam Nebrissensis ferens, ad Ximenium venit, & patronum optimum appellauit: sibi deliberatum esse dicens, nunquam à Compluto pedem discedere, quod & præstitit: ibi. n. obijt ingenti omnium mœrore, & honorificè sepultus est. Excepit illum Ximenius perhumaniter, et quinquaginta nummũm millia, & quadringentos frumenti modios stipendij loco in singulos annos constituit: quod tunc habitum est amplissimum. Meruerat id, & multò maiora hominis eruditio, cui Hispania debet, quicquid habet bonarum literarum. Ergo quanuis à Ximenio rogaretur vt sibi parceret, genioq; suo indulgeret, post tot in literarũ studijs & peregrinationibus labores, non ideo optimus senex à publica bonorum authorum interpretatione cessauit, summa semper auditorũ frequentia stipatus. Itaq; ab eo tempore Ximenius tantum honoris Nebrissensi habuit, vt semper illum honorificè appellauerit, & ad se venientem nunq̃; non exceperit vultu hilari: & quoties ab ædibus suis in collegium veniebat, ad officinam excussoriam, prope quam Nebrissensis habitabat, iter consultò flectebat, & cum eo è fenestra prospectante, longos interdum sermones habebat, vel de rebus quas inter legendum assequi non potuerat, vel de negotijs academiæ. Sed hoc prætereũdum nõ videtur, displicuisse Nebrissensi locũ quẽ Academiæ Ximenius quæsiuisset, idq; duplici nomine: & quòd insalubris ob vicinitatem fluminis, & planitiẽ arcuosam esset (neq;. n. probabat Platonis consilium, quo academiam lyceo præferebat) & quòd ad ditionem pertinebat Pontificũ Toletanorũ qui-

Universidad de Deusto Biblioteca

quibus cum assiduæ essent futuræ lites, & de iurisdictione, & de tribuendis beneficijs templi Iusti & pastoris. His de rebus sub Epiphaniæ diem cũ Ximenio per occasionem egisse aiunt: est enim solẽne tunc principes viros domi suæ salutare, & boni ominis causa, foelicem illis annum nouum optare: quod clientum præcipuè officium est erga patronos. Nam cùm quæreret à Nebrissense, quid sibi de nascente academia videretur, amplissimam & præclaram esse retulit. Sed duo illa quæ dixit desiderare, locum scilicet corporibus salubriorem, & ex patrimonio Ximenij, vt ad eius hæredes transiret. Commotum fuisse Ximenium his dictis constat: sed cùm totã secum rem, demisso, vt solebat, vultu considerasset, hoc tantùm respondit. Ego ô bone, hæc quæ vides fundamenta ieci, & curaui quantum humana ratione caueri potest, vt sint perpetua, reliquum est vt Deus opt. max. incrementum addat, & rem suam tueatur: vana enim est hominum ædificatio, & solicitudo: ni deus auspex & custos fuerit. Solebant quotannis maiores nostri oratione funebri, & publicis academiæ exequijs, Nebrissensi, tanquam homini de vniuersa rep. benemerito parentare, sed quoniam id negligentia obsoleuerat, anno M. D. L xij. per rectorem Didacum Lopidem Ocãnensem ex patrum consensu decretum est, vt id deinceps instituto olim die instauraretur, venientibus in Ildephonsi ædẽ cunctis Academiæ patribus, & studiosa literarum iuuentute. Qui verò secus fecissent, jurisjurandi violati, quod de rectori obediendo datur, tenerentur. Ergo postquam duo illi viri sunt à Ximenio constituti, Rector scilicet & cancellarius, principes academiæ, penes quos rerum summa esset: illum annua potestate, hunc perpetua: videbat, hos satis esse eius opinioni facturos, si suo quisq; munere fungeretur. Animaduertebat etiam præceptorum diligentiam, & industriam, ex auditorum frequentia constare. Igitur ad iuuentutis in disciplinis incrementum, & ne copia alimentorum destitueretur, præclaram rationem excogitauit, quinquetum temporis collegijs institutis, quibus pauperes adolescentes, alij triennio, alij quadriennio alerentur. Nam cùm multi ingenio, & natura ad disciplinas apto, priuatarum facultatum inopia, indolem illam, quæ ad virtutis culmen euehere posset, vilibus & nonnunquam sordidis ministerijs, necessitate, grauissimo dęmone, cogente addicerent: ne id accideret, quinq; contubernia

bernia parari iussit: in quibus qui rectoris, & triumuirorum suffragijs comprobati essent, tempus vnicuiq; designatum diuersaren tur. Aedes igitur peramplæ exædificatæ sunt, quarum singulæ peculiari alicuius diui tutelæ sunt dicatæ, à quo & nomen acceperunt. Grammaticorum schola binas suscepit, alteras diuo Eugenio, primo Toletanorum antistiti consecratas, alteras diuo Isidoro Hispanorum indigenæ, ex Gotthico sanguine, cuius admirabilis doctrina multis in rebus remp. iuuit. Nam vt concilia in Hispania celebrarẽtur curauit, & libros complures summa doctrina, & religione scripsit. Harum ędium singulis, virum moribus & doctrina prestantem præfecit: qui ternos grãmaticæ præceptores, ad puerorum institutionem per classes suas distinctos, conducit. Horum primus rudimentis tradendis, alter prouectioribus instituendis, tertius vtrosq; supergressis, ad elegantiorem rationem, priusquam ad alias disciplinas discedant, formandis, omni cura, & vigilantia intendit. Eosdem Latinæ Linguæ authores, in vtroq; Grammaticorum collegio, sex illi doctores publicè interpretantur: partim vt ipsi mutua ęmulatione excitentur, partim vt discipuli de eisdem sententijs inter se agere possint, & animaduertant an sui pręceptores idem senserint. Hac collatione & ingenia exercentur, & videntur singuli binos audiisse magistros: & in re maximè necessaria & perdifficili, si quis rem vt par est consyderet, non inutiles profectus faciunt. In his collegijs quadraginta duo adolescentes, ex aliorum numero desumpti, triennio aluntur: qui sępe numero ab initijs illis, ad contubernia reliqua per gradus promoti, victa egestate, in viros magnos, & præclaros euaserunt. Horum præceptores decimo quinto quoque die, vicissim tribus discipulis suorum magistrorum de rebus Grãmaticis sententias defendentibus, aduersarijs contra impugnantibus, in gymnasium quod maius ob capacitatem vocant, conueniunt: vbi multæ eius disciplinæ difficultates enodantur, pueriq; ex mutua contentione non mediocriter iuuantur. Quoniam verò ad cæterarum disciplinarum cognitionem, permultum interest bene pueros in Grammaticis institui: nullaq; maior studiorum pernicies sit, quàm si ignoratis linguæ latinæ fundamentis, conetur quis cęteras disciplinas superstruere, quæ latinè traditæ sunt ab authoribus: hac quoq; in

Universidad de Deusto Biblioteca

q; in parte ſapientiſsimus academiæ conditor, curauit vt caueretur. Nam horum collegiorum præfectis, quoties adoleſcentibus ab vna grammaticæ claſſe ad aliam tranſeundum eſſet, quãtum in grammaticis rudimentis profeciſſent explorare iuſsit: animosq; eorum non mediocri religione obſtrinxit, ne immeritis & parum prouectis, ad maiora progredi concederent. Quòd ſi ad alias diſciplinas conſcendendum foret, rectori de examinatore creando curam dedit. Huic muneri Franciſco Fontinouilla rectore, anno xlij ab academia condita, Alfonſus Matamorus Hiſpalenſis, primùm eſt præfectus, vir multiplici eruditione, & latini ſermonis puritate excellẽs vt ex libris quos hactenus edidit, omnes intelligũt. Hic vnus, ni cum podagra, alijsq; morbis aſsiduè luctaretur, potuit & eloquentiæ ſtudia mirum in modum prouehere, & academiæ noſtræ multò maiori eſſe ornamento. Dialecticæ & philoſophiæ ſtudijs, binæ itidem ædes contributæ ſunt: alteræ diuæ Balbinæ dedicatæ, cuius titulus Ximenio cardinali facto datus fuit: hæ quadragenos octonos ſingulis quibusq; annis recipiebãt, qui dialecticæ primo anno rudimẽtis, ſecundo Ariſtotelicis de ea re libris, ingenti præceptorum labore, aſsiduis exercitationibus, per pugnas literarias inſtituerẽtur. Alteræ ſub diuæ Catherinæ titulo, ad quas tertio quoq; anno è diuę Balbinæ collegio qui commigrabant, naturalibus & ſapientiæ, quã poſt naturalem philoſophiam appellant, traditionibus, pari cura perbienniũ inſtruebantur: hi metaphyſici, illi vero phyſici in Ximenij legibus vocãtur. Sed in Balbinæ collegio viginti illi quatuor, qui Ariſtotelis dialecticæ operam dabant, alios qui rudimentis vacabant, anno antecedebant: quo temporis ſpatio, & in Catherinæ metaphyſici, phyſicos præcurrebant. Hac de cauſa priores illi, vt iã veterani, in ſecundos vt tyrones imperium exercebãt: nec ob hoc vlla à principio diſcordia exorta eſt. Atq; ita continua quadam cõuerſione illis abeuntibus noui ſuccedunt: quod de pyris hortorum Alcinoi Homerus dixit. Nam quadriennio integro peracto, quod ſemper in continuo curſu eſt, ad nouos præceptores ſtipendia cathedrarum quotannis redeunt. Perpetuò ſub Lucæ feſtum duo præceptores deliguntur, qui toto quadriẽnio in philoſophica ſchola inſudent. Hac nimirum ratione efficitur, vt octo doctores in eadẽ ſemper area verſentur, qui logices rudimenta, aut Ariſtotelis de eadem arte inſtitutiones, aut libros de phyſico auditu, cæteraq; ad naturalem

lem philoſophiam ſpectantia, aut primam philoſophiam, quam ſapientiam vocant, incredibili æmulatione docent. Sic autem octo, quos diximus, doctores diſtribuũtur, vt ſingulis quas numeramus diſciplinis, bini cõtribuãtur: quos (vt dixi) regẽtes appellãt. Singuli duodecim adoleſcẽtes ex auditoribus ſortiuntur, qui ad has ſodalitates, de quibus diximus, paupertatis cauſa ſuſcipiũtur. Hi ſuis periodis cõfectis, primo bachalaureatus, deinde licẽtiæ titulis donãtur: & poſtremò ad quadriennij finẽ magiſtrali floſculo (ea eſt merces laborũ) inſigniuntur. Cõgrediuntur etiã horũ pręceptores, quindenis vt grammatici, quibuſq; Saturni diebꝰ, ad ſua placita ſtudioſè tuẽda. Ne quid verò otioſum habeatur, proximis poſt præceptorũ cõgreſſum ſabbathis, Academia ſpectãte, pręceptoribusq; ipſis rem totã moderantibus, diſcipuli quoq; de eiſdẽ diſputãt. Tam ad illas, quã ad has diſputationes frequẽtiſsima cõuenit Academia: ſemperq; rector, & cãcellarius, niſi quidpiã magni momẽti impediat, pręſentia ſua diſputantiũ ingenia excitant, & ſpectaculũ dignius eſſe faciũt. Ędificata eſt & domus alia, titulo matris Dei, vbi ęgrotãtes ſcholaſtici curentur: ſed anguſtior facta eſt architectorũ negligentiâ, cũ Ximenius vt laxitate cęteras domos ſuperaret iuſsiſſet. Culpabat enim quod in noſocomijs vulgò fit: nã eodem in cubiculo multi diuerſis morbis affecti, & plerũq; cõtagioſis iacẽt: quos noxijs vaporibus viciſsim infici, & mutuis gemitibus affligi, & vicinorũ morte cõſternari dicebat: quare deſecũda cõſtruenda cogitauit. Fuit ea domus pro opportuna occaſio, vt theologicũ ſodalitiũ de quo iam Ximenius ſermonẽ fecerat, felicibus auſpicijs inſtitueretur. Nam cũ Ildephonſi ędes Theologis hominibus parata eſſet, ijsq; ſimul reip. literariæ cura demãdaretur, neceſſariũ eſſe videbatur, collegiũ aliud à reliquis ſeparatũ cõſtituere, vbi aliquot iuuenes ſtudioſi, ab omni cura vacui, Theologiæ perdiſcẽdæ liberiùs attenderẽt, indeq; in Ildephõſi cõmigrarent. Interea tamen dũ id efficiebatur, nõnulli ad eam rẽ delecti ſunt, qui per aliorũ cõtubernia hoſpites ſine certis laribus alebantur: donec ſexto ab Academia cõdita anno, Fernãdo Balbaſio rectore, hãc de qua diximus matris Dei domũ, viginti quatuor ſodales ſunt tranſlati, quorũ decẽ & octo Theologiæ, reliqui ſex medicinę vacarent. Hoc genio adeò felici factũ fuit, adeoq; in ea duarũ pręclariſsimarũ diſciplinarũ ſtudia egregiè tractãtur, vt ſingulis quibuſq; quadriennijs (nã id tẽpus ad cõmorandũ datur) veluti quædã exactiſsima officina, bonos artifices

Universidad de Deusto Biblioteca

educat,qui partim in Ildephonsi collegium suffecti, partim ad alias scholas,aut ad principes viros vocati,magno cum aliorũ fructu doctrinæ suę documenta proferant.Hîc legum latoris prudentia,antequã ad alia prætereo,notanda est:qui cùm in eo collegio veluti ludum quendam institueret,in quo Theologiæ & medicinę studia per gnauos athletas,huic rei duntaxat destinatos,exercerentur : neminẽ ad id admittendũ cauit,qui ad licentiatus(vt vocant)gradum,in liberalibus disciplinis non peruenisset: cùm alioqui vel mediocriter in dialectica instructũ in Ildephonsi suscipi permiserit. Satis enim sua amplitudine hanc esse tutam vir prudens pręuiderat:aut certè in tãta illius collegij maiestate,nouis subinde negotijs emergentibus,nõnullos requiri,qui non tam literarum pręsidio,quã rerum agendarũ dexteritate pollerent.Posteri tamen,quos longa rerũ experiẽtia quid sit factu cõducibilius docuit,neminem ad Ildephonsi admittũt, nisi probè in Theologicis versatum,aut qui publicè aliquam eius disciplinæ peritiam exhibuerit.Ne quid tamen Ximenius vir officij plenus videretur pręternisisse,Franciscani ordinis,cuius ipse olim instituto sese addixerat,inter hęc quoque ratione habita:intra collegiũ Ildephonsi,dignitatis ergo,loco peraccõmodo,& ab habitatione collegarũ diuiso,ædes alias ędificãdas curauit,vbi tredecim monachis, duobusq; eiusdem sodalitatis ministris,victui necessaria, prout in lege de hac re data habetur,suppeditantur:qui ordinis sui multis exoluti laboriosis pręceptis,vni literarũ studio vacãt. Dedit Ximenius in ea lege pietatis suæ egregiũ testimoniũ.Nã quoniã(inquit)huius religiosi collegij cõdendi consilium ea de causa à me susceptũ est,ne diui Frãcisci in hoc oppido cœnobiũ Academiæ occasione, ita magistris prouincialibus iubentibus,scholasticos sodales habere cogatur, qui nimirum literarijs exercitijs monasterij silentium , & tranquillitatem interturbent : si quando in eo vltra duos vel tres qui grammaticam discant,versari contigerit,tunc tredecim illi è collegio pellantur: ac eorum loco laici sacerdotes per rectorem, & collegas sufficiãtur. At Academia in amplitudinem,quam nunc habet,crescente,ea legis pars mitiori sententia correcta fuit.Nam ingens numerus monachorum literarum gratia ex vniuersa Hispania in cœnobium recipitur.Credibile enim est,Deo esse pergratum,in vtroque hominũ religiosorũ cœtu sapiẽtiam vnà cũ pietate exerceri.Huic de quo diximus Franciscanorũ sodalitio, Apostolorũ Petri & Pauli titulũ ob eã

rationem

rationem dedit,quoniam vt ex Arteagæ epistolis,qui Ximenij procurator apud summũ Pont.fuit,constat,eo tẽpore quo Leo.X. Pont. Maxi.xxxj. Cardinales creauit,cõsilium Ximenio fuit de sanctę Balbinę titulo mutando, proq; eo basilicæ apostolorum Petri & Pauli intra vrbem assumendo:& quòd is titulus summi honoris in vrbe esse soleat,& quòd ea basilica cœnobiũ Franciscanorũ , religione & dignitate præclarũ esset.Is autem titulus anno eius seculi decimo septimo,mense Iunio,in eo senatu,quo Cardinales sunt creati , per sum. Pont.Ximenio cõcessus fuit.Sed Arteaga,quòd nihil certi de Ximenij sententia super ea re haberet,nihil voluit incõsulto patrono cõstituere.Quãobrem Pont.Max.proximo senatu eum honorẽ Cardinali Columnę cõtulit:affirmabat enim,suo Ximeniũ contentum esse. Ximenius tamẽ ea de re ab Arteaga certior factus, se libẽter admittere respondit,dum putat adhuc rem esse integram.Ob hoc ergo,illius basilicę titulum Franciscanorum collegio, quemadmodũ dialecticorũ Balbinæ,tribuit.Cũ post aliquot dies Arteaga Ximenij volũtate cognita,titulũ basilicę apud Pont.Max.postularet,magistrum cæremoniarũ adire iussus,libro in quo tituli Cardinaliũ prenotantur,producto,Cardinali Columnę fuisse datum inuenit.Quare multum ob id cũ magistro cæremoniarũ expostulans,tandem re infecta domum abijt:adeò semper rebus paratis dilatio noxia fuit.Horum contuberniorum cura,rectori & triumuiris est cõmissa: neq; aliorũ quàm ipsorum suffragijs,ad sodalitatum iura candidati admittuntur,præter nonnullos,qui patronorũ Academię voluntate assumi debent,aut certorum hominũ,aut ciuitatũ,quibus Ximenius,vtpote sibi caris,aut propinquis eam facultatem dedit. Suę verò Academiæ, patronos & vindices,quorum fauorem in rebus arctis & difficilibus Cõplutense gymnasium imploraret,quinq; potissimùm esse voluit. Hispaniarum regem,sanctæ Balbinę Cardinalem , Archiepiscopũ Toletanum,Infantatus ducem,& Cluniensem comitem. Ratio autem satis constat,cur quos retulimus patronos nominauerit. Nã reges semper oportet propitios habere:Toletanũ verò Archiepiscopũ quòd Cõpl.eius esset ditionis,& plurimũ posset Academiam iuuare si literas amaret:iam verò è re Academię esse sciebat,habere Romæ protectorẽ,qui apud Pont.Max.si quando vsus postulasset,eius causam ageret,& simul titulum quem gesserat,quodammodo illustrare voluit:Mendozios verò tam ducem,quam comitem,partim quia

Universidad de Deusto Biblioteca

ob vicinitatem pręsto esse poterant Academię laboranti, partim ob affinitatem cum ea familia contractam. Factum est ergo tot collegiorum ędificatione, vt eorum veluti esca adolescentes studio si illecti, frequentes in Academiam vndecunque confluerent: nam vnius præbendæ (vt vulgo appellatur) causa, quadraginta aut amplius scholastici conueniunt. Idcirco cùm eam peropportunam esse occasionem Ximenius videret, ad continuum incrementum & frequentiam suæ Academię, vir prudentissimus ita ad verbum in lege de collegijs pręcepit. At si tantum incrementi Academiæ reditus susceperint, quòd pręter has sodalitates, alia adhuc collegia extrui possint, possessiones & census emantur, atque ad studiosos iuuenes alendos, citra vllum præfinitum numerum nouę ędes perpetuò instituantur. Hisce igitur collegijs institutis, vnde veluti per gradus, ad Ildephonsi ascenditur, nouisque subinde columnis, sine vllo vnquam ruinæ metu, Academia fulcitur: præter assidua exercitamenta, quę pro cuiusque disciplinæ ratione inter ipsos sodales habenda legibus super ea re latis sancita sunt, collationem titulorum (quos gradus appellant) Parisiensis Academię exemplo faciendam esse, duabus legibus, quæ de licentijs vocantur, sanxit. Nã cùm apud omnes Academias, quæ sapientum virorum consilio conditę sunt, post absolutos labores, qui in disciplinis percipiendis tolerantur, tituli quidam honorum propositi sint, quibus veluti mercede & pręmio studiosi iuuenes condecorati, maiorem authoritatem & celebrius nomen assequantur: Parisiensis scholę conditores æmulationem Hesiodicam probantes, in tribus potissimùm disciplinis, quæ magis difficiles & necessariæ videbantur, Philosophia, Medicina, & Theologia, non quidem peracta doctrinarum curricula, quę singulis disciplinis absoluendis proposita sunt, sed vniuscuiusque viri laborem, & industriam contemplandam esse censuerunt. Proinde in liberalibus disciplinis, vno duntaxat confecto lustro, eiusdem classis adolescentes per viros doctissimos examinantur, & catalogus quidam pro cuiusque peritia conscribitur, omnium, qui ad eam rem nomina sua dederunt. Exploratione autem peracta, Academię patribus, cęteraque iuuentute præsentibus, graui pręconis voce, suspensis accentibus catalogus quem dixi recitatur. In Theologia idipsum, sed grauiùs & accuratiùs fit, & non nisi duobus lustris peractis, in quorum

secundo diuersis actibus (quos vocant) & conflictibus Theologicus miles publicè examinatur. Ergo adeò varijs quęstionibus quas Theologi patres ex lege proponunt, pertentatur, vt necesse sanè sit doctrinam non vulgarem sibi comparauerit, si aptè respondere velit, dignusque tandem illo ordine censeri, quo nihil habet Hispania nostra grauius. Sed cùm omnes hi actus, sint ei qui patrum iudicium subit pertimescendi, illa certè actio, quę à collegij appellatione Alphonsina dicitur, vt Parisijs Sorbonica, longo interuallo cæteras vincit. Nam secundo quoque sub extremum Aprilem anno, ab hora ferme diei secunda, vsque ad vndecimam protenditur. In hac qui sui periculum vt fiat poscit, longa quadam commentatione, eaque, prout quisque valet, eruditissima, placita sua antiquorum patrum testimonijs confirmat, multa etiam ex recentioribus adducit, si qui de illis quę tractat scripserunt. Ingens silentiũ, & animorũ intentio est, ad eum audiendum, donec finem dicendi facit. Ergo cùm satis sibi visus est dixisse, difficiles quæstiones contentione acerrima explicantur: prorsusque, iuxta Menandri dictum, dies ille vel calumniam, vel gloriam respondenti parit. Liberi prorsus fiunt ab arena literarum athletæ Theologi vltimo secundi lustri anno, Calendis Nouembribus. Statim sub eiusdem mensis idus, nisi causa aliqua grauior retardet, in theatro congregantur, sic enim vocant locum in Academia capacissimum, quadrata figura, multis vndique septus gradibus, tecto laqueato à cæli iniurijs tutum, multis tamen à superiore parte fenestris lucem admittentibus, per quas etiam prospicere licet, quę in theatro geruntur. Nam & comœdiæ ibi recitantur, & orationes habentur, quę frequentiam auditorum desiderant. Ergo ad hos in theatro (vt dixi) congregatos nuntium cancellarius mittit, qui longa & eleganti oratione, comitiorum diem, in quo licẽtię, vt vocant, gradum, ad Theologicum apicem obtinendum propè adesse nuntiat: atque de Theologiæ, deq; competitorum laudibus oratione habita, epistolium singulis porrigit. Illi vicissim respondẽt, labores suos & vigilias enarrantes. Res est cum primis spectaculo digna, magnoque vtrinque apparatu agitur: nam & nuntius scenici viatoris habitu, tubis hinc inde raucum incinentibus, à cãcellarij domo in theatrum iter facit, cuius gradus omnes à confessoribus iam sunt occupati. In eius medio orchestra erecta est, vbi competitores stantes visuntur, causam suam studiosè acturi. Postridie eius diei, to-

Universidad de Deusto Biblioteca

tius Academiæ concursu,in ecclesiam Iusti & Pastoris conuenientes,illam pręconis vocem inter spem & metum constituti,expectãt. Nam rector & cancellarius,Theologique patres in secretiorem locum magna religione ingrediuntur,vt iudicium de competitoribus ferant.Ingens est interea populi studiosi solicitudo: nam prout quisque huic,aut illi fauet,ita varij rumores sparguntur: & quò nostri homines repulsam impatientiùs ferunt,eò acrius studijs diuersis incenduntur.Progreditur tandem ordine amplissimo Theologicus senatus,& post omnes cum rectore cancellarius,in manu catalogum coronandorum tenens.Prænotantur singuli progredientiũ vultus, vnde sæpe euentus diuinatur.Sed nõnunquam per arcanos amicorũ nutus,competitores suam sortem intelligũt,& magnam solicitudinis partem deponunt.Hîc rursus animi omniũ eriguntur,cõpetitoresq; ipsi pallentibus genis ingeniorum iudicium, in quo qui velit cedere rarus esse fertur,tremebũdi auscultant.Facto itaque per pręconem silentio,animis ambientium,oratiuncula per cancellariũ de more cõfirmatis,fusca voce,& trepidãti sono,catalogi seriem inclamare præco incipit. Sequitur ordo licentiandorũ,in sacra Theologiæ facultate:& cætera quæ in eo decreto cõceptis verbis,donec ad seriem ipsam deueniatur,dicũtur.Tubæ interim elassicũ canũt, totusque locus terrore plenus,præsentiũ animis stuporem incutit, mireque iuuenum mentes inflammat,ad similes honores cum dignitate & gloria consectandos.Ita quoque alternis annis & medici faciunt: sed eorum schola tam numero candidatorum,quàm pompæ maiestate & apparatu,à sacro Theologię gymnasio,vt æquum est,vincitur. Iam statim ab ipsis Academiæ primordijs magnum quoddam odiorum seminarium, promptamque seditionibus materiam, cum ordinem titulorum fore apparuit. Nam cùm Ximenius sexto ab Academia condita anno, in dies magis ac magis numero scholasticorum crescente,primum Theologorum catalogum recitare iussisset,volens sua pręsentia rem grauissimam condecorare,& simul animos studiosorum iuuenum accendere,cõuocatis ad se competitoribus,qui nouem tunc fuisse feruntur, in templũ Iusti & Pastoris, promiscua scholasticorum,& indigenarum multitudine, quæ ad nouum spectaculum frequentissima conuenerat, processit. Medius inter rectorem & cancellarium Antistes sedit. Duo è regione subsellia cãdidatis erant posita: è quorũ posteriore in

anterius,

anterius,quod prope aderat,iuxta seriem à pręcone pronunciãdam sedendum illis erat:qui mos in hunc vsque diem durat. Contingit autem plerunque, vt qui studij antiquioris causa,in posteriori scanno primarium locum occupat,in anteriori postremus sedeat: quod grauissimum ignominiæ & dedecoris genus inter scholasticos habetur.Ille ergo cui hoc accidit,pudore victus, lucem & hominum conspectum vitat,donec paulatim dolor euanescit, dieique illius obliuio subrepit. Erat tunc competitoribus Ximenij præsentia,non minus dignitatis quàm formidinis & anxietatis causa. Nec enim solum honoris certamen,sed pręmiorum & diuitiarum erat: quoniam res apud patronum gerebatur, à quo singulorum fortunæ pẽdebant. Primus ergo omnium applausu, Ferdinandus Balbasius vocatus est:qui etsi rectoratus præclarè ante annum gesti,aliarumque rerum ratione innotuerat, eo testimonio egregiè commendatus, illam authoritatem quam supra diximus, apud Ximenium quoad vixit retinuit. Viuit adhuc optimus senex, Academiamq; nostram venerandis canis illustrat. Mihi certè ad has commentationes ex dignitate absoluendas, Dei singulari beneficio ad hunc vsque diem seruatus videtur. Erat igitur inter competitores quidam Valladarus, vir non contemnendus, & sacri sermonis egregius ecclesiastes,qui cùm tardius quàm pro eius opinione ad anterius subsellium vocaretur(octauus enim appellatus esse fertur)adeò grauiter moram illam tulit, vt totius corporis conuulsionem ex concepto timore sit passus, & tandem ad sedem designatam occupandam surgens,madidum locum multa vrina reliquerit. Notauit Ximenius rem omnem, & inde digressus cum Theologis patribus egisse fertur de abroganda illius iudicij seueritate, aut in leniorem formam transferenda: varijs sententijs eorum, quos ad rem disserendam adhibuerat dictis, omnes ferè non esse mutandum iudicij ordinem sentiebant. Vnus Ximenius mitius esse omnino agendum putabat, & hanc sententiam dixit.Si duo(inquit) competitores duntaxat fuerint, ad secretam illam curiam, vbi patres Theologi congregantur vocati, iudicum sententiam auscultent, publicè tamen simul appellentur:si verò tres,publicè quidem primus vocetur,reliquis duobus simul appellatis:atq; ita pro numeri ratione,paucis aliquot per seriẽ vocatis, reliqui adesse promiscuè iubeãtur. Vicit tũc Ximenij authoritas, negotiũq; Ioãni Raẽdo

canonico

Universidad de Deusto Biblioteca

canonico Toletano cõmẽdatur, qui vnus ex iudicibus causarũ pontificalium erat, quos vulgò Rotę auditores vocãt: sed morbo ex quo perijt occupatus, cùm nihil super ea re agere potuisset, Ximenio interea persuasum fuit, maximũ momentum ad excitandos iuuenum animos, in ea serie esse, & non sine graui studiorum iactura in aliam faciem aliquando mutandam. Itaque prudens Antistes aliorum cõsilium suo prætulit. Valladario tamen in contumeliæ susceptæ solatium, opimum sacerdotium benignissimè donauit. Fuisset ea Ximenij sententia proculdubio aptissimum remedium ad molem discordiarum euitandam, quam postea non sine Academię detrimento sępe sumus experti. Tot ergo collegijs ædificatis, & tot incitamẽtis studiorum propositis, nihil iam ad lętissimam ex Academia messem, vberesque fructus reportandos deesse videbatur. At Ximenius omnibus animantibus natura insitum animaduertebat, vt de rebus ad viuendum necessarijs cura quadam peculiari teneantur, quę multò acrior humanis mentibus innascitur. Homines enim, nõ solum præsentem victum curant, sed de futura senectute soliciti sunt. Ne igitur qui literarum studia sectantur, hac cura de victu parando afflicti, minus disciplinis vacarent: attentius cogitare cœpit, quanam ratione studiosorũ animis tam grauem solicitudinem eximeret. Cùm ergo suam Academiam ex viris theologis potissimùm constare animaduerteret, quorum studia sunt magis ad pietatem & veram sapientiam, quam ad vllum lucrum intenta: nam vt Dionysius Vasquius dicere solebat, sacrilegio proximũ est ex theologia opes expectare: non cessabat Ximenius hac de re inter familiares agere. Accidit verò vt cum Adriano Florentio Traiectensi, qui postea Pontif. Maxi. creatus fuit, loqueretur, inciderit mẽtio de Academia Cõplutensi, & se Ximenius prandium quidem parasse satis opiparum suis conuiuis dixit, non tamen hactenus assecutum quemadmodum illis cœnam etiam daret. Quęsiuit Adrianus quid per cœnam intelligeret: cui Ximenius, Theologi (inquit) mei quandiu in collegijs quæ exædificaui versabuntur, habebunt vnde viuant, sed cũ senuerint, aut cùm peractis studiorum curriculis Academia relinquenda erit, nondum satis commodam inire rationem potui, vnde victum habere possint. Collaudauit Adrianus Ximenij curas semper ad bene merendum de studiosis intentas, ad id tamen quod cogitabat Louaniensis Academiæ rationem peropportunam esse affirmauit, in qua Lãberti

berti comitis beneficio, diui Petri templum religiosis & doctis viris præclarum, sacerdotijs dotatũ est, quæ in eius Academiæ magistros pro titulorum antiquitate distribuuntur: cuius & ipse quoque Adrianus Theologici tituli causa eo tẽpore Decanus haberetur. Tametsi initio cùm id gymnasium per Ioannem Brabantię ducem, Antonij filium, anno ab orbe seruato M. CD. XXVI. conditum est, nullus locus theologis fuisset. Pergrata fuit Ximenio Adriani ratio, viamque illam commodissimam esse statim iudicauit, & ad Complutensium Thelogorum indigentiæ subueniendum, & ad scholę frequentiã augendam: pręsertim cum plusquam dimidium negotij, si vera vulgaris sententia, ex Alphonsi Carrilli Toletani Archiepiscopi liberalitate confectum esset, qui huic rei peraptum principium dedisse videbatur: Is enim vt erat animo excelso, Iusti & Pastoris suo tempore parochialem Compluti ædem, quam olim pij homines in beatissimorum martyrum memoriam, pauperem sanè & humilem, prout illa tempora ferebant, exędificauerant, collegiatam (vt vocant) fecit, incitatus loci religione, in quo duo illi inclyti germani fratres pro Christi fide ceruices securi Romanæ supposuerunt, sęuientibus Diocletiano, & Herculio Augustis in Christianos, per totum Romanum orbem. Fuit autem hæc persecutio decima vt scribit Eutropius. Seruatur adhuc à Complutẽsibus lapis prægrandis, illorum puerorum sanguine respersus: pueri enim erant, vix adolescentiam ingressi, cũ à Daciano prouincię præside vt ducerentur iussi sunt, & in campo, qui laudabilis (vt historię ecclesiasticę tradunt) vocabatur, violatę Romanæ superstitionis pœnas dederunt. Horum martyrum reliquię, annuente Pio. V. Pont. Max. votis & efflagitationi Philippi. II. Hispaspaniarum regis Catholici, ab Osca Aragonię vrbe, Complutũ sunt trãslatę. Quò nonis Martijs anno salutis humanę M. D. LXIIX. desideratissimę peruenerũt. Receptæq; sunt incredibili Carpetanorum omnium lætitia, & nostrę Academię, & Ecclesiæ, quę iam olim Iusto & Pastori, magno illorum merito, dicata fuerat, memorabili apparatu, & pompa nobilissima. Ergo Carrillus à Sixto. IIII. Pont. Maxi. facultate impetrata, viginti sex sacerdotes instituit, quorum septem vocantur dignitates, inter quas pręcipua est abbatis. Ex. xix. autẽ qui superant, duodecim sunt canonici, & septem portionarij. Templum verò malè fartum, & muris fatiscentibus, humileque, vt erat reliquit, cùm omnem curam ad cœnobium Franciscanorum exædificãdum transtu-

Universidad de Deusto Biblioteca

transtulisset,vbi se humari voluit.Eam igitur commoditatē ad Academiam tanta cum amplitudine adaugendam Ximenius nactus, à Leone.X.Pont.Max.omni diligentia & liberalitate obtinuit,vt Cōplu.Academiæ,templum Iusti & Pastoris contribueretur, cuius sacerdotijs,quæ beneficia vocantur,rectore procurante,Theologiæ & liberalium doctrinarum magistri nullo impediente potirētur. Hac enim de causa aureorum nummorum cētum & quinquaginta millia,in Vzedana arce seposuerat, vnde decem & septem canonici sacerdotes,duodecim itidem portionarij postea sunt additi. Theologi ergo in canonicos,Philosophi in portionarios,prout quisq; in titulis præcesserat,per rectorem & triumuiros cooptati, à rege tandē assumendi sunt,ad cuius tutelam iure,quod patronatus vocant,ea omnia pertinere voluit.Templum autem ad Toletani imaginem, si licet magnis parua componere,spatiosis fornicibus extruendum curauit.Lucem,re nulla luminibus obstruente,sic admittit, vt mira sit semper totius fani hilaritas,quę in templo Toletano desideratur.Ad sarta tecta perpetuò conseruanda,plusquam mille nummos aureos in singulos annos reliquit.Inuenio in Arteagæ epistolis consiliū Antistiti fuisse, vnam ex præbendis iuris Pontificij professori dare, ne Theologi sacerdotes ex iuris ignorātia causas perderēt, sed haberēt domi certum & fidelem patronum,quem possent cōsulere. At quo minus id fecerit,leges à se de rebus Academiæ datæ, in causa fuerūt. Nam iuris Pontificij professori ad absoluendam illius disciplinę periodum,quadriennij tempus præfinitur:quo peracto, cùm sese munere profitendi abdicet,sacerdotio quoque abdicari, quod alioqui perpetuum confertur,necesse erat. Nunc autem ad duodecim illas præbendas per Alphonsum Carrillum institutas,pontificij iuris periti nonnunquam admittuntur.Nam cùm Archiepiscopi qui Ximenio successerunt,Carrillana sacerdotia ad suam curam pertinere,cum Academia strenuè contendissent,regis opera tandem pactū est,vt alternis per singulos menses imperijs,in demortuorum sacerdotum locum,aut alio quouis modo ab eo templo abeuntium, Toletanus Pont.siue Theologum,siue iuris Pontificij peritum, qui aut apice doctorali cohonestatus,aut facultatem ad eum obtinendū in aliqua ex quinque Academijs consecutus fuisset(hę autem sunt,Parisiensis,Bononiensis,Salmanticensis,Complutensis,& Vallisolletana) Rector verò Complutenses magistros,iuxta seriem titulorum suffi-

ceret.

ceret. Trecenos nummos aureos in annos singulos sacerdotes canonici, quinquagenos portionarij percipiunt, summam quidem non admodum amplam, verùm quæ literatis hominibus sit satis: nam mediocritas illis maximè est optanda, qui se sapientiæ studijs addixerunt. Certè modicis illis prouentibus tranquillè & beatè vitam agunt, & sępe opulentiorem fortunam oblatam contemnunt. Est sanè collegium illud omni dignum reuerentia, & à cordatis viris suspiciendum. Nam tituli quos tot laboribus pepererunt, & menta incana, & totius corporis macies, quam nimio studio contraxerunt, & habitus ipse nulla industria, sed sola sapientia & virtute formatus,vel barbarorum immanes animos ad sui venerationem flecterent. Carolus. V. Romanorum Imperator, in quo prętер cæteras virtutes, quæ in illo heroe fuerunt maximę, hoc etiam posteritas semper est laudatura, quòd bonis ingenijs, & doctis hominibus plurimum detulit, cùm aliquando Complutum venisset, & in eo templo sacris adfuturus, Cæsareum puluinar ad aram maximam stratum offendisset, illo deserto ad chorum sacerdotum processisse fertur,interque eos priuatus consedisse:eius diei hanc se perdere nolle gloriam dicens,vt tot eruditis & pręclaris viris etiam sit Carolus Cęsar annumeratus.Ad.viij.idus Augusti, qui dies Iusto & Pastori apud nostros sacer est,Ildephonsi collegę ad sacram ędem veniunt, alternique inter sacerdotes sedent,& sese inuicem contuentes,illi ob tales successores sibi gratulantur, hi virtutum illorum æmuli, ad illos exęquandos,aut si licuerit vincendos accenduntur:tacitisque animorum sententijs Laconicum illud carmen vicissim sibi occinunt. Nos fuimus olim strenui iuuenculi: prętantiores nos futuri olim sumus. Hi Canonici sacerdotes rectori per omnia obtemperant: cui tantum in eorum vitam inquirere licet: quod Archiepiscopis Toletanis inuidiosum semper fuit. Senatus doctorum Theologorum, quoties aliquid decernendum est, quod ad eorum gymnasium spectat, per rectorem cogitur: quod & in cæteris disciplinis, earum publicis professoribus,& laureatis accersitis,fit.Interim rector priuatum cum solis Ildephonsi collegis, singulis semel mensibus, secundum Ximenij legem, senatum habet: in quo de ijs quæ ad singulas disciplinas pertinent agitur, relatis per rectorem, quę prius cum professoribus & laureatis tractata fuerant.

Et si

Universidad de Deusto Biblioteca

Et ſi qui munera ſibi commiſſa grauiter exercent, hoc in loco adauctis ſalarijs cohoneſtantur: ſi qui verò remiſsè & negligenter, ni reprehenſi ſeſe excitauerint, iuxta Ximenij, de electione profeſſorum legem, ſine vlla prouocatione ſeueriſsimè ordine pellunturur. Multa ſunt adhuc ad reipub. literariæ gubernationem ſanctè & prudenter à Ximenio inſtituta, de quibus dicere ſuperſedeo, quoniã (vt dixi) non ita pridem publicis typis excuſſa ſunt, vbi totius Academię mores, & egregiam ex Ximenij effingentis ſtudio imaginem, qui harum rerum voluptate ducitur, non ſine animi delectatione cõtemplabitur. Sed nos ad Academiam naſcentem redeamus, cuius is fulgor ſtatim fuit, vt Hieronymiani gymnaſij collegium, quod in ſuburbano Seguntienſi ius & priuilegia publicæ Academię tenet, collegę ipſi, poſt mortem Ioannis Lupi Medinenſis Almazani Archidiaconi, qui illud condiderat, Complutum transferre, & Complutenſi Academiæ adiungere conarentur. Ximenius tamen migrationem illam tametſi rationibus ſuis peropportunam, omnino prohibuit. Quod ſi quis cauſam requirat, Ioannes Vergara hanc fuiſſe ſcripſit. Fuit olim Ximenius Seguntienſis eccleſię capellanus maximus, & tunc huius Archidiaconi viri ſingulari morum integritate, atque prudentia præditi, familiaritate in primis vſus eſt. Indignum ergo eſſe amicitia inter vtrunque viciſsim culta homo officioſus exiſtimauit, ſi cariſsimi hominis memoria ex coniũctione Academiarum periret: quod euenturum minimè dubitabat. At Salmanticenſis ſchola ſui gymnaſij ſolitudinem è diuerſo metuens, Lunam iuris pontificij doctorem, & magiſtrum Ortegam philoſophię profeſſorem ad Ximenium legatos miſit, qui ab eo obnixè efflagitarent, vt ſuam illam literariam remp. ad Academiã Salmãticenſem transferret: vt è duobus tam celebribus & inclytis populis, vna tandẽ ſchola coaleſceret, quæ non modò Pariſienſem eſſet obſcuratura, ſed antiquę Athenarum glorię æmula & ęqualis euaderet. Meminiſſet quod ab Antonio Nebriſſenſi, homine doctrina & prudentia claro, non ita pridem (vt acceperant) dictum eſſet, perpetuas fore cum Pontificibus Toletanis Academię Complutenſi lites: & tempus tandem aliquando futurum, quando omnia eius decreta & leges, aut Archiepiſcopis ipſis curantibus, aut hominibus Theologis parum quid eſſet faciendum proſpicientibus, abrogarentur. Quod proculdubio euitaretur, ſi petitis annueret, & diuinitus oblata occaſione vti vellet.

let. Siquidem Salmanticenſibus, ex iuris vtriuſque peritia, in qua id gymnaſium florentiſsimum eſſet, conſilium ad eos conſeruãdos nõ defuturum: & ob ditionem in ea vrbe regiam, nullã cum ęmulis Archiepiſcopis controuerſiam, aut contentionem habendam. Quòd ſi hęc fortaſſe contemneret, vtpote in temporis venturi ambiguitate poſita, geniumque ſuum pręſtãtiorem eſſe exiſtimaret, quã vt quid tale vnquam timeretur, ſaltem loci ſitu inſalubri deterritus, quod & Nebriſſenſem addidiſſe fama erat, ſeſe exorari ſuſtineret, deſineretque tandem, vnica duntaxat camporum amœnitate captus, qua vernantibus agris ſpatioſa planities alliciebat, bonorum ingeniorum commune ſepulchrum condere. Quod ſe non infauſti ominis cauſa dicere aiebant, ſed vt omnia obſtantia tanto principi proponerent, & ad vnam vrbem ſapientię ędificandam, quę parem nũquam habuiſſet, aut habitura foret, eius animum mouerent. Hoc autẽ vnicum eis propoſitum eſſe, vel ex eo cognoſcere poſſet, quòd pręter cõmunis gymnaſij ius, id enim ad publicam quietem erat neceſſariũ, nihil amplius ab illo peterent. Ad eam Salmanticenſium legationem Ximenius hoc vnum reſpondiſſe fertur: libenter ſe quidem cõditionem accepturum, modò in ea intra vrbem planitie quæ ad ædem Franciſcanam eſt, ſuam ſibi Academiam exędificare permitterent, quę Pariſienſis inſtar, ſuo iure & rectore fruens, proprijs legibus gubernaretur. Id Salmanticenſes apertam eſſe repulſam intelligentes, re infecta ad ſuos redierunt. Inter alia multa quę ſunt per Ximenium præclarè ſuſcepta & confecta, duo ſunt in oculis omnium poſita, Academia Complutenſis de qua hactenus egimus, & bellum Africanum de quo nunc ſumus dicturi. Viſum eſt enim has duas res maximas eodem volumine complecti, vt quantum vir egregiè cordatus, pace & bello valuerit, ex earum inter ſe collatione planum fiat. Sed vt fidem noſtrę narrationi omnes habeant, aliqua de eius viri ingenio, & de cauſis quę eum ad id bellum impulerũt, neceſſariò prefanda eſſe duxi. Ita enim admiratio, quę ex rerũ magnarum narratione naſcetur, apud homines prudẽtes eſt vanitate caritura, ſi veris rationibus ſe perſuaderi intelligant, nihilq; nos domi noſtræ natum ad res exaggerandas afferre. Ergo Ximeniũ animo excelſo & magno fuiſſe, nemo qui paulò accuratius geſta ipſius conſyderauerit, inficiari poterit. Nam vt cętera in præſentia non commemorarem, quo tempore Academię conſtruendę & exornandæ intentus

Universidad de Deusto Biblioteca

tentus erat,& eam rem solùm curare videbatur,longè diuersis curis distractus bellum etiam aduersus Africam meditabatur,deque eius apparatu,instrumētis,& ordine,cū rege per certos homines,& per literas agebat,donec re ad effectum perducta,voti sanctissimi compos factus fuit. Nescires ad quam rem ille propensior naturâ esset, disciplinis prouehendis,& pacis muneribus obeundis,an potius bellicis studijs exercēdis. Nam qui tot literaria monumenta de quibus egimus animo reuoluerit,qui tot librorum excussiones, tot cœnobia exędificata,tantam reipub.in officio continendę curam conspexerit,togę proculdubio tantùm cultorem fuisse credet. Ego tamen dum vniuersas eius actiones comparo,magis ad bellica exercitia à natura effictum esse iudico. Erat enim vir animi inuicti & sublimis omniaque in melius asserere conantis,& mirabili solertia à natura prędituſ:& qui persuasum haberet,non alia ratione animos humanos imperia aliorum laturos, nisi vi facta aut adhibita. Quare pro certo affirmare solebat, nullum vnquam principem exteris populis formidini,aut suis reuerentiæ fuisse,nisi comparato militum exercitu,atque omnibus belli instrumentis ad manum paratis. Dedit huius rei præclarum argumentum, cùm Hispaniæ gubernandæ præfectus, hoc de quo agimus in primis cauit. Quo quidem tempore veteranos milites dixisse certum est,nunquam antea militares viros tanto in pretio vel honore habitos,aut stipendia certius ad diem illis fuisse numerata. Sed hoc nostrum de eo iudicium ex Africano bello certum esse,luce clarius(vt existimo)apparebit. Quòd si illustriora monumenta sunt quæ ille ad pacem pertinentia reliquit,fecit id suæ vitę institutum atque sacri Pontificatus persona,cui nihil minus quā vulnera & cędes conueniunt,& totus ille tumultus quo Mars & Bellona gaudēt. Quod si vitę diuersum genus siue sors,siue potius Deus dedisset,summis ducibus fuisset proculdubio annumerādus. Sed nos ad huius belli causas explicādas veniamus. Venit in Hispaniā(vt dixi)Hieronymus Vianellus,vir industrius,& rerum Africanarum in primis peritus:sunt enim Veneti cùm distrahendis,tum importandis mercibus,rebusque alijs ad vitam vtilibus vniuersi intenti, & in cunctas ferè orbis regiones penetrant, vnde multorum vrbes,& mores notos habent. Is ergo cùm Ximenij animum ad bellum contra Africam suscipiendum ex eius sermonibus propensum cognosceret, cœpit cum eo de portubus,stationibus, atque de vniuersa

maritima

maritima ora, quæ Hispaniam spectat agere: sed potissimū quanam ratione portus ille magnus, quem ea de causa Mersalcabir Mauri appellant, obsideri & expugnari posset. Gratissimi sermones hi Ximenio fuerunt, nam si is portus in potestate Hispanorum esset, facillimum aditum haberi sentiebat ad vniuersam Africam capiendam. Est enim ille portus vel ingentis classis capacissimus, nullibique in continua Africę ora naues tutiùs aut commodiùs esse possunt. Atque vtinam principibus nostris, quos grauissima reipub.negotia hactenus solicitos habuerunt, liceat aliquando potentes vires suas in Africanam gentem conuertere: haud ijs angustijs quibus in præsentia premeremur, nec cum Algerio prædone, alijsue ignobilibus piratis, quibus animos Turca tyrannus facit, tam ancipiti marte contenderemus. Quo mihi magis Ximenij conatus admirationi sunt, verè enim ad reipub.salutem & felicitatem natus, id vnum quoad vixit curauit, vt oram illam maritimam nostram faceret. Qua sanè intentione regi Ferdinando, vt Bugiam, & Tripolim caperet, Orano expugnata, author fuit: & Carolo. V.Imperatori, vt Guletę præsidium occuparet. At ea partim hostibus cesserunt, partim ne reliquis spoliemur quotidie timemus. Igitur Ximenius Vianellum consilijs suis peropportunum aduenisse videns, ad colloquia perhumanè inuitat, edicitque ianitoribus, vt Vianello ad se venienti semper sit aditus liber. Ille igitur vt erat liberali ingenio, Ximenio operam in ea re suam sedulò præstitit. Nam & eorum locorum situm diligenti sermone declarauit: & quoniam eiusmodi descriptiones, nisi oculis subijciantur, non solent omnino imaginationi nostræ quales sunt hærere, tabulam manibus suis per accommodè apparatam attulit, in qua conformatis è cera signis, oppidum portui magno proximum, & arcem iconice (vt aiunt) finxit: tum deinde colles & monticulos, hisque ipsis subiectas valles, & viam, quà ad speculam, quæ facis dicitur, deueniebatur. Ea est in prærupto cliuo, quà nostris ascensus ad Oranum erat futurus. Locus ipse arduus est, & vndique rupibus inaccessis inuius, præterquam quibusdam angustijs, quæ ex forma, sedes ab incolis appellantur. Iuxta has specula quam diximus consurgit, quę ex altera parte Oranum, Mersalcabir ex altera prospicit, face continuò de nocte prelucente Græcorum pharis non admodū absimilis. Sequebatur

statim

Universidad de Deusto Biblioteca

ſtatim Oranum vrbs celſo quodam in colle poſita,mœnibus, & turribus,ac loci ſitu munita,quæ mari altera parte alluitur,altera varijs pomarijs ac irriguis fontibus cincta, in ſui cupidinem quenuis regem pellicere poteſt,nedum Ximenium, quem iam fatalis ardor ad eam gloriam obtinendam incitabat. Eſt id Mauritanię celeberrimum oppidum,fuitque olim mercatorum nundinis, & commercijs clarum,ſoli felicitate Bæticę noſtræ par,cęli ſalubritate & temperie pręſtantius. Hinc factum eſt vt totius Europæ hoſpitibus frequens, in non mediocrem opulentiam creuerit, atque Afris piratis occaſionem prębuerit totam Hiſpanię oram diuexandi. Quin ipſi mercatores præſidium illic militare alebant,ad ſe ſuasque merces ab omni iniuria hoſtili vindicandum. Liberis legibus Oranitæ viuebant,præterquam quòd Trimeſemio regi tributum quoddam quotannis pendebant: cuius coactori ex regijs miniſtris in vrbem ingrediendi facultas tantum erat, nec præterea vllam habebat poteſtatem,aut iuriſdictionem. Florente ciuitate pluſquam ſex millia domorum numerabantur:quę cùm ędificiorum magnitudine,tum pulchritudine,mirum in modum vrbem ornabant. Iam verò frequentia templorum, collegiorum, xenodochiorum,balneorum,ęterarumque ædium publicarum,adeò multa erat, vt quamlibet vrbem pręclaram &illuſtrem facere poſſent. Prępupti loci ſitus parum aptam frugibus aut arboribus efficit:ſunt tamen huic incommodo circum circa regiones remedio,aſsiduè in eam frumentũ importantes,adeò vt nulla ex re certius vectigal Orani ſit, quàm ex furnis & aquarijs molis. Varijs id oppidũ nominibus vocatur à recẽtioribus: nam alij Madauram,alij Aëram,Auranum etiam nonnulli vocãt: Afri hodie Guharam appellant. Omnia autem hæc nomina locum accliuem, & ventis expoſitum ſignificant. Hinc igitur noſtrates Oranum dixerunt. An verò hęc vrbs antiqua ſit, & eius fiat à priſcis authoribus mentio,quoniam mihi non ſatis conſtat,conſultius faciam,ſi hanc curam alijs reliquero. Ergo ex dictis Vianelli, & deſcriptione loci quam propoſuerat,facilè Ximenius intellexit, fruſtra ſe quicquam tentaturũ, niſi portus ille magnus à noſtris præoccuparetur. Quare ad hoc omne ſtudium conuertens, cum rege Ferdinando rem omnem communicat,& vt maturè reſcribat quid fieri velit, impenſè rogat. Erat quidem rex ſua ſponte ſatis animatus ad bellum Africanum gerendum, ſed re nummaria minus ſe

eſſe inſtructum dicebat, quòd bellò Granatenſi, & Italicis impenſis, eius ærarium ferè eſſet exhauſtum : eſſe ergo bonam voluntatem, ſed ſuos conatus neruis belli deſtitui. His cognitis,Ximenius quem & Hiſpaniæ clades ſtimulabant, ex qua per maximum dedecus, prædæ ab Afris quotidie abigebantur, & religionis prouehendæ amor miro quodam ardore impellebat, ne præſentem occaſionem amitteret, quam Vianelli præſentia promittere videbatur: et ne totius aulicæ iuuentutis voluntas, quam huius belli cupidam eſſe ſentiebat, dilatione interiecta langueſceret, regi continuò pollicitus eſt, eam ſe pecuniam mutuo daturum, qua exercitus ſuſtineri per bimeſtre ſpatium poſſet, ad Merſalcabir in Africa expugnandum, vt reip. Chriſtianæ hoſtes à noſtris littoribus arcerentur. Inſtructiſſima ergo claſſis apparatur, & delectus iuuentutis per vniuerſam Hiſpaniam fiunt. Aulicorum adoleſcentum magiſtro totius belli imperium committitur. Is erat Didacus Fernandus Corduba, vir ſpectatæ virtutis & prudentiæ, qui illico ex veteranorum militum numero, ſocios & participes laboris aſciuit viros ſelectos, & rei bellicæ peritos : ſed potiſsimum Ramundum Cardonam claſsis regiæ, & Didacum Veram tormentorum regiorum præfectos, & Gonſalum Aioram prætorianæ cohortis ducem, & Petrum Lopidem Horoſcum cognomento Zagalum, ſed ante alios Hieronymum Vianellum, viæ indicem & commonſtratorem. Tertio nonas Septeb. Malaca ſoluunt: noſtrum littus deinde legentes, Euris nonnihil retardantibus, ſexto Idus Almeriam, quam nõnulli antiquam Abderam eſſe volunt, veniunt : tertio poſt die Merſalcabir appellunt. Afri tamen, qui per ſuos exploratores de Hiſpanorum claſſe certiores facti, iam dudum in ſpecula & vigilia erant, vt eos portum attingentes viderunt, fundis, tormentis & ſagittis hoſtem propellere, & ſubmouere tentauerunt: ſed virtute noſtrorum militum, cùm omnis conatus irritus fuiſſet, crebris ignibus de more eius gentis in ſpeculis accenſis, fumi indicio, paruo ſanè temporis ſpatio noſtrorum aduentus vuiuerſæ ferme Mauritaniæ innotuit. Statim vt diluxit, tanta Maurorum & Numidarum, qui per eos campos vagantur, cum equitum tum peditum

Universidad de Deusto Biblioteca

multitudo congregata fuit, vt omnes vndique colles armatis hostibus replerentur. Hi ergo magna animi constantia ad littus descendebant, Hispanos ne terram Africam contingerent prohibituri. At eas omnes difficultates nostri euincentes, inuitis hostibus, portum tenuerunt. E nauibus extemplo egressi, prout in illis angustijs licuit, cùm præsertim hostium telis vndique impeterentur, castrametati sunt. Alterum diem in exploranda regione, in castris muniendis, & auxilijs Afrorum, quæ ab Orano, alijsque partibus assiduè veniebant deturbandis, occupati fuerunt. Duces interea, donec aliquid memoria dignum effecissent, nullum nuncium ad regem remiserunt. Id cùm animos cunctorum solicitos teneret, omnes rumores, qui varij prout in re incerta fieri solet ferebantur, auidè captabant. Anceps erat victoriæ euentus, propter egregiam hostium virtutem, sed præsertim arcis præfecti, qui singulari vigilantia & fortitudine præsidium eius fidei commissum, tuebatur. Petra vbi id præsidium est, maris vndis ex omni parte alluitur, præter quam quà meridiem spectat. Ab ea autem parte collis quidam præruptus attollitur, cuius statio & hostibus erat necessaria, & nostris peropportuna ad præsidium ipsum expugnandum. Hunc collem ex hostium potestate eripere, cùm totius exercitus viribus Hispani contenderent, eo tandem vt sunt potiti, quanuis non sine sanguine, protinus in spem maximam sunt erecti, Mersalcabir quoque potiundi. Interea rex Trimesenius Maurorum, & Numidarum exercitum miserat, qui dum varijs prælijs cum nostris cõfligunt, vt est mars anceps, nunc illi, nunc nostri victores fuerunt, & milites vtrinque desiderati. Porrò præsidij præfectus, qui summa, (vt dixi) diligentia, nostrorum conatibus obuiam semper ibat, dum inter propugnacula reficiendis tormentis attendit, glande ferrea à nauibus emissa percussus occubuit. Per magni momenti ad rem bene gerendam vnius viri mors nostris fuit: nam ab eo tempore hostes debilitati omnia remisse & timidè gerere. Tandem cùm neque subsidio sibi veniri, neque nauibus commeatus comportari posset, nostris mare & itinera omnia intercludentibus, seque partim ex nauibus, partim è colle occupato, omni tor-

tormentorum genere impugnari vident, de deditione agere cœperunt, dummodo aliquot dierum induciæ ad deliberandum darentur. Igitur inter nostros, & Mauros sic conuenit, quòd si Rex Trimesenius copiosiori exercitu auxilium per tempus induciarum non tulisset, Mersalcabir extemplo Hispanis cederet. Elapsis diebus cùm nequicquam regis subsidium expectaretur, totidem dies adijciendos petunt, quibus si etiam Trimesenius cessaret, ipsi omni sacramento exoluti oppidum simul & arcem traderent. Cùm ergo omnes dies pactionis bellicæ exijssent, postridie mane Didacus Fernandus exercitu ante portam, quæ Oranum ducit, agminatim instructo, clasicum canere iubens, antequam armis infestum aliquid tentaret, per fecialem alta voce pro mœnibus admonuit. Quandoquidem Mauris per dies induciarum, nihil auxilij à suis aduenisset, ipsi, vxores, liberique eorum Mersalcabir secundum pacta indemnes exirent: quicquid eorum corporibus possent exportarent, quocunque liberet, nemine per vim auferente, aducherent. Qui ex nostris abeuntes læsisset, aut alio quouis modo contra pacta cum Mauris fecisset, capitis multa ducem fœderis violati religione exolueret. Illico oppidi portis reseratis, dies tres impetrati sunt ad supellectilem concessam conuasandam. Toto illo triduo Didaco Fernando pro portis sedente, per medias acies Mauri transibant, rerum adamatarum quicquid poterant asportantes. Nemo ex nostro exercitu inuentus est, qui vel dicto Mauros offenderet, præter vnum ex gregarijs militibus cuius nomen in obscuro est, qui auaritiæ morbo correptus, aut vt quidam narrant, libidinis Mauræ fœminæ, iniurius esse cœpit. Erat is in postremis ordinibus quare latere posse confidebat. At indignè Mauris id ferentibus, miserabili voce contra pacta conuenta agi clamitabant: nam & penates relicti, & arcis traditæ tacita ex probratio, dolore & ira animos repleuerat. Illico ad aures Didaci peruenit, qui antiquo & seuero Hispaniarum instituto pilis militem transfigi imperauit: quod vniuerso exercitui & exemplo, & pauori fuit. Oppido itaque veteribus incolis destituto, nostri exultantes quinquagesimo postquam Malaca soluerunt die, potiuntur: & Hispano præsidio arcem munientes, ad regem & Ximenium triremem miserunt,

 quæ

Universidad de Deusto Biblioteca

quæ victoriam partam nuntiaret. Aiunt post Mersalcabir occupatum, multos ex Mauris qui Oranum incolebant, cum vniuersa familia & facultatibus Trimesemium se contulisse: nam eam vrbem statim à nostris oppugnatum iri nihil dubitabant. Postea tamen cùm toto quadriennio cessatum à nostris esset, omnes Oranum reuersi sunt, existimantes Hispanos satis habuisse portus magni receptaculo à Mauris erepto, Oræ nostræ securitatem comparasse. Vnus tamen prædiues Maurus, qui camelo auro onusta Orano discesserat, magnopere redeuntes deterrebat: qui propositi tenax expugnatæ vrbis cladem effugit. Didacus interim cùm aliquot dies Afrorum commeatu corpora suorum curari permisisset, nam quanuis multa Mauri exportauerant, cùm ea pretiosissima quæque fuissent, multa quoq; intacta, præsertim quæ ad uictum pertinent, remanserunt. Ergo præstantissimis quibusque ad custodiam Mersalcabir per Didacum ex vniuerso exercitu delectis, cæteram multitudinem in Hispaniam redire iussit. Nam & res nummaria ferè omnis consumpta erat, & nihil quod vltra tentaret occurrebat. Ad Oranum enim oppugnandum, loci situ, & ciuium frequentia, & militari exercitu munitum, longè maiores vires requiri videbat, quàm quæ tunc sibi adessent, Regis tamen imperium expectare constituit. Interea non cessauit omni ratione & cura, portum, oppidum, ipsamq; arcem ad nostrorum vsum, tum reficere, tum denuo formare. Postquam regi, & Ximenio rerum earum suasori, victoria nota fuit, dici non potest, quanta lætitia non solum vtriusq; animum, sed vniuersum Regis comitatum, totamq; Hispaniam perfuderit: omnes enim, anxios & mœstos tenuerat, tam diutinum de Didaco Fernando, deq; eius classe per menstruum ferè tempus, silentium. Octo dierum supplicationes per vniuersam Hispaniam sunt indictæ, quibus Deo opt. max. gratiæ agerentur, quòd eum Africæ portum Hispani cœpissent, vnde non modò securitas littoribus nostris comparata esset, sed ingēs aditus patefactus ad omnem Africæ oram occupandam. Venerunt non multò post ad regem, aliquot ex tribunis militaribus à Didaco missi, Didacus Vera, Gonsalus Aiora, Petrus Lopides Horoscus, quem Mauri Alzagalum (vt diximus) ob singularem in rebus bellicis strenuitatem, vocabant. Hic ex spolijs Maurorum, baculum ex selecto hebeno, exi-

eximij tum læuoris tum nigredinis, Cadin (ita enim Mauri pontifices suos & seniores vocant) gestamen, ad Ximenium detulit. Quo in gratiam Alzagali cùm aliquot dies Ximenius vsus esset, Complutum ad Academiam suam, victoriæ Africanæ monumentum, & amici viri optimi pignus misit. Rex verò postquam quæ per Didacum Fernandum gesta sunt, & quibus opus esset cognouisset, centum leuis armaturæ equites, pedites quadringentos ad Didacum in Africam traijciendos curat. Horum ducem Rodericum Diasium Rogium, virum nobilem, & fortissimum constituit: Didacum verò Fernandum ad se accersijt, vicaria magni portus custodia Roderico interim tradita. Didacus à Rege benignissimè susceptus est, & Ximenio eius virtutem apud Regem collaudante, multis præmijs & honoribus affectus, Mersalcabirana etiam præfectura donatur. Nam cùm eius fortitudine & industria in potestatem nostram deuenisset, à nemine melius, veluti in re propria laboranti, defendi posse iure credebatur. Tria millia nummorum aureorum, quæ summa prout illa tempora ferebāt, ad capiendum illud præsidium satis fuit, in singulos annos ad retinendum assignata sunt. Haud est obliuionis tenebris premendum Roderici Diasij factum: is enim non ignauam in absentia præfecti operam nauans, cùm crebras eruptiones in hostes faceret, & rebus rusticis occupatos de improuiso adoriretur, & frequenter prædam ex agris ageret, regionemq; omnem incursionibus vastaret: Mauri tot damnis & rapinis grauissimè permoti, sese ad illum, quoquo modo possent, opprimendum parant. Ergo cum de more agros popularetur, interclusus est à Mauris. Erant perpauci milites qui Rodericum sequebantur, præ hostium multitudine: quare in re desperata bono vsus consilio, suos breui, sed acri oratione cohortatus, ne inulti perirent, sed Hispani nominis memores, se ducem sequerentur, & per medios hostes viam, quæ sola patebat, salutis facerent, simulque equum adigit, & in confertos Mauros, irruens, tantam eorum stragem fecit, vt quocunque incederet, ingens esset hostium trepidatio. Hispani verò milites tanti ducis exemplo excitati fortissimè dimicantes, hostes terga dare coegerunt. Narratur mirabilis ictus, quem hoc die Rodericus coniectione hastæ fecit. Insequebatur Maurum equitem, qui cùm ego fide-

Universidad de Deusto Biblioteca

deret velociore, dum putat se euasurum terga dedit. In hunc Rodericus tanta vi hastam contorsit, vt hoste transuerberato, ligneum ephippij capitulum, & equi ceruicem perfoderit. Certum est hostes hoc terribili ictu animaduerso perterritos, cœpisse laxis habenis fugere. Multo post tempore durasse inter Mauros prouerbij loco aiunt, vt quibus irati essent, ictum præfecti Mazalquibirani imprecarentur. Dum hæc in Africa geruntur, Philippi è Belgis aduentus, quemadmodum in tertio volumine latè sumus executi, regis Ferdinandi conatum, & Ximenij antistitis institutum retardauit: qui maritimam Africæ oram, atq; adeo totam ipsam Mauritaniæ regionem, Hispano imperio subijcere proposuerant: satis enim per ea tempora ab vtroq; laboratum esse constat, vt reip. commodis consuleretur. Nam & tumultus regulorum compresserunt, & regnorum imperium, quod post regis Philippi mortem labefactatum fuit, in priorem ordinem, & statutum reduxerunt. Non cessabat Didacus Fernandus è Mersalcabirana arce assiduas in Mauros incursiones facere, ex quibus cum Victoriam sæpe reportasset, decreuit tandem cum tribus peditum millibus, iusto prælio Oranenses prouocare. Nam cùm Mauri non ita pridem oppidum in Hispaniæ ora situm internecione vastassent, vtriusq; sexus vniuersis incolis ad vnum trucidatis, aut captis, insolentiores ex ea re facti, Didaco cladem minitabantur, & vt portum magnum reciperent omni apparatu & studio curabant. Sed vt fors belli anceps semper & incerta est, anno eius seculi septimo sub idus ferme Iulias, cùm egregiè Didacus cum illis dimicasset, magna iactura suscepta victus prælio discessit. Eo nuntio Ximenius, cæteriq; principes qui apud Ioannam Reginam aderant (nam nondum Neapoli Ferdinandus venerat) adeo grauiter perculsi sunt, vt illico Ximenius ad expeditionem diu exoptatam fuerit nauigaturus, nisi reginæ valetudo, & reip. status, eius studium & conatum retardasset, & in primis Ferdinandi regis absentia, sine cuius auspicijs & nutu, nihil ritè confici posse existimabat. Ergo simulac rex venit, & Hispaniæ res sunt compositæ, Ximenius cum eo agere cœpit, vt vel ipse rex in Africam traijcereret, vel Ximenio eam prouinciam traderet. Indignum enim esse, & penè intolerabile, vt tali à Deo immortali opportunitate oblata, taliq; aditu ad vniuersam Africā debellādam dato, ipsi otiosi

tiosi & negligentes sederent, spectantes quemadmodum tot captiuorum Christianorum millia, cum maximo totius Hispanæ nationis dedecore, passim abducerentur. Erat quidem rex in Ximenij sententiam propensus, quanuis reguli variè super hac re sentirent. Nam nonnulli, qui cùm ipsi nihil præclarum faciant, id ab alijs fieri sustinere nequeunt, Ximenium vt immodicè ambitiosum incusabant, qui præter instituti sui rationem, præterq; personæ decorum quam gerebat, cædibus se polluere vellet, & pro lituo & galero, hastam & galeam ambiret. Atq; ex re, quæ tunc in omnium ore versabatur, occasione capta, ridiculum esse passim iactabant, Gonsalum Fernandum tot victorijs in Italia partis, quæ meritò magni imperatoris cognomentum illi peperissent, è bello reuocatum, orbiculos quibus preces annumerari solent, Pintiæ voluere, antistitem verò Toletanum cædes, & lanienā optare. Hanc autē rerum cōmutationē, esse portenti similem aiebant, & vt reip. parū faustā, sacris omnibus expiandā. Sed hi nostrorum annalium ignari, pontificum Toletanorum strenuè semper in debellandis religionis hostibus apud suos reges nauatam operam, aut non intelligebant, aut præ inuidia dissimulabant. Alij hominem dementem, & temerarium vocabant, quòd bellorum difficultatibus parum consyderatis, res maiores animo præsumeret, quàm pro illius facultate, & captu. Opus enim esse ad id bellum rege aliquo potentissimo & industrio, nec non rerum bellicarum perito, qualis Ferdinandus erat: aliôqui nec hostibus terrori, neq; suis reuerentiæ fore. Porrò militum animos ad imperatoris amorem inflammare solet assidua in castris præsentia, somni & ciborum communio, & eadem in periculis fortuna, quæ singula longè à Ximenij instituto aberant: qui vanis quorundam promissis lactatus in eam fuisset sententiam inductus: quod extremæ leuitatis, & animi parum sani testimonium non mediocre esse affirmabant. Alij tamen qui sibi videbantur prudentiores, non adeo aiebant Ximenium insanire, vt huic se negotio parem esse crederet: sed hominem imperandi cupidum, resq; omnes pro arbitrio componendi, regem atq; adeo vniuersam Hispaniæ nobilitatem, in Africam amandare his prætextibus studere, vt ipse interim summæ rerum præfectus, de rep. pro voluntate statuat. Quòd si malo nodo malus quoq; quærendus est cuneus, regi alteram conditionis partem

Universidad de Deusto Biblioteca

tem minimè quidem esse recusandam : sed potius Ximenio cōcedē dum, vt in Africam cum exercitu traijciat, quandoquidem id tantopere se discupere simularet. Rex Ximenio multò erat æquior, quòd eius probitatem , atq; illam potissimùm ad hostes religionis extirpandos animi propensionem multis argumētis nouisset. Qua re eius proposito apud regulos palam collaudato, sibi nimis Ximenij sententiam placere declarauit : esseq; illi gratias pro merito agē das, quòd vir tanta ætate prouectus, & diuturnis laboribus penè cō fectus, ad durissimum Martis opus religionis dilatandæ studio, & reip. defendendæ amore, sese ardore iuuenili offerret. Idcirco sanctis mis eius conatibus omnino fauendum , & omnibus regni viribus optimi præsulis consilium, religionis & pietatis plenum, maturè esse exequendum. Nihil contra eo tempore amplius est actum, sed statim decretum vt reip. triremes, naues longę & rostratæ, ad Ximenij imperium, siue Malacę, siue Carthagini nouæ præsto essent, vt commeatus ad eam rem necessarij ex proximis locis empti comportarentur, & materia quæ sexcentis dolijs conficiendis satis esset, ad aquationes in terra hostili faciendas: nam primæ nauigationi ex portu Menesthei, quem sanctæ Mariæ vocant, & ex Cæsaris castris, quę nunc Xerezium, aqua erat haurienda. Vt sulphur etiam & nitrum ex regijs fodinis, aut priuatis, nemine prohibente, ad pulueres tormentarios conficiendos, aut assumere aut coemere liceret : & vt cō mendatarij, quos vocant, nullo missionis genere vti, aut pro se vicarium dare possent, nisi legitima de causa: sed omnes tanquam ad remp. contra paganos defendendam, suis stipendijs in hoc bello militarent. Vt milites stipendiarij, qui Abulam , Areualum, Segobiā, Medinam Campensem, Vlmetum, Fōtiuerum, Salmanticam, Vacceorum oppida, & qui Trusillum, & Cereris castra in Lusitanis habitant, certo quodam regis stipendio, ad militares vsus sunt adstricti, regijs literis euocarentur. Vt quotquot panis nautici pondo, Malacæ per regios procuratores, parata essent, Ximenio venderentur. Vt commeatus, qui per regem conferendus ex pactis esset, ad portum unde Ximenio soluendum esset, regis opera aduecheretur. Vt quoniam ad militarem licentiam coercendam pontificia personaparum apta esset, ex regijs quatuoruiris, qui capitalibus causis in comitatu principis præsunt, duo saltem ad legiones Ximenij mitterētur, qui de illis rebus cognoscerent. Hi fuerunt Gallecus, & Aguirrus,

rus, quibus omnia ad exercitum pertinentia, prout vsus poscere videretur, constituendi suprema facultas est data. Intererat Ximenius horum duorum consilio, & suo arbitrio omnia moderabatur. Sed prudentissimè curabat, vt per regios ministros discerni cuncti arbitrarentur. Nam regia authoritate prætenta, quæ inter nostros semper fuit sacrosancta, facilè omnes in officio continebantur. Datę etiam sunt regiæ tabellæ nōnullæ manu regis subscriptæ, & eius sigillo impressæ, puræ tamen, quæ cùm opus esset scribebantur , & earū vi & potestate, totidem iudices vicarij creabātur, eiusdem cum duū viris facultatis, ad milites puniendos. Nam hoc etiam Ximenij industria confectum est, ne vir religiosus, & tanta dignitate præditus, ad huiusmodi castigationes se demittere videretur. His itaq; apud regem decretis, atq; per Ximenij procuratores acceptis, operi Ximenius accinctus est. Porrò Gōsalo magno inprimis hortāte, Petrum Nauarrum Oliueti comitem, ducem egregium, & rei bellicæ peritum, qui viri fortissimi exempla in Gonsali exercitu permulta ediderat, & qui tunc Gonsalum secutus, in Hispania apud regem erat, ad se accersit. Is non ita pridem Beleziam rupem (Pegnonum nostri vocāt) quæ in Africano littore est, è potestate Maurorum receperat. Ergo cum Nauarro omnia sua consilia communicat, & quid in singulis rebus faciēdum esset ab eo edoctus, imperatorem totius exercitus Nauarrum designat : & vt cohortes Italicas quæ sub Gonsalo magno meruerāt, continuò recipiat, edicit: & vt Malacam proficiscatur, & regiæ classis commeatus exploret, quos à Varga senatore regio, aut eius nomine à procuratore Villalupo traditos, Carthaginē curet asportandos. Nauarro itaq; ad eas res curandas digresso, Ximenius militum delectus per diœcesim suam facit, & ex Bætica, Catalonia, Aragonia, Cantabria, & Asturia, selectas aliquot legiones conscripsit, ex quibus exercitus factus est ad eam rem quam parabat peraccommodus : nam equitum quatuor millia, peditum decem millia recensebātur. Tribunos militum (quos coronellos nostri vocant) Rodericum Moschosum, Altamiranum Comitē, Ioannem Spinosam, Alphonsum Vanegam, Gonsalum Aioram, Petrū Ariam in hastarum ludo celebrem, atq; inde patrio idiomate iustatorem cognominatum , & Ioanem Villaluam Cantabrum. Erant omnes hi viri bellicis victorijs adeo clari , vt sæpe homines maiores natu qui rebus illis interfuerunt, dicentes audiuerim , exercitum

Universidad de Deusto Biblioteca

Ximenij eos tunc duces, & coronellos habuisse, quorum singulis, non modò huius belli summa, sed cuiuslibet alterius, quod difficilius & grauius esset, tutò quidem committi potuisset. Suberant eis non inglorij manipulares duces, ac centuriones: quinã fuerint, quibusúe manipulis aut cohortibus præpositi, ad huc in superstitum memorijs durat. Ergo Petrus Castellus Complutenses milites ducebat. Villaroellus Turrilacunenses, Vzedanos, & Talamãcenses. Bernardinus Menesius Talabricenses, & sagittarios transpontanos: nam hi Iadæ, quæ apud eos copiosissime nascitur beneficio, ex qua sagittas faciunt, eam artem mirificè callent. Bustamantus titularis episcopus, & parochus Hipponensis, Guardianos, Romeralios, & Liliẽses. Ioannes Montanus, Hipponenses, Valliuerdanos, & quos Moros iuxta Toletum cis Tagum sitos, hoc est colonos, lingua nostra appellat. Aluarus Salazarus, Toletanos. Sanctus Petrus ciuis Toletanus, Illescenses, qui sunt Toleto cis tagum proximi. Hactenus gẽtem ex Toletana diœcesi memorauimus. Quos verò Bætica Asturia, & Cantabria miserunt, aliæúe circũcirca regiones, Ioanni Giennio Bastetano, & Ioanni Bustamanto Complutensi sunt commissi. Sed quoniam plusquam octingenti milites, nullo stipendio conducti, aut vlla sacramenti ratione addicti, Ximenium in Africã spõte sua secuti sunt, ijs Requelmus Bastetanus dux præfectus est. In epistolis Ximenij ad procuratores suos, quos eo tempore apud regẽ habebat datis, aliorum ducum & quęstorum nomina reperio: quibus ob egregiam operam sibi in Africa nauatam, cupit vt rex beneficia & munera pro meritis donet: inter quos, Garridum, Vadillum, Arguessum, & Maderellum Centuriones commendat, & licentiatum etiam Zaratem ad cognoscendas causas per duumuiros suffectum. Ergo equitibus ducendis Garsias Villaroellus Castorlæ præfectus constitutus est: Vianello magisterium castrorum defertur: nam ille & regionem bene nosse, & quo loco castra essent metanda, & qua parte hostes adoriendi, & quæ præsidia pro loci ratione augeri aut minui deberent, & quæ loca item forent custodijs tuenda & confirmanda, solus exactè callere credebatur. Ximenius qui frustra apparari cætera intelligebat, nisi pecuniæ, quę belli nerui semper sunt habitæ, vel in longum tempus suppeterent, aliquot retro annis de Africana expeditione cogitans, prouido in posterum consilio, nõ mediocres opes congregauerat. Sed belli casus incertos esse

sciens

sciens, stultissimum esse iudicabat ad terram hostilem subductis ad calculum rationibus, proficisci. Ergo ne difficultate rei nummariæ aliquando premeretur, ad Toletanum capitulum scripsit, vt sibi subsidio essent, missa quãtam possent, nummorum summa. Nam si olim post Hispaniam à Mauris occupatam, ecclesiasticis reditibus exercitus parabantur, vt ab hostibus reciperetur, multò causatius id nunc ab ipsis poscebatur, ne Hispania rursus in priscas illas miserias recideret: præsertim cùm ipse, qui eorum caput esset, non solùm suas facultates insumeret, sed se quoq; in manifestum vitæ discrimen, pro religionis defensione, & augmento obijceret. Res erat eo tempore huiusmodi subsidium in Hispania infrequens, & non nisi maximis & euidentibus periculis, cùm videndum erat ne quid detrimenti resp. Christiana caperet, à Pontif. Romanis indicta. Nam sacerdotia quoquomodo per reges grauari, inuidiosum & iniquum censebatur: semperq; aliquid infaustum, & dirum id attentantibus accidisse, obseruatum fuit. Sed capitulum nec rei insolentia commotum est, nec graue aliquid in antistitem suum dixit, aut immunitatem suam imminui vllo modo idcirco existimauit. Imò animis promptissimis, non modò opes & facultates, sed omnem operam ad eam rem polliciti, multi discedentẽ ad mare vsq; secuti sunt: qui nisi ab eo Toletum redire coacti essent, non dubitassent in Africam traijcere, atq; ibi si opus esset, consertis manibus cũ hostibus pugnare. Sunt apud me Ximenij ad regem Ferdinandum epistolæ, quibus de hac capituli sui erogatione scribit, penè gaudio gestiens, quoniam aliæ diœceses & ecclesiæ exemplum essent habituræ, ad Africanam Ximenij expeditionem stipe collata iuuandã, quod & fieri iam affirmat. Quo magis miror nullam huius rei memoriam, nullumúe monumentum, in ecclesiæ Toletanæ archiuis haberi. Nisi fortè, ne exemplum sequerentur archiepiscopi successuri, & quod liberalitate sacerdotum factum erat, tempore maximè necessario, ad exactiones per vim faciendas ob priuata commoda adducerentur, communiter curatum est, vt vestigium nullum remaneret. Est quidem certè solennis hic rapinarum modus, non nulla precario obtinere à populis, quæ post iure suo potentiores exigant, quasi lege teneantur præstare. Totus hic annus commeatibus apparandis, pecunia colligenda, & exercitu congregando, à Ximenio Compluti cõsumptus est. Octauus qui deinde secutus est, non

sine

Universidad de Deusto Biblioteca

ſine maximis moleſtijs, Ximenio accidit. Nam cùm militum legio nes ex omni Hiſpania ſelectas conſcripſiſſet, duces egregios illis præfeciſſet, belli Africani fama ad hoſtes vſq; penetraſſet, & omnia deniq; in procinctu eſſent, non defuerunt peruerſi homines, qui ſemel cõceptam opinionem è regis animo conuellere tẽtarent, & falſis affictis cauſis, Ximenij propoſitum inutile eſſe calumniarentur: vanum, & temerariũ eſſe clamitantes, tanti momenti rẽ, ab homine tractari, qui in monaſterijs, & ſolitudinibus cucullo indutus, ſẽper delituiſſet, nec vnq̃; hoſtes, aut caſtra vidiſſet. Ad hęc ſubijciebãt belli impẽſas à rege eſſe attẽtè conſyderãdas: neq; enim fieri poſſe, vt tam copioſam pecuniã Ximenius congregaſſet, quæ ad tãti belli molem ſuſtinẽdam eſſet ſatis. Facilè enim homini plus ſatis propẽſo ad hoc bellum Africanum, imponi potuiſſe ab ijs qui priuata ſua emolumenta ſectantur. Poſt exhauſtam verò pecuniam, neceſſe erat re infecta diſcedere, & claſſem regiam, & Hiſpanam iuuentutem, velit nolit, hoſtiũ arbitrio relinquere. His ſermonibus atq; alijs rex deterritus, bellum Africanum differre parat, & pactis conuentis cũ Ximenio per dilationẽ deeſſe incipit. Regij verò procuratores, quibus claſſis reficiendę cura, eamq; cũ omni nautica ſupellectile Ximenij nauarchis tradendi commiſſa eſt, auaritiæ morbo corrupti, illo occaſionis momento abutebantur, à quo cũcti Ximenij conatus eo tempore pendebant. Quare Petro Nauarro, qui ad hoc miſſus fuerat, neq; cymbam vnam dederunt, nedum tot illa panis nautici pondo, & poſcæ dolia, vt cum rege cõuenerat. Nam cùm ciborum nauticorum copiam illi ad regios epibatas iam pridem cõparaſſent, Ximenio indigenti pluris vendere volebant: quod ſifeciſſent, haud contemnendũ lucrum corraſiſſent. Petrus quoq; Nauarrus militaris ingenij homo, cùm ea impedimenta Ximenij cõſilijs obijci conſpiceret, ipſe quoq; in diuerſum mutatus, dum ſuis commodis, quæ nonniſi ex præda conſtabãt, conſulere cupit, claſſem regiam, quoquo modo poſſet, clam Ximenio, ad ſe transferre curat. Ergo regijs amicis perſuadet, Onei promontorij præſidium, quod infra Oranum verſus fretum Herculeum eſt, multò facilius expugnari poſſe, atq; inde in totam Africæ maritimam oram, incurſiones commodiſsimè fieri. Differebatur etiam commendatariorum euocatio, & ſtipendiarijs nihil adhuc per regem denunciatum fuerat. Iam verò ſi quando Ximenij procurator, regios de ea re cõſiliarios, regemúe ipſum

ſum appellaret, alijs atq; alijs cauſis eludebatur. Nam prout anni tẽpeſtas erat, aut hyemis inſtantis obijciebatur rigor, aut Malacæ aut Carthaginis pelagus, vnde ſcilicet ſoluendum erat, adhuc eſſe intractabile, aut æſtatis in Africa terra immodicus ardor, aut difficilis cõmeatus importatio, ſi præſertim vt ille meditabatur, hyberno tẽpore exercitum traijceret. De his rebus Ximenius certior factus, quanuis indignè ſecum agi conſyderaret, conſtanti animo in re propoſita perſeuerandum cenſens, rurſus ad regem epiſtolas miſit, partim ſupplices, partim expoſtulatorias, in quibus per religionem, quam vterq; tueri ſtudebat neceſsitudinem, per pietatem qua regem ſemper coluerat, per aſsiduos, quos ad id tempus in rep. conſeruanda ſuſtinuerat labores, obteſtabatur atq, obſecrabat, ne pateretur rem tantam concidere: neúe eius exiſtimationi, aut neceſſarijs & optimis conatibus, vllo modo deeſſe vellet. Eò enim vsq; rẽ proceſſiſſe, vt retrocedere iam nequaquam liceret. Nec poſſe iterum, qualis tunc erat, exercitum cogi ſperaret: nam deluſi milites fidem non erant amplius habituri, ſed indignabundi, militari ſacramento exoluti, alia caſtra, aliumq; imperatorem quæſituri: ſibi verò, vt interim pecuniam, quam non mediocrem impenderat, taceret, multis de cauſis iniuriam fieri. Nam præter non leuem temeritatis notã, quam ipſe ſubibat, ſi bellũ ſuſceptum dimitteret, neq; enim palàm omnibus futurum, cuius id culpa accidiſſet, Toletani primatis dignitas non mediocri contumelia afficiebatur, cuius ea potẽtia ſemper fuit, vt exercitum alere, atq; è Maurorum poteſtate oppida, & vrbes munitiſſimas recipere, ſolita fuerit. Nunc verò, cum opibus ſit multò auguſtior, quã illa tempeſtate erat, & accederet tanti regis fauor, neſcire ſe aiebat, quid homines non eſſent oblocuturi, ſi cœpta interrumperentur. Nam quòd ſe maleuoli homines amentem vocabant, ad regis potius exiſtimationem putabat pertinere, qui eiuſmodi hominem ad ſupremum orbis ſacerdotium ſubuexiſſet. Iam verò quòd anni tempus obijciebatur, meram eſſet ergiuerſationẽ ad conatus ſuos retardandos: quandoquidem eo ipſo tempore non ita pridem Didacus Fernandus, Merſalcabiranum præſidium cepiſſet, & tunc per mediã hyemem, è Belezia rupe ſcaphas, cymbas, & maiora nauigia cõmeatuum importandorum cauſa, quotidie Malacã incolumia appuliſſe certum ſit. Ne tamen vllam tranſmarinam famem, aut tumultus militares vereretur, ſe rerum futurarum proui-

dum,

Universidad de Deusto Biblioteca

dum, trium aut quatuor mensium cibaria, & militum stipendia, iam pridem comparauisse. Quòd si vlterius bellum esset protrahendum, vt fieri posset, habere se facultates, vnde sumptus suppeditaretur, & certa ecclesiarum subsidia, vt paulò ante regi significauerat. Quare neutiq; in eo temporis articulo, & rerum omnium cardine, cessandum erat. Porrò ad se nuper delatum fuisse, Gratianum, & nõnullos alios, Carthaginem, Murgos, & Hispalim, à Nauarro missos, ad nouos quosdam delectus faciundos, classemq; regiam ad alia tentanda abduci: vtrunq; verò esse impediendum, si saluam rem esse vellet. Nam quod de Oneo præsidio dicebatur, prorsus esse inutile, aut potius perniciosum: neq; enim inde, imò verò neq; ex vniuersa Africa, littoribus nostris tantum damni, quantum ex vnica Orano inferri. Neq; rursus tam opportunum aditum, ad Africam occupandam, aut vastãdam ex Oneo futurũ, quàm ex Orano vrbe opulenta, & portuosa. Solere autem grauiores sumptus, & maiora militum damna, in oppidulis expugnandis interdũ fieri, quàm in magnis vrbibus. Quòd si adhuc in mutanda sententia persisteret, se quidem habere quod ageret Toleti, & Compluti, de bello autem Africano, ne verbum quidem facturum, sed sua cõscientia contentum quieturum: exercitum verò statim dimissurum, ne aliquid mali accideret ex otiosis militibus. Multa alia in Ximenij epistolis continentur, quæ Chirographæ Compluti asseruantur: vnde & religionem Christianam dilatandi amor, & in rebus gerendis dexteritas, & imperatore exercitatissimo digna prudentia, & animi robur ad summas difficultates superandas, complureſque aliæ virtutes intelliguntur, quæ in bello, & pace summum illum virum fuisse declarant. Vnam è multis libuit latinam facere querelarum plenam, quam eo tempore V. idus Octob. ad Didacum Lupum Aialam dedit. Regias literas, tuasq; simul recepi, quibus non tam commotus aut indignatus (quæ enim hominis priuati aduersus regẽ indignatio esse potest?) quàm stupore correptus fui. Dolui tot hominum millia, qui partim apud me iam erant, partim verò meo iussu multis in locis ad bellum Africanum conscripti, subitò sine vlla causa dimitti. Præterea tam multiplicem commeatum, tot ærea tormenta, quæ aut à me sunt fusa, aut empta, relinqui passim, quasi temere fuerint parata. Inciderunt quidem militares viri in fraudem spe certi emolu-

men

menti, sed nos grauiorem jacturam fecimus, nimirum fidei, & authoritatis. Optandum est vt in posterum regia maiestas de hisce rebus, maturiùs, & prouidentiùs caueat. Omedem virum probum, & prudentem, ad Petrum Nauarrum mitto, qui hanc illi rerum commutationem narret. Vtinam nec Vargæ, nec eius familiari Villalupo, de hac in me contumelia, atq; adeo in totam rẽp. Deus opt. max. irascatur, qui tot improbis astutijs, & cõmentis, ne scelestissima mendacia commemorem, nobiscum egerunt. Sed vix credo valituros diuinam vindictam effugere. Vale. His tam iustis querelis commotus Rex, maleuolorum & inuidorum sermonibus reiectis, ad Ximenium scripsit, vt in proximum ver exercitum retineat, & nihil de intentione suscepta remittat: fidemque suam denuo interponit, se pollicitis nequaquam defuturum. Regis responso Ximenius est confirmatus, sed nouæ statim difficultates sunt exortæ. Nam cùm commeatus secundum pacta conuenta Carthaginem, vnde Ximenius traijcere parabat, è Malacitano portu transferendi forent, erant apud regem, qui nec Petro Nauarro, nec Ximenio dandos censerent. Posse enim fieri, vt ab hostibus interciperentur, aut absumerentur à nostris in alios vsus, qui è republica non essent, vnde classis regia magnum esset detrimentum captura. Idcirco regem consultiùs facturum, si eos in Mersalcabiranam arcem, custodiæ præfecto asseruandos mitteret, qui simulatque Ximenij classis incolumis ad eum portum appulisset, omnia illi necessaria ministraret. Non placuit Ximenio illorum sententia, partim quòd stultè se facturum iudicaret, si tot secum milites in armis, & magnam cæterorum hominum multitudinem duceret, victum verò quo sint alendi, in alterius potestate haberi sineret: partim quòd ex rebus ante actis verebatur, ne postquam cum exercitu ad custodiæ Mersalcabiranæ præsidium appulisset, vt sunt militum animi contumaces, & seditiosi, commeatus denegaretur. Siquidem non ita pridem Didacum Fernandum custodiæ præfectum ab Rege redeuntem, in præsidium recipere tandiu distulerunt, donec aliquot mensium quæ debebantur stipendia, persoluerentur. Rursus Villalupus, qui cõmeatus curator erat, Vargæ (vt credebatur) suasu, cùm iam nullus tergiuersationi relinqueretur locus, tandem animum auaritia infectum patefecit: negauit enim se quẽ habebat

com

Universidad de Deusto
Biblioteca

commeatum cuiquam daturum, nisi pecunia pręsenti numerata, ea enim omnia suis sumptibus comparata esse: quare nihil regis mandatum ad se attinere. Indignè quoque hanc Villalupi conditionem Ximenius tulit, & ad Vargam regium Senatorem scripsit, vt in epistolis reperio. Quòd si ea molestia, atque belli mora pecunia tandem redimenda erat, ex ecclesiæ Toletanæ subsidio suppleretur, potius quàm ex summa in militum stipendium parata, quam vel quadrante imminuere, cùm classem trans mare in terram hostilem duceret, non esset sani hominis consilium. Vargas in cuius rem non erat, vt hæc ad regis aures peruenirent, omnia ex Ximenij voluntate fecit: in eum tamen omnem culpam reijciens, Didaco Lupo Ximenij procuratori dixit, vt non cuiusquã negligentiã archiepiscopus culparet, sed suã potius ignauiam, qui tandiu otiosus sederet. Cùm hoc Ximenius resciuit, hisce verbis respondit. Mirari se hominem prudentem, de re quam ignoraret, ad eum modum loqui: se enim omnium aliarum occupationum vacuum, ad hanc vnam rem expeditum esse: nihilque aliud opperiri ad iter suum quam primùm maturandum, nisi vt hæc quæ de commeatu agebantur, inter ipsos rata constarent. Nam quòd nuper sibi Didacus Lupus scripserat, vt quoniam in extrema linea negotium versabatur, ipse Carthaginem proficisceretur, illum enim omnia ex eius voluntate extemplo confecturum, minimè faciendum duxisse. Quoniam si quid iterum impedimenti obijceretur, sua quidem permultum referre, pedem Compluto non mouere. Quid enim ignominiosius aut pudendum magis sibi accidere posset, quàm si postquam vniuersam Hispaniam delectibus concitauisset, & ordinibus instructis modò nõ clasicum cecinisset, antequam ad mare accederet ludibrio & despectui esset, & domum irrisus redire cogeretur. Fuerunt ad huc alia quæ Ximenij profectionem remorabantur, nam neque ordinum militarium commendatarij, qui euocati fuerant, conueniebant, neque milites stipendiarij ad diem præstitutum mittebantur. Sed quanuis hæc illum moratura viderentur, primo tamen vere succedentis anni, qui eius seculi nonus censebatur, Nauarro ad se vocato, cæterisq; militaribus tribunis, quid sit cuiq; faciendũ mandat. Malacã petijt Nauarrus, classem Carthaginẽ deducturus, & alij sunt aliò profecti, vt ex diuersis locis, vbi milites in hyber-

nis

nis expectauerant, Carthaginem quoque collecto exercitu, ad certum quendam diem properarent. Octauum à dominicæ Resurrectionis festo, qui eo anno in diem. XVII. Calen. Maij inciderat, hunc fuisse in epistolis reperio. Ipse verò familiaribus suis, ac domestica turba stipatus, necnon præsidiorum Pontificiorum custodibus, quos ad vnum Complutum accersierat, Toletum religionis causa proficiscitur. Erant verò tunc præsidiorum custodes. xxiiij. nunc autem post Castorlę prouinciam in feudum datam quatuordecim tantum in libris quęstorum numerantur. Qui Ximenium assectabantur omnes lucentibus armis, equis alacribus, & cæteris impedimentis, quæ bello sunt necessaria, bene instructi & ornati incedebant. Nam omnibus sua liberalitate, pręsul benignè quæ vsui necessaria forent, pro cuiusque dignitate suppeditauerat. Pręsidiorum custodes coccineis vestibus, peregrino grano tinctis, notiores quocũq; in agmine comitantium splendebant. Quare non solùm spectantium oculi pulchritudine agminis oblectabantur, sed victoriam quam illi precabantur, ex alacritate omnium diuinabant. Toleti expeditionis suæ causis capituli patribus coram declaratis, & ecclesiasticis rebus compositis, Ioanni enim Velasco Calagurritano Antistiti, quẽ in Ximenij senatu principem locũ tenuisse diximus, Toletanę diœceseos curam commiserat, & commendauerat, supplicationibus assiduis per omnes aras, & cœnobia pro victoria decretis, diuos patrios precatus, sed virginem matrem ante alios, cuius numen in Toletano templo semper pręsens habetur, vt ea res faustè, prospereq; eueniret, iustis itineribus ad exercitum suum Carthaginem contendit. Voluerant ex patribus capituli non pauci Ximenium comitari, sed ipse proposito eorũ collaudato, duos tantum admisit, qui eũ Carthaginẽ vsq; sequerentur: vnde postquã Ximenius vela fecisset, Toletũ erant cũ suis familijs & comitibus reuersuri, ecclesię cõmodis studendum esse dicens, cuius multum intererat eorum pręsentia non destitui. Quin sua quoque priuatim de causa in omnem fortunę successũ curare se vt incolumes essent. Nam parui semper momenti à viris sapientibus sunt arma existimata, nisi domi, vnde vires in exercitum dimanant, prudens & fidum consilium relinquatur. Ex duobus illis quos Ximenius delegerat, alter Franciscus Aluarus scholasticus Toletanus fuit, qui (vt dixi) Academiam Toleti condidit, vir iuris peritissimus, qui prudentiam & industriam non vulgarem multipli-

O ci

Universidad de Deusto Biblioteca

ci rerum vsu cõparauerat. Hic octoginta ex familia sua comitantibus, habitu militari speciosè ornatis, Ximenij animum valde oblectauit. Alter Carolus Mendozius fuit, sanctæ Leocadię abbas, qui postea ad Decani dignitatem ascẽdit. Hic maiorum nobilitate & propria virtute clarus, Ximenij cubiculo iam olim prę̃fectus, atq; huius belli Africani maximus suscipiendi suasor fuerat. Toleto itaq; sub finem mensis Februarij, die cinerum proficiscitur, atque per suam ditionem quà commodum erat iter faciens, Romeralios, & Liliense̅s prę̃teruectus, egenorum inopię̃ succurrebat: atq; eorum vxores, qui militię̃ nomen dederant, solabatur: monebatq̃ue vt bene sperarent. Lilio ad Didacum Lupum Aialam. V. Calen. Martias literas dedit, quibus se iter institutum prosequi dicit, & pridie nonarum Carthagini adfuturum. Et quoniam criminatores non cessabant de Ximenij inconsiderantia apud regem obloqui, quasi pecuniã paratam ad classis traiectionem non haberet, vt regem adeat iubet, & certiorem faciat se tantã argenti signati summam Malacam ad classem reficiendã misisse, vt omnibus abũde prouisis, plusquam decẽ millia aureorum ad alios vsus essent superatura. Ergo per Marcam (vt vocãt) Aragonię̃, & per Murgitanos ad diem prę̃stitutum Carthaginẽ venit: vbi cuncti eius prę̃sentia exhilarati, nouo quodam ardore rem incœptam perficere cupiebant. Nam extemplo Nauarrus, ad eum Malaca profectus, venit, & omnia diligenter à se prouisa, quæ ad classem instruendam pertinebant, ostendit: sed quominus Carthaginem appulerit, Eurorum flatibus hactenus prohibitam fuisse, tamen intra decimum diem, quandoquidem illi flatus remittebantur, sperabat Carthaginem peruenturam. Scripserat Ximenius ad Spinosam tribunum militarem, de stipendiarijs cohortium regiarum militibus daret operam, vt quamprimum collectos antequã classis solueret, adduceret. Quòd si euocati per regem non essent, tumultuarium exercitum cogeret: neque enim par erat, vt classis idoneam tempestatem nacta, retardaretur. Nihil ad id tẽpus Spinosa rescripserat: sed vir prudens statim coniecit regios ministros ea in re negligentes fuisse, neque vllam euocationem esse factam. Quare Valdesium cohortis prætoriæ ducem cum duobus aureorum nummũm millibus, ad Spinosam mittit, & vt quãta celeritate posset manum aliquam militum facerent, quę in euocandorum locum succederet, imperat. Porrò dum omnia quàm commodè composita

Ximenius esse cupit, illud etiam, quò celeriùs regi nuntiari quid in Africa ab eo gereretur posset, prouidit, vt modicis interuallis, per planiores vias equi disponerentur. Currendi autẽ & properãdi curam Mirandę̃ veredario, magnopere cõmendauit. Id quò diligẽtius fieret, binos & vicenos aureos nummos in mensem, tum ei, tum eius sodali, quem in partem laboris recepturus erat, assignat. Tantã verò victoriæ spem cõceperat, vt quoniã eo ipso tẽpore, regẽ in Italiã ad Neapolim cõtinendam peditum cohortes mittere cognouerat, ad eum scripserit, se simulatque Africanam expeditionem confecisset, partem exercitus in Italiam missurum, seq; ipsum etiam, si opus esset, traiecturum: quare ad se quid fieri vellet sigillatim scriberet, omnia enim ex reipub. vtilitate, & dignitate regia curaturum. Rursus dum in anchoris ventum expectat, ad Lupum procuratorem scripsit, se felicem euentum de re susceepta sperare. Regem ergo suo nomine commonefaciat, vt de tuẽda Oranoiam cogitare incipiat, neque enim minorem diligentiam, aut impensas ad eam postea retinendam, quàm ad expugnandam in prę̃sentia requiri. Quoniam verò Didacus Vera tormentorum prę̃fectus, eo tempore reip. rebus occupatus aberat, vt regem de dando Verę̃ vicario consulat iubet: sibi enim Fernandum Veræ filium ad paternum munus obeundum satis aptum videri. Dum hæc Carthagine geruntur, bimestre tempus est elapsum: neque enim vt constitutum fuerat, sub mensem Aprilem proficisci licuit, nouis subinde difficultatibus, quæ nauigationem impedirent, emergentibus: quarum hę̃c fuit potissima. Cùm Carthaginem omnes conuenissent, nihilq̃ue ad vela facienda iam deesset, tumultuari milites cœperunt, neque se inde discessuros minari, nisi stipendijs numeratis, quę̃ sibi, cum militię̃ sacramento obligarentur, duces spopondissent. Huius tumultus authorem, Arnoldum quendam Complutensem fuisse dicunt, vilem homnucionem, atque sordido centonarij sutoris opificio à pueritia addictum. Eò res processit, vt bona pars exercitus secederet, & collẽ proximũ occupauerit, atque pila & gladios ostentantes, difficilem pacationem promittere viderentur. Ximenius ea de re grauiter (vt par erat) commotus fuit, nam cùm paulò ante Petrus Nauarrus nouarum rerum cupidus classem aliò diuertere tentasset, neque adhuc quid ille moliretur satis certus esset, stipis numerationem, donec in Africam appelleretur, consultò distulerat. Vianellus, cui ius castrorum

Universidad de Deusto Biblioteca

datum fuerat,potestatem traditam exercens,si quos ex seditiosis militibus comprehendere poterat morte multabat:nam aut laqueo gula frangebatur,aut pilis transfigebantur,vt more militari solet fieri. Id cùm Ximenio nuntiatum esset, Garsiam Villaroellum Castorlę præfectum ad eum mittit,qui suo nomine vt mitiùs ageret admoneret.Nam quanuis ea esset castrensis consuetudo, Pontificiam tamen personam lenitas potiùs & mansuetudo,quàm immodica seueritas decebat:prę̃sertim cùm bonam militum partem ex pontificalibus municipijs,à liberorum & coniugum complexibus,ad belli labores ipse pertraxisset.Id fortasse duriùs quàm par erat Villaroellus Vianello exposuit:vnde procacius aliquid in ipsum & Ximenium effudit.Cuius superbum & insolens responsum, quale solet esse militum,non putauit Villaroellus verbis retundendum,sed ferro potiùs decernendum.Gladio ergo stricto hominem adortus, caput grauiter percussit.Sed Ximenij indignationem veritus,in arcẽ continuò se recepit,cuius custodiam Villaroellus quidam tenebat, huic de quo agimus genere propinquus. Vianellum vulneratum fuisse permolestè Ximenius tulit,nec minus ad arcem Villaroellum confugisse doluit.Reddebat autem causas non ineptas,cur nec ille vulnerari,nec hic dare se fugę debuerit,viris etiam militaribus approbantibus.Venti ex voto flare cœperant,sed expectandum fuit donec Vianellus conualesceret,præsertim seditione militum adhuc durante. Sed Salazarus Toletanorum dux, vir eloquentia militari præstans, & plerisque militibus notus,communi sententia electus est, qui ad milites tumultuantes orator mitteretur.Is ergo militum sic pectora flexit & leniuit,vt de concordia agere cœperint. Sed quia hæc solida esse non poterat,ni stipendia soluerentur, & Ximenius tam milites quàm Nauarrum de abitu suspectos haberet,opportuno Fr. Aluari consilio decretum est,vt per præconem omnes vocarentur ad pecuniam,in nauibus recipiendam. Adducuntur sacci nummorũ aureorum pleni,festa fronde coronati,cunctis videntibus, & tympanorum tubarumque sonum audientibus,quę pretiosum metallum in nauim prętoriam comitabantur,vbi quęstor sedebat,stipendia quę cuique deberẽtur,numeraturus.Hoc spectaculo ita sunt omnes inflammati, vt incredibili festinatione ad vnum naues conscenderint seditionis obliti.Ximenius ea militum alacritate impensè lętus, ipse quoque in idus Maij die dominico portu statim soluturus, nauim ingreditur:

greditur:sed vsque in diem quartũ in anchoris manere coactus est, propter parum idoneam tempestatem.Duces interea ad se solicitus vocabat,& singulis quibusque tribunorum ac centurionum, officium demandatum in memoriam reducebat.Hęc quæ de militum tumultu diximus,tales causas manifestas habuerunt:cæterùm vt ex Ximenij epistolis ad regem sub id tempus scriptis colligere licet,tota eius seditionis culpa,in Petrum Nauarrum, veluti in fontem & principium reijcitur. Is enim Italicis rapinis assuetus, omniaque ex voluntate tribunorum, qui cum eo in Italia meruerant,agens, ex quibus non parum multos huius belli comites secum ducebat,pactis quę Chirographo cum Ximenio firmauerat neglectis, clancularijs obtrectationibus & mendacijs, militum animos abalienauerat, dum fidem Ximenij apud eos eleuat,& mercedem promissam calumnijs dubiam facit. Nam cùm inter eum & Ximenium conuenisset, pecuniam non vt aliâs consuesset,tribunis committẽdam, sed per quęstorem suum, ipsis militibus viritim diuidendam:quãdoquidem experimento cognitum erat, id in detrimentum militum vergere: qui sępe numero aut stipendio fraudabantur,aut si id non cõtingeret, diutius dilato, rerum necessariarum, donec tribunis liberet, indigentia laborabant: aut certè militum numerum tribuni mentientes, quod & nunc quoque passim fit, sibi per maximam auaritiam quicquid supererat vindicabant. Ea igitur pacta conuenta simulatque tribuni Carthaginem appulerunt, per Nauarrum recisa sunt: & aut de summa rerum periclitandum erat, aut tribunis pecunia numeranda. Conuenerat etiam, vt dimidia pars prædę hostilis quęcunque caperetur, ad id bellum gerendum cederet, atque apud sequestros ad militares vsus primo quoque tempore deponeretur.Sed hoc etiam irritum Nauarrus fecit.Nam per illos dies,quibus Carthagine Ximenius commoratus est, oram maritimam infestabat,& nonnulla ex hostibus capta sunt,quę prædę nomine censeri debuerant, nihil tamen in commune attulit, sed militaribus elusionibus ad priuatos vsus, & nonnullorum aliorum conuertit. Ximenij verba hęc ad Franciscum Ruizium sunt. His me artibus Nauarrus tractabat. Quòd si quid ex petitis renuerem, aut me quod ageretur sentire indicarem: illico milites ad tumultum concitabantur. Sed quoniam personę meę ratio, vt id more militari vindicarem non permittebat, & Nauarrum habebam,

Universidad de Deusto Biblioteca

qui id ex imperio cõmisso vindicare potuisset, nõ modò illum hac in re adiutorem, aut collegam non habui, sed omnino aduersarium sensi. Verum omnia potius mihi toleranda duxi, quàm in eo tempo ris articulo vniuersum negotium subuertere: quod nisi ita facere ani mum induxissem, prorsus fuit euenturum. Habes causam Carthagi nensium seditionum, quæ me non mediocriter discruciauerũt. Quo circa creditum est, Villaroellum Ximenij consiliorum participem, aliquid huiusmodi bile percitum Vianello exprobrasse, qui Nauarro consentiebat: & in milites, quasi illorum peccatum esset, seuerius (vt diximus) animaduertebat. Classis ergo octoginta actuarijs nauibus, decem maximis triremibus, quas nunc regias galeras vocant, constabat: præter permulta nauigia minora, & scaphas maioribus seruientes. Vehebantur autem decem millia peditum, equitum verò quatuor millia, & lixarum calonumq; numerus necessarius. Postridie idus Maias ventum secundum nacta classis est: quare sublatis anchoris, hora ferme diei tertia, portu Carthagi. soluunt. Ex literis Aluari scholastici ad Diegum Lupum Aialam satis constat, Cardinalem corporis maciem ex solicitudine contraxisse, non tamen ob id animi vires imbecilliores factas, & magna totius exercitus alacritate vela quo diximus die fecisse, certissima victorię spe concepta. Adeo iusti belli causam militum animos excitare & inflammare valet, præsertim ob religionem suscepti. Postridie eius diei multa iam nocte, Ximenius ad Africam secundis ventis appulit. Is autem dies religiosissimus eo anno fuit, quoniam Christi seruatoris in cęlum ascensus eo die celebrabatur. Classis sub meridiem ab speculantibus Mauris visa est, cùm distarent quadraginta millibus passuum. Omnia montium cacumina signo ex arce, quę facis appellatur dato, fumare cœperunt. Quo sanè significabatur hostium exercitum iam aduentasse, & idcirco oportere, vt cuncti ad eos repellendos sese compararent. Ximenius, Mersaleabirano pręfecto recipiente, portũ ingressus est. Obtexerant iam omnia crassæ tenebrę, cùm Ximenio nuntiatum est, classem vniuersam ad eundem portum saluam appulisse, & hostes magnopere conterritos, nostrorum audaciam & virtutem consyderantes, qui locis ignotis & hostilibus, per noctis caliginem sese committerent: tantaq; animorũ prę sentia, nõ expectata luce, neq; stationibus exploratis, portũ tamen tenuissent. Mirum sanè fuit, naues sibi vicissim cladi non fuisse, dum

portus angustias nocte illuni subeunt, altera in alteram impingens. Per eam noctem Ximenius somnum non capit, sed solicitus in anchoris mansit, dum singulis quid postero die faciendum esset per partes diuidit. Nauarro, qui & ipse quoque vt Imperatorem optimum decebat, forti sermone cunctos ordines ad prælium incendebat, eius diei victoriam commendauit. In eo enim solo totius rei summam versari, & soli tantæ rei gloriam reseruari, multis audientibus dicebat. Ad se enim præter impensas, & solicitudinem omnes cohortandi, & regem admonendi quemadmodum quisque se in eo bello gereret, nihil, aut certè parum pertinere. Multi ex ducibus eius alloquio fiducia pleni, lucem non esse expectandam existimabant: sed in primis Ximenius, cui omnis mora, non modò longa & grauis videbatur, sed suis conatibus impedimento & damno esse. Itaq; inter omnes conuenit, vt quoniam plurimum momenti ad victoriam haberet, prærupti cliui occupatio, quem inter Oranum & portum consurgere diximus, de media nocte irruendum esse putabãt, dum nihil tale hostes timebant, & præsidium in cliuo positum negligentiùs custodiebatur. Nec esse Numidarum multitudinem expectandam, qui vigiliarum fumis admoniti, ante auroram omnes illos colles essent pręoccupaturi. Interea actuarijs nauibus, & triremibus per oram maritimam ad vrbem accedendum esse, vt eodem tempore tormentis è nauibus Oranum quateretur, & pręsidiũ è cliuo deturbaretur. Necesse enim esse, vt dum vni rei succurrere laborant, alterã destituãt: quare alterutram capi oportere. Sed postquã pedites omnes è nauibus ante lucẽ egredi cœpissent, Nauarrus incertũ quo cõsilio, scaphis & cymbis ablatis, quibus equi erant traijciẽdi oram legens, ad Oranũ contendit. Hic vt retulere qui per id tempus vixerũt, nunquã probauit classem tã numeroso equite onerari: esse enim dicebat ardua, & difficilia loca, nihilq; minus quã equitatui apta. Ergo animi sui sententiã secutũ, de egressione equitũ, vt parũ necessaria, nequaquã curasse, sed vniuersis nauigijs arreptis, eorũ ad vrbẽ specie, terrorẽ hostibus inijcere voluisse. Id postquã Ximenio renũtiatum fuit, existimãs Nauarrũ, vt imperij æmulũ, in suã id contumeliam fecisse, indignabundus ex arce, quo se ad curandum corpus receperat, subitò exilijt, & equites quamprimũ qua ratione fieri potuit egredi iubet, atque ad auxilium peditibus ferendum vrget. Ne quid tamen à mari, aut à tergo ex vallibus, quę ad pręrupti collis radices

Universidad de Deusto Biblioteca

profundiſsimę iacent,detrimenti à noſtris caperetur(eſt enim gens punica,inſidioſa,& fraudulenta)oræ maritimę,& vallium faucibus pręſidium appoſuit.Hac cura & diligentia, plus exercitui ſalutis & auxilij ad victoriam attulit,quàm cęteri omnes dũ ſtrenuè pugnant. Poſtea enim compertum fuit,complures ex Mauris in inſidijs collocatos fuiſſe,qui nihil hoſtile ea de cauſa tentare ſunt auſi. Quod niſi Ximenius prudentiſsimo conſilio cauiſſet,pauci ex hoſtibus repętè noſtros adorti,magnum terrorem inopinantibus,& pernicię intuliſſent. De quibus ipſe ad Franciſcum Ruizium ſcribens,illius egreſſionis confuſionem deplorat,& culpam omnem in Nauarrum detorquet,atque Dei vnius fauore & ope,acta illius diei ad felicem exitum prouenisſe affirmat:nec ſe,quanuis id ſedulò curauerit, efficere potuiſſe,vt tertia pars equitum è nauibus in tempore deſcenderit. Quòd ſi ſuis conſilijs Nauarrus paruiſſet, omnes ad vnum Numidæ equites,qui in auxilium Maurorum venerant, proculdubio cecidiſſent. Qui primus ex equitibus in Africam deſcẽdit, Carauajalus quidam eſſe fertur,Pontificalium ędium,quę Compluti amplę ſunt ,eo tempore curator.Quare rei pręclarè geſtę Ximenius memor , ſtrenuum equitem,qui Carauajalum referret,è naui ſedulò deſilientem lata in tabula depingi,atque in diui Bernardini ędę, quã ille poſtea Orani dedicauit,affigi iuſsit,quę in hunc vſque diem incolumis viſitur.Multum alacritatis & animi, præſentia ſua exercitui eo die Ximenius attulit.Nam è Merſalcabirana arce ſuorum caterua ſtipatus,cùm ad portum(vt diximus)egrederetur, nouitate, & inſolentia ſpectaculi,ducum animos & militum perculit. Neque enim imperatorem ſuum ſplendenti clypeo,aut caſside ex chimęra ignes vomente formidabilem intuebantur,ſed Pontificalibus veſtibus indutum,ſacerdotibus,& religioſis viris ex vtroque latere ſtipatũ,& cruce argentea pro vexillo præeunte,quam Algôra canonicus Seguntienſis ex officio geſtare ſolebat,tunc verò frater Fernandus, validis lateribus,& procera ſtatura homo,quo ex Frãciſcanis ſodalibus Ximenius familiariter vtebatur, equa alba inſidens gerebat,gladio Hiſpano ſuper ſaccum Franciſcanum accinctus, quẽadmodum & cæteri religioſi viri,qui eo die,iubente Ximenio, armis ſe munierant. Hora ferme diei ſexta,omnis peditatus in quatuor agmina per tribunos militares diſpoſitus,totam illam planiciem occupabat, quæ ante arcem Merſalcabiranam eſt.Sed quoniam in tanta feſtinatione

ne milites debilitata corpora curare non valuerant, atque Veneris die qui tunc illuxerat,carnibus veſci religio erat,trepidantes cunctorum animos,neque enim quid ederent pręter laridum & porcinã, ex claſsis commeatu ſuppetebat,Ximenius bene ominando religione exoluit,& qua pollebat authoritate,facultatem carnes edendi dedit.Ergo poſtquam cibo refecti ſunt,ad ſe omnes conuocat , & ad hunc modum allocutus eſt.Si exiſtimarem Hiſpani viri ,fortibus animis,vllis verbis aut neceſsitudinibus fiduciam addi, haud ego ad vos in pręſentia,homo parum ad loquendum inſtructus , & in caſtrenſi vita nunquam verſatus , ſed vnus aliquis ex veſtris ducibus prodijſſet,quem & eloquentia pręſtare,& vobis beneuolentia,& laborum communione coniunctum eſſe intellexiſſem. At quoniã mihi perſuaſum eſt,vos omnes ad hanc Africanam expeditionem inflammatos eſſe,in qua & Dei Opt.Max.cauſa agitur, & reip.cõſeruatio vertitur:quid autem religioni & patriæ omnes debeamus,neminem veſtrum arbitror ignorare:cùm bellum inquam,ſacrum geramus,pro aris & focis,vt dici ſolet:volui hoc potiſsimùm tempore,quando ad aleę iactum deuentum eſt,ego ipſe alacritatem veſtrã intueri,& animorum præſtantiam contemplari. Audiebatis multis iam annis,littora Hiſpana ab hoſtibus noſtris miſerè vaſtari:abduci liberos veſtros in duriſsimam Afrorum ſeruitutem:filias & vxores indignè violari:terrorem denique maximum omnium capitibus imminere.Cupiebatis cum illis confligere,tot iniuriarum vindictam ſumpturi.Id vt vobis liceret,cùm à me crebris vocibus patria efflagitaſſet,decreui tandem ſelectos milites,quales vos eſtis,per viros pręſtantiſsimos congregare.Viderunt ex cunctis Hiſpanię vrbibus matres familiâs nos egredientes,& ad aras templorum fuſę noſtram victoriam Deo commendarunt.Expectant cum triũpho noſtrum reditum,liberosque ſuos ex Maurorum ergaſtulis veſtra virtute ſolutos,in amplexu ſe iam iam habituras ſperant. Habetis ante oculos,quem tandiu optaſtis diem. En illa regio infeſta & inimica, adſunt hoſtes adhuc inſultantes,& veſtrum ſanguinem impotẽter ſitiẽtes.Quare pręſentibus eſtote animis,atque orbi vniuerſo hodie declarate,non tam robur vobis ad patriam defendendam hucuſq; defuiſſe,quàm occaſionem & inſignem aliquem ducem,qui vos ad hanc laudem obtinendam inſtigaret,& conduceret. Ego ante alios primus memet periculo obijciã,qui ſic animatus huc tandem prodi

Universidad de Deusto Biblioteca

ui,vt aut ſtrenuè dimicantes hodie victoriam adipiſcamur,aut ſi id minimè ſuperi conceſſerint,quod abominor,omnes pariter confoſſi concidamus. Nam vbi melius Antiſtes Deo ſacer occumbet, quã pro religione depugnans? Nec ego primus hanc gloriam videbor aſſecutus:ſic enim multi,qui me in Toletana dignitate anteceſſerũt, mortẽ pulcherrimã pugnantes oppetiere. Hęc dicens aciem procedere iubebat,ſeq; militibus comitẽ dabat. Cũcti eius oratione mirũ in modũ incitati Ximenium circũſtetere, orantes vt pugna abſcederet,ipſisq; prælij cõflictum cõmitteret:eam enim operã religioni & reip. nauaturos,vt ipſum ſuſcepti negotij nunquã pœniteret. Ceſſit cõmunibus omniũ precibus Ximenius:atq; ętatis & perſonæ ſuæ memor,in Petrũ Nauarrum eam curã reijciens,Merſalcabiranã arcem ſe recepit:ſacram ędiculã ingreſſus,quæ diuo Michaëli dedicata eſt,in genua procũbens,paſsis manibus in cęlum intentus,multis lachrymis Deum precabatur,vt ſuis Chriſtianis prędidio eſſet. Petrus Nauarrus vt ingentem Maurorũ & Numidarum multitudinẽ colles occupaſſe vidit,ne noſtri quos maritimi æſtus,& labor eius diei laſſa uerant,impares in congreſſu eſſent timuit:belli autẽ principio parũ proſperè noſtris ſuccedente,fiduciam & vires hoſtibus auctũ iri non dubitabat. Quare ſecũ deliberare cœpit,an in poſterum diem conflictum differret,intereaq; hoſtes in timore cõtineret, an alacritatem militum ſecutus,tãdem de ſumma belli eo die decerneret. Vt cũctationem magis approbaret diei tẽpeſtas in primis faciebat,erat enim hora propemodum nona,metuebat igitur ne iam appetentibus tenebris prędiũ incœptũ intermitteretur,& noctis interuẽtu noua exoriretur rerum facies,paruo enim momento belli res plerunque in alteram partem inclinat. Animi itaque dubius ad Ximenium redire decreuit,eius ſententiam antequam quicquam tentaret rogaturus. Is experientiſsimi Imperatoris dubitatione permultum cõmotus,neque quid conſuleret ſatis certus,cũ ſe collegiſſet,in hac(inquit) vir fortiſsime pugna,Chriſtus ſummi Patris filius,& ſeductor Maurorum Mahometus in certamen deſcendunt, omnem cunctationem non ſolùm damnoſam, ſed impiam eſſe arbitror. Quare omni depoſita formidine,milites tuos,vt cum hoſtibus manus conſerant iubeto: certa enim mihi ſpes eſt, te hodie victoriam magna cum laude reportaturum. Diuinum id potius oraculum, quàm vllius hominis conſilium fuiſſe, quæ ſunt poſtea inſecuta declararunt:

nisi

niſi enim eo die pugnatũ fuiſſet,Oranum capi nõ poterat. Vix poſt tres horas à capta vrbe, Trimeſenius Meſſuarus, qui authoritate & potẽtia à rege eſt ſecũdus,cũ magna peditũ & equitum vi,in auxiliũ Orani venit:qui vrbis captiuitate & direptione cognita,nil tentandũ cõtra Hiſpanos victores ratus,ad regẽ ſuũ redijt. Ergo Nauarrus ad exercitum reuerſus,qui in quatuor agmina quadrata erat diuiſus, quorũ ſingula bis mille & quingẽtis militibus cõſtabant,ſibi vnũ agmẽ aſciuit,quo per omnes partes diſcurrẽs,cęteris laborãtibus auxilio eſſe poſſet. Tormẽta bellica,quę Ximenij diligẽtia,ſimul cũ equitibus,in tãta feſtinatione è nauibus educi potuerũt, puluere tormẽtario,reliquisq; apparatib⁹ inſtructa ſubſequi iuſsit. His ad hũc modũ cõſtitutis,tubis claſsicũ incinentibus,& omnibus Iacobũ diuũ Hiſpaniæ tutelarẽ inclamãtibus,rectà ad cliuũ occupãdum,& inde hoſtes deturbãdos,infeſtis ſignis,& armis cõtendere imperat. Illi verò haud ſegnes,per loca aſpera & difficilia,gradu militari,prout tubæ cymbalaq; prącinebãt incedentes,iras taciti in Mauros acuebãt. Illi è montis vertice partim telorũ iactu,partim crebra lapidũ ingentiũ volutione,noſtrorũ aſcẽſum omni ratione prohibere nitebantur. Qui è Mauris paulò audaciores erant,ab ſtationibus nõnihil diſcedẽtes, loci opportunitate confiſi,facilis enim erat ad ſuos regreſſus,noſtros ad manus cõſerendas prouocabãt. Erant quidẽ noſtri Ducũ & tribunorũ imperio iuſsi,ne locũ vllo pacto deſerere auderẽt, antequã verticẽ occuparent:non tamẽ defuerunt, qui Maurorũ inſolentiã ferre nõ potuerint. Inter quos nõnulli Guadalfajarenſes,prõptiori animo & manu,facinus aliquod ſtrenuũ ante alios edere cupiẽtes,lõgius ad prouocatores progreſsi,temeritatis pœnas dederunt. Nã Ludouicus Cõtreras interemptus fuit,& reliqui vt ad ſuos reuertẽrẽtur, vi ſunt coacti. Mauri verò,propter primi congreſſus fortunã læti,amputatũ Ludouici caput,veluti Chriſtianorum pereuntium primitias,ad vrbẽ ferendũ curant,quod in noſtrũm ludibrium pueris per vicos rotandũ eſt traditũ. Erat Ludouicus altero oculo orbatus, quod cùm vetulæ auguratrices,quarum ingens numerus apud Mauros eſt,animaduertiſſent,dira ſuperſtitione tactæ ad ſuos inclamare cœperũt, certã eſſe Orani captiuitatẽ: proinde ſaluti ſuę quiſq; pro viribus in tẽpore cõſuleret:id apertè numina declarare, cũ is qui ex hoſtib⁹ ferro primus occubuiſſet luſcus eſſet. Tãtus tamẽ vulgi de capite abſciſſo mutuò ſibi gratulãtis cõcurſus fuit,vt ad ſubterranea ergaſtula,quibus

Universidad de Deusto Biblioteca

bus Christiani vincti asseruabantur,dolorẽ & miserias aucturi detu
lerint,Alfaquini esse dictitantes,ita enim ex suorũ põtificũ nomine,
Archiepiscopũ nostrũ appellabãt.Id cùm Frãciscus quidã Deolo-
datus audiuisset,qui in Ximenij familia aliquãdo vixerat,& in Mer-
salcabirana oppugnatione à Mauris captus toto quadriẽnio in vin-
culis fuerat,caput sibi ostẽdi postulauit.Postquã faciẽ,& oculi etiã or
bitatẽ perspexit,nõ hoc(inquit)caput Alfaquini nostri est,vt vos va
nè putatis,sed alicuius gregarij militis.Interea nostri in aduersum ni
ti,ad montẽ occupandũ:sed festinantes à nebulis atris, quę subitò &
mõtis cacumẽ, & ipsos etiam Mauros è cõspectu abstulit,retardati
sunt.Hunc tamẽ casum in auguriũ secutę cladis Mauri acceperũt,vt
ipsi postea dicebãt.Nostri ergo pertinacibus,& cõstantibus animis,
tantũ reptãdo & cõtẽdẽdo effecerũt,vt capacissimũ aquę locũ,à quo
in prima statim mõtis ora venę nitidissimę defluũt,quẽ Mauri ingẽ
ti cõtentione defendebãt,sibi per vim & per neces occupauerint. E-
rant ob viæ difficilis molestiã,& festinandi studiũ,in solo prę̃sertim
ardẽti & ęstuoso,nostri fatigati:quibus multũ roboris & fiducię de-
dit aqua eo tẽpore occupata.Quare tormẽtis inter ficeta,& suburba
nas quasdã habitationes collocatis,Maurorũ agmina glãdib⁹ ferreis
& nõ mediocris magnitudinis lapidib⁹ malè multabãt.Nauarrus&
aliquot selecti milites,tantã ferro stragẽ ediderunt,vt terribili metu
debilitati Mauri,vim illorũ sustinere nequiuerint,sed terga dãtes mõ
tẽ deseruerint,nostrisq; liber trãsitus sit relictus.Maurorũ fuga cõspe
cta adeò animosè nostri sunt insecuti,vt militaris ordinis obliti ,&
ducũ imperia parũ attẽdentes,per subiectã Orano planiciẽ sese ad-
uersus fugiẽtes effuderint.Hęc turbatio & ordinum cõfusio, qua sese
milites per cãpos insequẽdi auiditate ad vrbẽ tã latè explicarunt,nõ
inutilis fuit vt timebatur:nam terrorem maximũ Mauris incussit,
multò maiorem exercitũ quàm erat,ea specie existimãtibus.Interea
classis non cessabat Orani muros quatere,quanuis Mauri pro virili
sese defendere satagerẽt,& crebris tormentorũ ictibus nostros impe
terẽt.Accidit verò vt tormẽtarius magister,tã bene collineauerit pi
lã ferreã cõtra præstantissimã Maurorũ machinam,vt illam cõfre-
gerit,& loco deturbauerit.Exinde hostiũ ictus remissiores fuerunt,
adeò vt nostri è triremibus desiliẽtes,terrestribus copijs sese cõiunge
re potuerint.Cõiũcti fortissimè dimicãtes effecerẽ, ne fugiẽtibus ho
stibus pateret aditus in vrbẽ,sed coacti fuerint, præter casam (quod
aiunt)

aiũt) fugere,vijs omnibus per nostrũ militẽ occupatis.Dũ hæc gerũ
tur,sex christianorũ signa in sũma vrbis arce sunt cõspecta,& paulò
post intra semihorę spatiũ,omnia mœnia nostrorũ vexillis teneban
tur.Nã nostri milites per hastas mirabili pernicitate reptãtes, dicto
citiùs omnia præsidijs obsederãt.Tãto ergo impetu cõscensum fuit,
vt postea id per otiũ cõsyderãtes,vix fieri potuisse crederẽt ipsi au-
thores.Nã parta victoria,cũ idẽ efficere laborarẽt,nunquã successit:
nunc murorũ altitudine,nunc hastarũ polita lęuitate,& flexibili ma
teria,militũ studiũ & conatum retardãtibus.Adeo ad res pręclaras
gerendas necessarius est ille ardor, quo animi incalescũt cũ res vera
agitur. Sosa cohortis pontificię præfectus,fuit primus qui reptando
in muros cõscendit:nã diuũ Iacobũ & Ximenij auspicia inclamãs,&
è summis mœnibus Ximenij vexillũ ostẽtans,victoriã partã nuntia
uit.Cõplures intra vrbẽ è muris desilientes,portis reseratis,aditũ reli
quis militib⁹ dederũt.Mauri re insperata perterriti, & suorũ militũ
præsidio destituti,ob subitã nostrorũ irruptionẽ , multi se in sacella
(quas mesquitas vocãt)recepere,alij in munitas quorũdã diuitũ ędes,
nõnulli quibus animus erat prõptior,patẽtioribus locis cõuenerunt,
vltima aduersus hostes experiri parati. At vbi vniuersum nostrorũ
exercitũ vrbẽ ingredividerũt,totãq; illã formidandã aciẽ per omnes
vicos circũfundi,veriti ne omnino spes fugę interciperetur,vrbis por
tas petiuerũt,si fortè cũ irrũpentiũ cõfusa multitudine ipsi elabi quo-
quo modo possint.Ex nostris equitibus,quibus vt diximus Villaroel
lus Castorlanus præerat,plures quã ducenti,id quod futurũ erat rati,
ante portã Trimeseniã cõsistentes, quà hostibus fugiendum erat, pe
nè ad vnũ omnes cõfodissent, nisi subitus Villaroelli casus eis salutẽ
insperatã attulisset.Ille enim ab hostibus nihil periculi esse cogitans,
quos in diuersa dispersos esse nouerat,prædę solũ inhiabat. At centũ
& quinquaginta Arabũ equites,qui nõ minus quã nostri prædandi
erant cupidi,vt mos gentis illius est, in socios victos omni perfidiæ
genere insultãdi,in hortis suburbanis delitescebant. Hi vltimos equi
tum subitò adorti,tantum Villaroello terrorem iniecerunt , magnũ
aliquem exercitum à Trimesenio rege venisse existimanti, vt dum
ad nostros inconsultè se recipit,equum amiserit Arabis hasta perfos
sum.Hoc vnus è cornicinibus, qui equites sequebatur videns , proh
pudor(inquit)Hispani equites,cur fugitis vestros captiuos? Hi Ara-
bes nuper vestras manus effugientes,in hosce hortos se receperũt, si
quà

Universidad de Deusto
Biblioteca

quà posint morte effugere. His verbis nostri sese collegerũt, & impresione facta, Arabes in fugã verterũt, nõnullis occisis. Decem ex nostris Arabũ hastis cõfossi perierant, antequã se colligerent: inter quos Pezãnum Pezuelẽsem, Didacũ Quiralum, Franciscũ Vaezium, Ferdinandũ Cauiã Cõplutenses, cecidisse accepi. Exercitus qui Oranũ victor occupauit, tanto ardebat odio cõtra alienę religionis homines, vt nulli ætati aut sexui pepercerit: omnia ferro & igne vastabãtur. Hanc stragẽ pulchris carminibus, Gonsalus Ęgidius in cõmẽtariolo de bello Africano, descripsit. Igitur nostri humanitatis obliti, vt in victoria fieri solet, nullũ sæuiendi finẽ facturi videbãtur, nisi nox lucẽ ademisset, & receptui signa fuissent data. Quisq; ad suã stationẽ & ducẽ properabat: sed tanta erat militũ cõfusio, qui Maurorũ domos diripiebãt, seq; spolijs tũ argenti facti, infectiq;, tum varię supellectilis locupletabãt, vt nullo modo cõtineri potuerint. Rursus ergo ad direptionẽ redeũt, atque omnia vrbis loca, paucis exceptis, occupant, occiso ingenti hostiũ numero: & epulis, quas sibi illi in cœnã parauerant, diei famẽ nostri depulerũt. Sed tandẽ somnus ex labore & vino obortus eos oppresit, & cruẽtis hostiũ cadaueribus tãta securitate & fiducia indormierũt, vt permulti in Orani vrbis plateis ad multã diẽ stertuerint. Nauarrus interea vigilãtibus cẽturionibus per opportuna loca dispositis, excubias fieri diligenter iubet: & insidias Maurorũ timẽs, nũquã militare sagũ exuit: quod illi perpetuũ in bello fuit, erat enim somni parcissimus. Postero postquã illuxit die, Nauarrus omnia strenui Imperatoris munera execut⁹, vrbẽ circũlustrat. Cũ tot passim cadauera miserãdis vulneribus perfossa nostri cõtuerẽtur, hostili furore & rabie, quę in pectoribus humanis ex bellica cõtentione innascũtur, mitigatis, misericordia & cõmunis fortunę recordatione tacti, palàm illachrymabãtur: & ad deditionẽ eos perhumaniter inuitabãt, qui vel ad mesquitas, vel ad loca aliqua tuta cõfugerãt. Perculit potissimũ nostrorũ animos lactens infantula, quę in media via matri interemptę adrepserat, & vellicata per blãditias papilla, colludẽs suggere tẽtabat. Hãc Georgio Baracaldo, qui Ximenio ab epistolis fuit, dum sub corona captiui veneunt, exiguo pretio cessisse Ęgidius scribit, & à se postea in Hispania visam. Huius persimilem casum Aristides Thebanus, qui Apellis ęqualis fuit, pinxisse fertur. Oppido enim capto ad matris moribundæ mammam infans repserat, adeoque mirum artificem fuisse aiunt in

affectibus

affectibus exprimendis, vt mater sentire videretur, & timere ne pro lacte sanguinem infans lãberet. Illico Nauarrus ad mesquitas & prę sidiarias domos expugnandas milites quosdam selectos mittit, ipse circumcirca regionem explorat: vt priusquã Ximenius ex Mersalcabirana arce Oranum veniat, omnia tuta forent. Illi qui ad mesquitas capiendas sunt profecti, tanto impetu hostes sunt adorti, vt quanuis egregiè seq;, & loca tuerentur suscepta, inde tamẽ nostrorũ militum virtute deturbati, tandem victoribus cesserint: totaque vrbs in deditionem sit redacta. Arianarorum fratrum virtus quos Cãtabria miserat, principium loca illa capiendi dedit. Nam cùm ad mesquitã maximã præclarè vtrinq; dimicaretur, hi, comitesq; nonnulli robore suo freti, ędis fastigia reptãdo occupauerunt: in quos cũ tela ab hostibus frequentia iacerẽtur, essentq; animi dubij an in Maurorum cõfertissimã multitudinẽ sese immitterẽt, nã diutius eo in loco cõsistere nequibant, nihil amplius cunctati, se in medios hostes, magna animi præstantia pręcipites dederunt. Sic ad vnum hostibus captis, maxima mesquita in potestatem nostrã venit, & reliqua deinceps loca, in quibus Mauris spei aliquid, aut fiducię remanserat. Viri multi insignes & pręclari ex hostibus cecidisse dicuntur, sed promiscui vulgi quatuor millia, & aliquãto plures. Certè omnes plateæ & vię, adeò cadaueribus erãt plenę, vt necesse esset ambulantiũ pedibus cõculcari. De captiuorũ numero, parũ conuenit inter eos qui per epistolas tunc amicos certiores de his rebus fecerũt. Alij enim quinque millia fuisse, alij octo scribũt: vt Hieronym⁹ Iulianus scribẽdarũ epistolarũ Baracaldo socius. Ex nostris triginta sunt desiderati, qui ferme in mõtis expugnatione perierãt. Pręda adeò ingẽs & opulẽta fertur, vt nõ solũ tribuni militares & duces, inter quos quendã fuisse certũ est, cui decẽ millia ducatorum obuenerint, sed ipsi quoq; gregarij milites, atq; adeo calones & lixæ, auro & argẽto diuites discesserint. Quingẽtis millibus nummũm aureorũ Orani pręda in tegra ęstimata est: quod neutiquã mirũ videbitur, vrbis opulẽtiã & diuitias putãti. Mille & quingẽtas tum mercatorũ, tũ artificũ officinas Hieronymus Iulianus se per id tẽpus Orani numerasse tradit: quod si admittimus, vix in tribus præcipuis Hispanię oppidis in quibus nundinę frequentes sunt, tot reperientur. Nõ defuerunt ad bellum Africanum suscipiendum, neque postea in prælij discrimine ostenta, quę neutiquam recensuissem, nisi eius temporis scriptores cõstanter

ea

Universidad de Deusto Biblioteca

ea non modò asseuerarint, sed sacris concionibus in templis euulganda, multis obtestationibus tanquam rem admirandam, cõmendauerint. Aliquot ante diebus, cũ dilationibus de quibus diximus, in Hispania Ximenius detineretur, ad Vaionam Carpetanię vicũ, vbi Tagusa modicus fluuius, non longè à Toleto in Xaramam capacio rem confluens, frequenti per cymbã vectorum traiectu, locũ ignobilem alioqui illustrat, crucem per aliquot dies visam esse ferunt: de qua cũ crebri sermones in comitatu regio fierent, eisque Ximenius aliquando interesset, multiq; causã scisciterentur, quid potissimũ sibi crux vellet Vaionæ viculo imminens: quidã vt apparet nõ inertis ingenij homo, Ximenio pręsenti dixit. Te ô Antistes crux admonet, vt expeditionem susceptam matures: nã Vaiona parũ à Ve ayna distare vides. Porrò Ve ayna Hispanorum lingua id significat, quod vade citò, si quis latinè interpretetur. Simili diuinatione in voce satyrus, cuius imago Alexandro, dum Tyrum obsidet, per quietem oblata fuit, Aristander vates eam esse capiendã pronunciauit. Portu egredientibus, crux in Africa primò sese obtulit. Igitur Cazalla titularis Episcopus, crucem in limine portus conspicatus (nam is de ea re iussu Ximenij, ad Villalpandum Toletanum Vicarium scripsit) ad milites conuersus, in hoc (inquit) signo vincemus. Quod enim quinto nonas Maias, Toleti in templo maximo concionantẽ me audiuistis cũ de crucis dominicæ inuentione tractaremus, nos nempe crucem dominicã repetitũ in Africam tendere, quum perfidi Mauri Mahometo duce ex illis locis impiè deturbassent, en se nobis in vestibulo offert, vobisq; certum victorię augurium dat. Aper deinde immanis, è proximis saltubus per medias acies ferociter pertransiens, clamore nostrorum cõtinuò exorto, quasi ex cõposito factum esset, Mahometũ esse omnes cõclamarunt, & militum telis transfixus est. Ingens vulturũ multitudo, cædem Maurorum palã significantiũ, hostiũ exercitũ circunuolabat, nunquã ad nostros deflectẽtes: vt prisca sapientũ dicta vera esse deprehensa sint, qui vultures exercitus sequi prodiderunt, eosque potissimũ diligenter obserrare, quorum internecionem futuram esse triduo ante pręsenserint. Leones itẽ per syluas frementes à circunuicinis Mauris audiebantur, qui post prælium commissum, ad cadauera deuoranda de nocte conuenerunt. Cùm à nostris caperetur, duplex item Iris visa est Orano imminere: quas cũ Carolus Mendozius Friasio iurisconsulto ostẽderet, subitò veluti diuinãs,

Oranum in nostram potestatẽ venisse, exclamat. Hoc cùm Ximenius resciuit, prẽnuncia cælo (inquit) venisti Iris, nobis victoriã ratã factura. Atq; ad familiares cõuersus, in scholis philosophorũ, Irim nõ modò tempestatem, sed pugnam etiam significare, audijsse se dixit: Iam verò eius geminationem pugnæ atrocitatem proculdubio indicare: penes quos tamen victoria esset futura, à Dei opt. max. pendere voluntate. Certè Nautæ tempestate iactati, aeris indeserenitatẽ arguunt, nos item speremus rerum immutationẽ: sic enim qui hactenus famelici & siticulosi, montis ascensu prohibebantur, vrbẽ occupabunt. Hęc dicenti nuntius aduenit, qui vrbem esse captam declarauit. Admirabile videbitur quod dicturus sum, sed nihil certius eo tempore est habitum, ac proinde multorum scriptis testificatum: nam præter priuatorum hominum epistolas, Gonsalus Egidius, & quidam innominatus author, qui commentariolis latinè editis, huius pugnæ seriem ediderunt, magna hoc asseueratione affirmant: solem scilicet, quatuor & amplius horas, cursum suum cõtinuisse. Nam cùm à nostris mons appetebatur, dies palàm inclinare cœperat, fermeq; sol iam occasui proximus esse videbatur: quod vnum (vt diximus,) Nauarrum ad montis radicem, priusquã prælium tentaret reputantem, non mediocriter conturbauerat. Hoc etiam Ximenium consyderasse aiunt, prudenter tamen tacuisse, donec res hæc mirabilis omnibus vulgata fuit. Animaduertisse hoc etiam nõnullos ex Mauris affirmant, qui rei nouitate perculsi, sacrum susceperint baptisma. Certè in eo prælio, quo temporibus nostris Carolus. V. Romanorum imperator Ioannem Federicum Saxonem fudit, diem quoq; longiorem fuisse scribunt, quàm eo tempore cursu solari esse potuisset, quod & ipse Cæsar affirmabat. Huiusmodi autem miracula an ex opinione humana nascantur (res enim maximas & difficiles breui tempore absolui non credimus) an lux illa verè tardior fuerit, præpotentis Dei voluntate, nõ est consilium persequi. Igitur Ximenius captæ vrbis nuntio impendiò lætus, noctem illam hilarem, in hymnis, & gratiarũ actionibus somni immemor inter suos traduxit. Postridie eius diei triremibus oranũ petere placuit, vt salebrosi itineris difficultates vitaret. Frueba tur inter nauigãdum pulcherrimo vrbis aspectu, menianis frequẽtibus, & cãdidissimis turrib⁹ collucentibus. Ad terrã exposit⁹, crucis vexillo præeũte, & victore milite stipatus, vrbẽ ingressus, lætis omniũ

Universidad de Deusto Biblioteca

acclamationibus ſuſcipitur, laudes Deo opt.max. victoriarũ largi
tori incinentium,& Ximeniũ gentiũ barbararũ victorẽ proclamã-
tiũ.Qua ille re mirificè oblectatus,Dauidis verſiculum ſublimi voce
protulit, ita vt ab omnibus exaudiri poſſet. Non nobis domine,nõ
nobis,ſed nomini tuo da gloriam. Ad Alcazauã (hoc eſt ad arcem
maximam) e veſtigio perrexit:neq; enim alteri præterquam Xime
nio aditus ad eam ſe daturum præfectus affirmauerat.Poſtquam re
ceptus fuit, claues ſunt ei traditæ: & protinus trecẽti ex Chriſtianis
captiui, qui dira ſeruitute à Mauris premebantur,ex arcis ergaſtulis
in lucẽ ſunt producti,atq; optata libertate donati.Oblata eſt illi vni
uerſa præda tanquã pręcipuo imperatori,quę publicè iuſſa fuerat aſ
ſeruari.Ille quãuis multa pretio, & elegãtia inſignia videbãtur,nihil
ad rẽ ſuã priuatã tranſtulit:ſed quædã in publicos exercitus vſus,quẽ
admodũ cũ Nauarro conuenerat, quædã ad Regẽ deportãda ſepoſi
ta fuerũt.Ducib⁹ deinde,& tribunis militaribus vocatis, virtutẽ illo
rũ publicè collaudauit, & pro tã fortiter nauata opera benigniſsmè
gratias egit: & torquibus,armillis,& Numidicis phaleris,alijsq; itẽ
militaribus præmijs,prout quiſq; merebatur,donauit.Cadauera ex
tra vrbẽ vt eijcerẽtur curatũ eſt,quorũ fœtor vrbẽ penè infecerat, &
pericul̃ũ erat ne aër,qui facilè alienas impreſſiones recipit, peſtilẽtes
afflatus cõciperet,& corrumperetur.Negotium id fuit cũ primis o-
peroſum & moleſtũ: neq; enim paruo tẽpore tã ingens fœtidorũ ca
dauerũ multitudo expelli poterat,neq; facilè erat homines inuenire
qui veſpillones agerent. Idcirco aut in ſcrobes profundos ſunt im-
miſſa,& aggeſta terra cõtecta: aut per vicos alia ignibus incenſis cõ
buſta, alia vſtulata. Sed vix efficere omni cura potuerunt, vt mul
tis poſt diebus à Ximenij diſceſſu, cadauera per Orani vias non
iacerent permulta: adeo vbi lucrum non eſt, vulgus laborem etiã
ſibi neceſſarium fugit. Bellica inſtrumenta ærea, quæ mœnijs di-
ruendis ob ingentem magnitudinem ſunt idonea, pluſquam ſe-
xaginta inſtructiſsima ſunt capta: Catapultarum, Scorpionum,
Baliſtarum, & iaculorũ immenſus numerus. Quare miraculo proxi
mum eſſe videri poſſit, atq; ideo Ximenij auſpicijs,eiuſq; pietati aſ-
cribi ſolet, vrbem Mauritaniæ celeberrimam,tot apparatibus belli
cis refertam,tam florenti iuuentute, ac tot præſidijs Numidarum
(quos Arabes vocat) abundantem,quæ vel ſex menſium obſidione
vix expugnari poſſe credebatur, tanta celeritate & paruo temporis
ſpatio

ſpatio,tã deniq incruẽta noſtrorũ victoria,captã eſſe.Erat in ore om
niũ, id quod Cæſar Pharnace deuicto ad Senatũ ſcripſit, Veni,vidi,
vici,ob feſtinationẽ celeritatemq;qua hoc bellum Africanum con-
fectum fuit. Quare Ximenij virtus & fortuna, omnium literis &
memoria hominum eſt celebranda, qui Oranum nondum viſam,
eo ipſo quo appulerat die vicerit, ſubegerit, & occupauerit. Quãq;
nunc verũ eſſe, quod inter veteres parœmias circunfertur, ſuam
quenq; moribus & induſtria fortunam fingere, oſtendemus. Nam
portarum occluſio, qua Mauri & Numidę excluſi ſunt, non ideo fa
cta eſt, ne ſi cum Mauris etiam Arabes reciperentur, horum tyran
nidi,ſeruiendum eſſet,vt vulgò iactabatur. Multò veriſimilior cau
ſa eſt, quæ ab Oranenſibus nonnullis adhuc ſuperſtitibus refertur.
Hi enim qui inter captiuos,aut dedititios ducti, in vicis Guadalfaja
ræ proximis vitã agunt, proditione ſuorũ ciuium vrbem eſſe captã
mihi retulerunt. Sed non ab re fuerit de ingenio & moribus Arabũ
(quos Alarabes paſſim vocamus) nonnihil præfari:vt ſic intelliga-
tur,quæ de occluſione portarũ dicta eſt cauſa.Eſt gens in Africa,quę
deſerta loca in tẽtorijs incolit,vnde primũ ſcenitæ ſunt dicti, ſine le
gibus, ſine certis laribus, ſine vllo manſuetioris vitę cultu.Hi quòd
potiſsimùm eam Africę partẽ occupauerint quę Numidia dicitur,
à Romanis Numidæ ſunt vocati,noſtri verò Alarabes (vt dixi)ap-
pellãt,quo nomine à Mauris etiã dicuntur.Erãt enim Arabiæ deſer
tę quõdam indigenæ,qui per Egyptum in Africam venerunt,et bo
nã eius partem armis ſubegẽre,rei pecuarię in primis addicti,latro
cinijs & cędibus intenti,nullamq; vel fidei vel iuſtitiæ rationem ha
bẽtes. Hi aſſiduis exercitationib⁹ & vitæ rigore duratis corporib⁹,
ad vſum militiæ peraccõmodi ſemper fuerunt,atq; cũ Mauris,quo
ties à bellis externis otiũ eſt,perpetuas pugnas exercẽt. At ſi quãdo
ex alienis regionibus hoſtes adueniant,illico ſe cum Mauris coniun
gunt, & veluti religionis & communis patriæ prætextu, ſtipendio
conducti, vindices ſe illorum profitentur. Non tamen vrbibus ſuſ-
cipiuntur,quoniam alienis opibus inſidiantur, nullaq; legum pœ-
na, aut dominorum querelis à ſolitis rapinis abſtinent. Hi dum
res Mauris proſperè ſuccedunt, non ignaui aut ſegnes operas ſuas
præſtant: at ſi vinci Mauros contingat, tanta eſt Numidarum
in eos ſæuitia, tanta deprædandi ſuperatos libido, vt præ illorum
truculentia, quiuis hoſtes mitiſſimi habeantur. Igitur Oranienſes

Universidad de Deusto Biblioteca

prælij exitum prospicientes, idcirco portas suis ad vrbem confugiẽ tibus non aperuisse, ab omnibus ferme tunc creditum est, & à prodi tionis authorib' in vulgus Maurorum sparsum. Nam principio hu iusmodi rumore vulgato, rem credibilem & faciliorem proditionẽ fecerunt: Alarabum scilicet equitatum à rege Trimesenio auxilio missum, vrbe mœnibusq; excludendum esse, iuris iurandi etiam re ligione cũctos portarum custodes obstringendos, ne quem eorum ingredi sineret: suos etiam aditu vrbis tantisper prohibendos, do nec Numidis fuga dispersis, nihil damni ab eis timeretur. At revera priusquam Ximenius expeditionem Africanã susciperet, de prodẽ da Orano cum Mauris egit. Est enim illi genti peculiare, se mutuis pactis fallere, & nec patriæ quidem fidem seruare. Diximus supra, Didacum Fernandum, Mersalcabiranæ arcis præfectum, dũ anno tertio à capto oppido parum prosperè cum Oranienſibus manum conserit, non sine clade suorum fusum, multi enim ex nostris sunt desiderati, multi item capti. Inter hos igitur duo præstantes duces in Maurorum manus venerunt, Alfonsus Martos, & qui hunc dignitate superabat, Martinus Argotus Cordubensis, Didaci Fernãdi propinquus, vt Oranẽsis ille, à quo ista accepi, mihi retuli. Hi vt pote viri fortes & præclari, Hameto Acanixo, homini inter suos primario, custodiendi traduntur: apud quẽ aliquot menses detẽti do nec redimerentur, indulgenter tractati sunt. Interea siue ob priuata erga ciues suos Acanixi odia, siue ob nostrorum industriam, de tra denda vrbe inter ipsos agitatum est, adeo secretis clandestinisq; con silijs, vt per biẽniũ nihil eius negotij ad alios dimanauerit, prẹterquã ad Cattorrã Iudẹũ, Orani itidẽ vrbis incolam, quẽ ad proditionem faciendam, & sequestrum & adiutorẽ habuerunt. Huius rei argumẽ ta permulta sanè sunt: nã & hi ex Numidarũ moribus causis cõqui sitis, de portis militibus suis non reserandis authores fuerunt: & in vrbis direptione, cæteris omnibus exhaustis et vastatis, Acanixi & Cattorræ domus, magna nostrorũ ducũ solicitudine ne quid læderẽ tur curatũ fuit. Deinde verò rebus iã pacatis, ad regem & Ximeniũ eosdem in Hispaniam venisse certum est, à quibus perpetuos reditus, vnde viuerent, susceperunt. Quin vt nihil ad fidem faciendam deesset, Martini Argoti filia, qui in custodia apud Acanixum fuerat, Acanixi filio nupsit, vt inter parentes conuenerat. Is Acanixi filius, qui ob Christianam religionem susceptã, nomẽ mutauit, &

Ludo

Ludouicus Fernandus est dictus, in familia Didaci Fernandi, cùm Mersalquibiro præesset, diu mansit: postea ab eodem Oraniticam præfecturam obtinente, vrbis decurio est factus. Deseruit aliquan do nostros, vt est gens illa infida & mobilis, ad Trimeseniorũ regẽ deficiẽs, sed rursus redire cupiẽti ijdẽ honores delati sunt, & reditus & opes quẹ regio fisco cesserãt, sine vlli' oboli iactura restitutẹ. Aiũt Ximenio dubitãti, an exercitũ maris æstu & iactatione fessum, hora diei (vt diximus) post meridiana ad vrbis munitẹ expugnationẽ mit teret, ab eisdẽ nuntiũ venisse, qui admoneret vt rẽ paratã minimè dif ferret: nã si eo die cessaretur, protinus Trimeseniorũ auxiliũ adfu turũ, quod vniuersos Ximenij conatus erat proculdubio in multos dies retardaturũ. Cedrinũ etiam Alcazabæ in Orano custodẽ, Aca nixo necessitudine sanguinis cõiunctũ, proditionis participẽ fuisse pro certo habetur: nã hic arcis claues in ea turbatione anxiè (vt ap parebat) quẹrẽs, vt posticũ aliasq; arcis ianuas fugiẽtibus adaperiret nusq̃; inuenire potuit: famuli enim (vt aiebat) negligẽtia, in inuolu cra quẹdã cõiecta fuerãt, quẹ postea tẽpore minimè necessario sunt repertæ. Hæc vt exposui gesta fuisse, ex homine Oraniẽsi Guadalfa jaræ didici, qui cognatione proditoribus propinquus, ea tempestate octodecim annos natus à nostris est captus, atq; Didaco Mendozio Infantatus duci iure mancipij datus, à quo postea libertate & agello donatus, Malaguillæ oppido apud Guadalfajaram religiosè & in nocenter vixit, superstitionis abnegatæ causa Deo opt. max ingen tes gratias agens. Solebat enim quod de Themistocle fertur apoph thegmate sibi gratulari. Perierã ni perijssẽ. Ergo Ximenius, altero postq̃; Oranũ ingressus est die, obequitãs per loca vrbis celeberrima eius situ est cõtemplatus, & quid in singulis partibus reficiendũ, aut noua molitione cõstruendum attentè consyderauit. Ad mesquitas deinde deflectens, ritibus Mahometanis cõspurcatas, vt emundarẽ tur et expurgarentur curauit. Erat fortè Dominicus dies, qui cum in tertium decimum calend. Iunias, diuo Bernardino dicatum inci disset, religionem mirè auxit. Curauit igitur vt Mesquitæ more Christiano cõsecrarentur, quò omnes sacris interesse possent: & reli gioni satisfaciẽtes, ad reliqua in terra hostili, magnos animos cõcipe rent. Igitur mesquitam maximam, Mariæ victrici, et angelicẹ ad eã annũtiationi dedicauit. In hoc autẽ tẽplo, cenotaphio ad orã maxi mã constituto, vt sibi anniuersario sacro xv. calend. Iunias, quo

Universidad de Deusto Biblioteca

die Oranum capta fuit, parentarent instituit, xxx M. nummûm ad hanc operam in perpetuum datis. Alteram, vbi multi ex Mauris occubuerant, diuo Iacobo Hispanicæ virtutis conseruatori: in quibus statim sacerdotes nostri sacra fecerũt, & supplicationes sunt habitę. Sed quoniã diuo Bernardino, partim ob egregiam viri sanctitatẽ, partim ob communẽ monachatus religionem, Ximenius peculiari affectu deuotus erat, ne eũ præterijsse videretur, Xenodochiũ quod ægrotãtibus militibus parabat, Bernardino tutelari cõsecrauit, memor scilicet pietatis, qua ille olim Senarũ nobile xenodochiũ, in flore ætatis cõstitutus administrandũ suscepit, cæteris ministris fugiẽtibus ob pestem, quæ quam dixi Hetruriæ vrbẽ, Bernardini patriam, & totam etiam Italiam occupauerat. Perpetuum in eo fundauit sacerdotium Ximenius, vt esset qui ęgrotãtibus sacra ministraret, impetratis à summo pontifice multis indulgẽtijs, & facultate absoluẽdi etiam à reatibus pontifici Romano reseruatis. At quoniã religionis cura Ximenio ante omnia cordi erat, quam sciret mirum inmodum sodalitatibus monachorum ali, & promoueri, ædes item binas dedicauit, alteras Franciscanis, alteras Dominicanis, in quarum singulis monachi alerentur seni. Iam verò quòd multi inter captiuos Iudæi erat, quorum pleriq; ex illa esse migratione existimabantur, qua ex Hispania vndecimo ante anno, à catholicis regibus pulsi fuerant, vehementer timuit, vt ex eius epistolis ad regem constat, ne in tam recenti eorum, qui in Hispania remanserãt, ad Christi fidem conuersione, nonnulli pristinæ superstitionis memores, & vigilantiam inquisitorum metuentes, clam ex Hispania Oranum fugerẽt. Quare officij sui authoritate fungens, Yiedram virum religiosum & eruditum, inquisitorem, ad ea omnia diligenter exploranda constituit. Mirum est & penè fidem omnem exuperare videtur, Ximenium hominem senem, tot negotiorum fluctibus penè obrutum, & ob suorum militum fidem parum stabilem, & rerũ humanarum inconstantiam, atq; adeo dubiam regij animi erga eum propensionem nimis anxium, tantum roboris & vigoris habuisse, vt non solùm res militares, & quæ ad tutelam vrbis pertinebant, vigilantissimè constituerit, sed res etiã sacras, quod in summo otio solet fieri, omni adhibita cura disposuerit, & cũcta quæ ad episcopi munus spectant, admirabili consilio prouiderit. His tandem rebus factum est, vt quanuis sępius à Mauris ea vrbs impetita fuerit, nihilomi

lominus optimi præsulis auspicijs, sub regũ nostrorum potestate duret. Dum hæc Orani aguntur, Fernandus Didaci Veræ filius, à Ximenio nuntius ad regem destinatus est, qui rei totius vt gesta fuit, & notitiam & seriẽ sigillatim in tabellis ferret. Trimesenij Orani captiuitate, direptione, et vastitate cognita, nam octoginta tantũmodo Mauros ex vniuersis Orani ciuibus euasisse cõpertum fuit, cæteris omnib⁹ aut interẽptis, aut captis, Christianos qui mercaturæ causa, aut alia quauis ratione illic degebant, ad vnum gladio peremerunt: atq; eodem furore in Iudęorũ gentẽ, quæ frequens Africæ vrbes incolit, quasi Christianis cognatione coniunctam, sæuierunt, tãta vulgi seditione & tumultu, vt rex intra arcẽ se cõtinuerit, nec foras exire sit ausus, quanuis impediò doleret, fidei suæ commissos trucidari. Tantus ergo timor Hispanici nominis vniuersã Mauritaniã occupauerat, vt Trimesenij, alijq; populi vicini trepidantes, desertis oppidis ad regnum vsq; Fezanum secederent. Dubius animi Ximenius fuit, an fortunæ successum sequeretur, & ad reliquam Africæ orã exercitum suum & classem conuerteret, an potius ætati & saluti suę cõsulens, summa belli Nauarro tradita, ipse rursus in Hispaniam remearet. Sed quanuis bellici labores animo obuersarentur, & militares mores parum eius instituto quadrarent, tamen ingenium, animus q; ille maxima quęq; naturâ suâ appetẽs, omnẽ vincebat difficultatẽ. Quare cùm mare rursus traijciendum consyderaret, præsentem autem gloriam, & victoriã ex altera parte sibi proponeret, & Christianæ religionis propagationem, quã alterius industria & opera fieri indignum sua fortuna iudicabat, ad reliqua pro virili persequenda iam iã animum inclinabat. Sed vt sunt res hominum mutabiles & fluxæ, aliquot causæ partim ex occulto, partim ex Nauarri ęmulatione prodierũt, quibus in diuersum mutatus, Nauarro sũmo imperatore designato, ipse protinus in Hispaniã traiecit. Id præter multorũ opinionẽ accidit, qui eius cõstantia & magnanimitate alienũ esse omnino existimabant, post tot molestias in cõgregãdo exercitu, & in nauigatione deuoratas, post victoriam tanta cum laude & felicitate obtentam, quæ solet animos militũ efferre ad res ampliores cõficiendas, & in tãto Afrorum hominum metu, lampada in ipso cursus principio tam gloriosè micantem, alteri suæ laudi inuidenti tradere. Atsi quis rem ipsam nudam attentius consyderet, & in memoriam Deiotari regis ad M. Crassum responsum reducat, cùm nimirum

Universidad de Deusto
Biblioteca

mirũ ſexagenario maior, ad bellum Parthis inferendum per Gala tiam iret, Ximenij laudem augebit potius q̃; vlla vel ignauiæ, vel timoris nota deteret. Iuſto enim ambitioſior haberi poterat, ſi ſuæ ætatis, perſonæ, & pōtificatus immemor, cum hominibus illius modi vitam agere in caſtris maluiſſet, quàm in patriæ ſolo inter viros ſapientes, religioſos, & ſobrios. Deinde cùm nihil ſit belli ſucceſsibus inconſtantius, Orano vrbe opulentiſſima multumq; noſtris litoribus infeſta, quod ſibi vnicum propoſitum fuerat, tam facilè capta, nõ erat viri prudentis martis aleam toties experiri velle, ſed potius ſucceſſorem ſibi in prouincia tam laborioſa, & incerta petere, aut ſua authoritate, quod & fecit, conſtituere. Cæterùm ad hanc communem cauſam, peculiares aliquot acceſſere, quæ virum propoſiti tenacem, & conſtantis ætatis ab incœpto dimouiſſent. Principio Nauarrus, cui hominis cucullati, vt ipſe iactabat, gloria inuidioſa erat, indignationis iam dudum diſſimulatæ manifeſta indicia, partim apud Ximenium, partim inter tribunos, & milites dedit. Neq; enim ſibi homini rerum bellicarum experientiſſimo ſe rendum eſſe vllo modo exiſtimabat, vt Ximenius antiſtes togæ muneribus ſemper dedicatus, in imperio militari præferretur. Accidit fortè vt Nauarri miles Ximenij famulum inter rixandum occideret. De ea re cùm Ximenius Nauarrũ obiurgaret, & multa, vt fit, vtrinq; dicerentur, Nauarrus bile & iracundia ſtimulantibus, tandem pectoris arcana recluſit. Grauibus enim verbis Ximenium alloquitur, eum eſſe in cauſa, quòd ſibi milites parum eſſent morigeri, & tot tumultus in exercitu exurgerent. Quòd ſi illinc ipſe diſceſſiſſet, ſibiq; vni belli negotia relinquerentur, non dubitare breui temporis ſpatio, magnam ſe Africæ partem ſubacturum. Nunc verò omnia quæcunq; animo concepiſſet, eius præſentia impediri, nũq̃; enim duorum imperia bene coaluiſſe, & inde ſemper multò maiorem exercitibus cladem quàm ab hoſtium telis contigiſſe. Quare bonis auibus in Hiſpaniam proficiſceretur, ſatis enim gloriæ reportare vrbe Mauritaniæ præcipua tã veloci victoria capta. Quòd ſi adhuc in propoſito perſiſteret, ſciret ſe nõ alio q̃; priuati iure in exercitu eſſe diuerſaturũ. Nam reliqua omnia quæ deinceps agerẽtur, non amplius eius auſpicijs, ſed catholici regis erant cõficienda, ipſi enim ad Oranum capiendam à rege munus eſſe tantum delatum, quo expleto, imperium abrogatum eſſe, donec rex aliud decreuiſ

creuiſſet. Oranum verò, quam Toletanorum pontificum ditioni, niſi rex impẽſas pecunias reddidiſſet, addicere parabat, ſe tubis præcinentibus & ſigniferis vexilla pandentibus, ipſo audiente, regium nomen acclamaturum. Deſineret itaq; per vanas cogitationes regiæ poteſtati, aut incrementis, homo priuatus inuidere: capeſſeret antiſtitis munus, pila, & gladios militibus concederet. Atq; ab eo irreuerenter proſiliens, ad ea quę dixerat cõficienda abijt. Aduerſus tam confidentem militaris hominis orationem, nihil reſpondendum Ximenius eſſe duxit, nam & id tunc diſsimulauit, & ad ſtrepitum regem acclamantium, nulla ſuorum cum rege pactorum ratione habita, non modò nihil interceſſit, aut prohibuit, ſed nulla animi offenſione oſtẽſa, Nauarrum poſtmodum ad ſe vocatum benigniſsimè, & comiter tractauit, & quid in ſingulis rebus faciendũ eſſet, anteq̃; nauigaret, edixit. Tamen poſt aduentum ſuum, literas ad regem Compluto dedit querelarum plenas, quibus & Nauarri iniurias, & rapacitatẽ expoſuit. Illud etiam rumore percrebuit, obieciſſe Nauarrum Ximenio tenacitatem, & minus liberalem animum in ſtipendijs numerandis, cùm vt diximus, vniuerſam prædã, nulla eius parte ad vſus ſuos ſepoſita, auferendam Ximenius benignè militibus conceſsiſſet: & quicquid ad victum & ſtipendia pertinebat, die quo Carthagine ſoluit, in trimeſtre tempus largiſsimè prouidiſſet. Qua de re in epiſtola quæ altero poſtquam Carthaginem redierat die, ad Lupum data eſt, ſic ait. Dum hæc ſcriberem literæ tuæ mihi redditæ ſunt, in quibus vanos ſermones & mendacijs refertos legi, qui à noſtris æmulis de exercitu parum benignè à me curatõ impudenter iactantur, eos tibi contemnendos eſſe duco: ſimus factorum conſcientia contenti, ſiquidem nunq̃; exercitus, aut ſtipẽdiorum ſub manu numeratione, aut commeatu militari, vt hic noſter abundauit: vt nihil interim de diſciplina caſtrenſi dicam, quæ citra arrogantiam, vel cum antiqua comparari poteſt: quoniã hæc omnia eadem frontis firmitate, qua ab hominibus impudentibus dicuntur, à nobis itidem ſunt prætereunda. Deum opt. maximum precemur vt quæ reliqua ſunt Africani belli eodem curſu & tenore perficiantur. De quo quidem ſpem præclaram habeo, quandoquidem qui ſcrutatur corda Deus, omnes meos conatus in ſe vnum dirigi nouit. Sed tu regem admoneto vt ſuis triremibus, quibus Solerium pręeſſe voluit, quã primum prouidendũ curet: carent enim

Universidad de Deusto Biblioteca

omni commeatu. Nam ni ego optimi ducis, qui reip. multis in re bus vsui esse potest, misertus essem, & panis nautici octoginta contulissem centipondia, milites inedia perijssent. His igitur de rebus Ximenium commotum, ne toties sibi cum hominibus illis quos ad eum modum bella efferauerant, esset colluctandum, primo quoq; tempore in Hispanam traijcere decreuit. Certè in suis ad regem, & procuratores epistolis, hác potisimá causam discedendi affert. Ad Franciscum Ruizium, qui ad regem internuntius venerat, in hunc modum scribit. Vtinam quod me sæpe dicentẽ audiuisti, meæ diœceseos & Murgitanæ prouinciæ militibus contentus, expeditionem Africanam suscepissem, neq; vnquam in mẽtem venisset, Italico bello assuetas legiones accersere: vel si id tandem necessarium erat, mihi cum illis bene, aut saltem non adeo malè conueniret: nã huic rei me deuouerem, & census, & opes impenderem, vt vniuersam Africam superaremus. Hisce verbis planè assentirẽ (sunt enim sine vllo fuco, ex animi sensu, vt apparet, deprompta) nisi constantior opinio fuisset, literarum fasciculum, quem rex ad Nauarrum dederat, in Ximenij manus primum deuenisse. Nam dum quicquid accidere potest prudenter timet, portus præfectis iusserat, vt quicquid literarũ ex Hispania veniret, ad se primũ diligẽter curarẽt deferendũ. Rex igitur Nauarro per literas mãdabat, vt tãtisper Ximeniũ à traijciẽdo auerteret, dũ eius præsentia rebus agẽdis necessaria foret. Id homo senex & ob atram bilem suspiciosus, in suum damnũ & pernicié tractari credidit, quasi laboribus imparem breui moriturũ Ximeniũ rex diceret. Ergo se ætate ferme extrema esse vidẽs, & anni tẽpus feruentissimũ instare, in regione prẹsertim ad Austrũ interiori, continuò metuere febres cœpit, & Nauarrũ, Villarroelũ, Didacum Veram, cæterosq; omnes tribunos ad se vocatos, benignè & perhumaniter alloquitur: discessusq; sui, quẽ illis statim futurũ significauit, speciosas causas permultas dat. Deinde Nauarrũ, sese illi cõcilians, supremũ imperatorẽ vocat, cui tanquã duci præstantissimo, totius Africæ subigendæ triumphũ decernendũ speraret, honorificè dicit: seq; tandẽ intellexisse, præsentiã suã, hoc est, hominis obseniũ cunctãtis, & morosi, ad subitas belli occasiones viuida ingenia & ætatẽ requirentis, minimè aptã esse. Præterea in rem totius exercitus futurum esse dicebat, si ipse in Hispaniam nauiget, nam apud regem sua authoritate opus esse, ad negotium vrgendum:

alio

alioqui vt sunt ministrorum regiorum ingenia & mores, se nõ dubitare, quin & duces, & milites sint rerum inopia laboraturi. Quare patienter sustinerent eius discessum, non tam suæ ætati aut valetudini parcentis, quam ipsorum commodis consulentis. Interim verò se vniuersum commeatum traditurum, quem in vsus proprios parauerat. Habere enim vini gręci apud se doliorum sex millia, totidẽq; triticeæ farinæ modios, & panis nautici numerosam molẽ: lardi item, & salitarum carnium, aliarumq; rerum nõ leuem copiam, vnde exercitus per aliquot menses non malignè ali posset. Addidit etiam, se pro certo comperisse, plusquam centum & tredecim scrobes, quos Siros vocamus, frumento plenos Orani esse. Post hæc, sermonem ad Nauarrum conuertit. Quod te (inquit) præsente quidã Genuensis affirmauit, centum scilicet & quinquaginta millia modiorum tritici in hac vrbe recondita esse: quorum notitiam almoxarifus (sic enim publicum quæstorem Mauri vocant) qui in tuis vinctis esset, & alter, de quo ego te priuatim admonui, habent. Quare non est cur id debeam in præsentia altius repetere, cùm tu id optimè scias. Quòd si hæc ita habent, vt planè credo, erit vnde victus exercitui plus quã biennio suppetat. Sed timeo ne magistrorũ nauticorũ vitio, qui captiuorũ ingẽtem numerũ in nauigia, & triremes ingesserunt, clam quæ ad manum sunt subripiantur: quod tu tamẽ solicitè pro tua diligentia animaduertes: scio enim te nullam illis peccandi facultatem in hac parte per socordiam concessurum. Sed ante alia dandam esse operam arbitror, vt tantum quotidie farinæ subigatur, quantum exercitus inopiam leuet: quicquid inde pecuniæ obuenerit, ad te vnum extemplo deferatur: quod tu murorum ruinis reparandis, nouis ædificijs extruendis, cæterisq; militiæ necessitatibus subleuandis, vt optimum imperatorem decet, es asseruaturus. De cadaueribus occisorum aut comburendis, aut humandis, ne pestilentia ex corruptione aeris orta, victorem perdat exercitum, non est cur moneam: nec de militibus quidem, per incursiones in terram hostilem faciendas exercendis: cùm tu optimè noueris, quantopere sit curandum ne exercitus torpeat: à te enim aliquãdo audiui, expedire vt cohortibus aliquot in vrbe quæ illam tueri valeãt retentis, cæteris legionibus stationes in castris per hortos suburbanos darentur: quod mihi admodum placuit, sic enim in continua futuri sunt vigilia ad vrbem, quæ tumultibus castrensibus libe

ra bea-

Universidad de Deusto Biblioteca

ra beatius aget, & melius imperatori parebit. Iam verò de pabulatoribus deligendis, qui maturas segetes in vrbem conuehant, antequam hostes qui illas demessue rant, & per agros passim iacere sinunt, aut auferant, aut igne comburant, vt vobis incommodent, tu ipse (vt audio) agere cœpisti, & mihi vehementer probatur. De litto re Mauritaniæ, triremibus & cæteris nauigijs, quæ facilè bis mille homines in armis circunferent, infestando, tu etiam sæpius coram me proposuisti, ni memoria vacillat. Ad reficiẽdas verò naues, quę solutæ sunt, tuis procuratoribus sexcentas auri libras appendi iubebo: quod post dimissam concionem factum fuisse, in epistolis suis scribit. Deinde Villarroello Alcazauæ custodiam cõmisit: qui permittente Ximenio, Alfonsum Castellam Complutensem ciuem vicarium designauit, trecentis militibus Castorlanis, & quinquaginta selectis equitibus ad præsidium datis. Ne quid tamen commeatus exercitui decederet, ex Castorlana præfectura, quæ propter Africæ vicinitatem, ex vniuersa ditione sua paratior ad eam rem est visa, farinæ triticeæ, cæterarumq; rerum ad victum opportunarum quicquid esset necessarium, donec rex arcis custodiæ prouideret, asportari iussit. Quod Villaroellum egregiè curasse ex Ximenij epistolis constat, in quibus ad regem scribitur, Alcazauæ præsidio in quintum vsq; mensem per Castorlanum præfectum esse prouisum. Hac Ximenij erga exercitum suum benignitate & cura, ita sunt vniuersi commoti, vt multis verbis deprecarentur, ne ipsos in regione inimica desereret: eius enim auspicijs ex Hispania profectos rem eo vsq; feliciter gessisse: nunc verò ad sui imperatoris absentiã, fortunæ quoq; mutationem timere. Inter quos, primus Nauarrus præ se ferebat, ob non ita pridem irreuerenter habitos sermones, pudorem & pœnitentiam quandam. Decimo cal. Iunias Ximenius ex Oranico portu in Hispaniam vela fecit: eoq; ipso quo soluerat die, mira temporis opportunitate, nullis præterquam suis familiaribus, & aliquot ministris comitatus, Carthaginem venit. Nam summa securitate littoribus nostris per ipsum parta, prætoriana cohorte in exercitu, & bona familiæ parte, ad vsum Castorlani præfecti relictis, ipse primus facti sui vtilitatem sensit, expedito & inermi apparatu traijciens. Septem diebus Ximenius Carthagine moratus est, in quibus dici non potest, quantam negotiorum molem confecerit, quàm diuersis rebus studuerit, quantum commodorum exercitui

citui cõparauerit. Primum enim ad circunuicina Tarraconẽsis, & Bæticæ oppida literas simul et nuntios misit, iubẽs imperatoria, quã ad eam rem obtinebat authoritate, vt quamprimum cõmeatum & cętera necessaria Oranum importarent, pretium vel iusto maius suscepturi. Quicquid farinę ex finitimis locis potuit corradere, & quicquid apothecarum vasa Carthagini continebant, Oranum asportãdum curauit. Quęstores item duos constituit, qui inter se mutuas operas dantes, alter cibarios panes vndecunq; posset, primum Carthagini congregaret, deinde Oranum ad alterũ transmitteret, qui pro vt res poscere videbatur, exercitui, & ciuibus stipe numerata distribueret, summam autẽ quotidie ad Nauarrum deferret, quemadmodum illi discedens promiserat. Villalupo regiæ classis procuratori mille nummos aureos cõtulit, vt Malacę itidem farinam coemeret. Dedit etiam celocem probè compactam, et instructã, qua crebras hinc inde vecturas faceret: & quemadmodum mercatores solẽt, ex pretio primo distractæ farinæ, aliam item coemeret. Tantum se in hoc negotio effecisse in epistolis ad regem testatur, vt cùm omnes certatim quicquid panis, aut farinæ Carthagine erat Oranũ detulissent, quo ipse die Complutum profectus est, ne offula quantumlibet magno pretio oblato Carthagini inueniri potuerit. Regem autem monet, vt ad eam oram maritimam certos homines mittat, qui eius exemplo rẽ vrgeant: cõsultiùs tamẽ esse, vt granum transferatur, quàm aut farina, aut panis cibarius. Dum ista agebantur, literas à suis accepit, quos Orani reliquerat, quib° certior factus est, quemadmodum nauium magistri, quorum operam & nauigia in bimestre tempus conduxerat, & integram mercedem soluerat, multò ante quàm pacta conuenta implerent, easdem naues cum nauicularijs, & cæteris instrumẽtis, mercatoribus & alijs vectoribus locasset trãsuehendis, præsertim mãcipijs, & multa supellectili ex Orani præda, stipulatione inter ipsos facta, vt dimidia pars omnis prædæ traijciẽdę nauium magistris cederet pro vectura, dummodo captiuos alerẽt donec in terrã exponerẽtur. Hæc autẽ cibaria, quæ tanto mãcipiorum numero satis esse potuerunt, ex publica annona fuisse subtracta His cognitis literas ad Nauarrum dat, quibus vt in ea omnia inquirat iubet, & magistros cogat per bimestre tẽpus, ex pacto vecturã facere, & postea ,ppter læsam quã dederat imperatori fidẽ, in tãtum temporis spatium sine vlla mercede seruire cogat, quãtum

Universidad de Deusto Biblioteca

tũ delicti grauitas ex poſcere videretur. Quin & ſarcinas eorũ excutiat:nã et furtim deducta præda,quã quęſtoribus regis nõ declarauiſſent,eisq; inſcijs,ad traiectionem cõuaſaſſent:& quæ vecturæ nomine acceperãt,centũ millib' nummũm aureorũ,quæ regio fiſco deberentur,æſtimari poſſe. Habere autem ſe panis nautici nõ mediocrẽ copiam,ſed tantiſper mittere diſtuliſſe,donec ea omnia ab eo cõfecta eſſe ſciret: neq; enim ſe velle quod ad militares vſus parauerat, in cauponantium vtilitatem cedere.De excurſionibus autem, multum ſe quoq; doluiſſe ait, nõ ita frequẽtes fieri,vt inter ipſos cõuenerat.Nam poſt ſuũ diſceſſum,ſemel ad ſextũ lapidẽ extra vrbẽ cum exercitu proceſſiſſe cognouerat:qui cum in ducentos Numidarũ equites,& octingentos pedites incidiſſet,& omnes ad vnũ potuiſſet trucidare,& ſuum exercitum pręda augere,maluiſſet ſine vlla dimicatione Oranũ milites reducere. Id qua de cauſa factum ſit, ab eo homine minimè formidoloſo,aut ignauo,pręſertim cũ militũ fortitudine,et numero ſuperior eſſet,nondũ aſſequi potuiſſe.Illud verò prudenti conſilio,vt imperatorẽ ſolertẽ decebat,Nauarrũ feciſſe,viros militares qui Africæ ſitũ, & illius gentis mores nouerãt, cum de hoc rogarẽ,diſſerentes audiui. Eſſe enim Numidis & Mauris ſolenne aiebant, paruã aliquã manũ nitidè veſtitã, & in equis hærentem meliorib', velut incautè procedentẽ præmittere,cuius deſpoliandæ cupidine hoſtes accẽſi, à maioribus copijs,ſubitò ex inſidijs erũpẽtibus,circunueniãtur. Eſt enim illa tellus ꝓpter depreſſas valles quibus abũdat,occultãdis militibus peraccõmoda.His omnibus multiſq; alijs,per Ximeniũ procuratis & ꝓuiſis,calorẽ Bæticæ regionis ſenili corpore,eoq; laboribus cõfecto ſuſtinere nõ valẽs,tertio calendas Iunias Cõplutum proficiſcitur. Sed ne maturæ fruges ob meſſorũ raritatẽ perirẽt,omnes agricolas,quos expõtificia ditione in militiã ſecũ duxerat,reducendos in proprios lares curauit.Homo enim circũſpect' et innocẽs ne quid detrimẽti ſuis ſubditis ferretur ſummopere curauit:vt exhac agricolarũ reductione quis intelliget,ſed multò aperti' ex teſtamẽti ſui tabulis,in qbus Ioãnẽ Martinũ Cardenã canonicũ Toletanũ,Didacũ Gonſaluũ Barcũ,duũuiros deſignat,qui vniuerſã diœceſim perluſtrẽt,& quicquid dãni Africani belli cauſa eius incolæ pertuliſſe inueniẽt,pecunia ſua extẽplo numerata reſarciãt. Hoc verò diligẽter fuiſſe procuratũ,ex ſecundis Ximenij tabulis,quas anno M.D.xiiij condidit ſatis cõſtat. Adeo hęc omnia viuẽs

facere

facere maluit,quàm teſtamẽto vt fierent cauere. Cũ iuſtis itineribus iam propè Complutum veniſſet, Petrus Campus Complutenſis gymnaſij rector, duos ex collegis obuiam ad eum ſalutandum miſit, qui eum ferme vnius diei itinere anteuerterunt,quod Ximenio gratiſsimum fuit. Menſa eos eo die excepit, vt Ildephonſi collegas ſolebat : vt indulgens pater,qui diu liberorum præſentia caruit, ad eos ſæpe vultũ conuertens,de rebus literarij gymnaſij interrogabat:quã tum cœpta ædificia aſſurgerent, qualẽ ſpem diſciplinæ promitterẽt, quantus numerus ſcholaſticorũ cõueniret, qualem vigorẽ adoleſcẽtum ingenia oſtentarent.Deniq;qui modò tubarũ ſtrepitu claſsicũ ſonantiũ aures occupatas habuerat, ad muſarũ modulos cõuerſus, totus erat in re literaria. Mirabantur collegę hominis prudentiã,nihil minus quàm glorioſum affectũ ob res geſtas præ ſe ferẽtis.Exiſtimauerãt enim nihil apud eũ eo tẽpore,niſi caſtra, & captiuos Mauros,et africã audituros.Ille verò premebat omnia iã acta alto ſilẽtio & de re pręſenti verba faciebat:donec Balbaſi',qui inter ſalutatores venerat,ex vultus pallore & macie occaſionẽ captãs, bene cõſultum fuiſſe dixit,quòd relicto tranſmarino & æſtuoſo cælo, Orano capta ad ſui cupidos tẽpeſtiuè redijſſet.Hîc ille quaſi exprobratã ſibi ignauiã interpretaretur,recõditũ animi ſenſũ aperuit.Nõ tu ſatis (inqt) animi mei robur Balbaſi noſti:dediſſes mihi fidelẽ exercitũ,ego fortaſſe nõ Orani modò,ſed totius Africę ſuperatæ victoriã, quãtunuis ſim corpore effœto,reportaſſem. Hoc idẽ & Friaſio primũ, deinde Lupo Aialę dixiſſe certũ eſt.Hinc Cõplutũ eſt profectus,cui tã ciues quã literarij ordines,obuiã perrexerũt,qui lætis ſalutationibus,incolumem reditũ & fœlicẽ victoriã gratulabantur.Præcedebant antiſtitem captiui Mauri,& cameli auro,argentoq; ex præda Africana onuſtæ.Volumina etiã Arabicis characteribus conſcripta, ad aſtrologiã & medicinam ſpectãtia,vt ſuã bibliothecã exornaret,Alcazaueę,portarũq; vrbis repagula,& claues,candelabra,& pelues Meſquitarũ,quibus Mauri ad ſuas lotiones vtũtur,& Arabici litui,quos annafilos vocamus.Multa ex his in tholo tẽpli diuo Ildephonſo dicati ſuſpẽſa fuerũt,quæ adhuc Cõpluti magno ſtudio viſuntur.Nõnulla etiã Talabricã miſſa ſunt,præſertim cuiuſdã Oranẽſis portę claues, quę adhuc Talabricẽſis vocatur,quoniã à Bernardino Meneſio talabricẽſium duce capta fuit, & in ſacello Deiparæ virginis quod extra oppidum eſt,vexillo rubro iuxta pendente,quod. lunam cærule

amvt

Universidad de Deusto Biblioteca

am vt Mauri ſolent inſigne habet, aſſeruari aiunt. Res erat ſanè ap
plauſu & ſpecie triumpho par: quam cùm celebrare Complutenſes
vellent, mœniorum partem diruerunt, quà Ximenius in oppidum
reciperetur. Tamen modeſtiæ ſuę memor, nullo pacto illac ingredi
voluit, quanquam Complutenſibus nimis deprecãtibus. Compluti
aliquot menſes valetudinis reſtituendæ cauſa, cõmoratus eſt: nam
Toletum quò religionis ergò venire cupiebat, ire noluit, ne immo
dicis honoribus quos parari nouerat, oneraretur: & vt ſalutationes
regulorũ euitaret, qui ad eam vrbẽ ſimulatq; Ximenius aduẽtaſſet
venturi credebãtur. Hac etiã de cauſa Pintiam, vbi rex aderat, veni-
re recuſauit. Homo enim ad res ſerias, & grauitatẽ factus, huiuſmo
di officijs, quæ ille inepta vocabat, nimis grauari ſe dicebat. Fecit in
terim eccleſiæ Toletanæ patres de aduentu ſuo certiores, & rogat
vt dierum aliquot ſupplicationes pro incolumi reditu ſuo decerne
rent: nã ſe eorũ puris ad Deũ precibus, in bellicis periculis vehemẽ
ter adiutũ eſſe dicebat: quæ ſtatim decretæ pro dignitate ſunt. Dixi
mus Fernandũ Verã Didaci tormentorũ præfecti filiũ, Orano cap
ta ad regẽ cũ Ximenij literis veniſſe nuntiũ, quod magni beneficij
loco Didacus pater à Ximenio habuerat: ſolẽt enim reges primos
huiuſmodi de rebus nuntios præmijs neutiquã contẽnendis donare.
At Fernãdus ętatis vitio parũ prudens, non admodum properabat,
ſed delicatè iter faciens ad multum diem dormiebat, à prandio lu-
debat alea, literarum faſciculum negligenter iacere ſinens. Eius in-
genium quidam ex militibus cùm abunde cognouiſſet, diſceden
tem, per veſtigia ſenſim & diſſimulanter inſequitur: & occaſione
oblata, primo aut ſecundo diuerſorio literas ſubfuratus, ad regem
properat, & præmia quę Veram capere oportebat, intercepit. Xi
menius verò iam bis ad eũdem lapidem offendens, Granatenſis æ-
thiopis memor, ob cuius deſidiam penè regiam beneuolentiã ami
ſerat, quanquam ob præſentem ſucceſſum nihil erat quod trepida
retur, tamen ne in parte aliqua officij ceſſaſſe videretur, Franciſ-
cum Ruizium, cuius etiam opera in Granatenſis æthiopis damno
vſum eſſe diximus, cum mandatis copioſioribus, pro vt res denuo
natę poſcebant, mittit. Nam cùm Zaratenſem iuriſconſultum, alte
rum ex militaribus duumuiris, cauſis Orani diſceptandis, ac iuridi
cundo præfeciſſet, literas querelarum plenas ab eo acceperat, de
ijs quę poſt eius diſceſſum, ab exercit' principibus, ſed à Nauarro po
tiſsi-

tiſsimùm, & Vianello gerebantur. Omnia ſcilicet per ſummã auari
tiam ab illis agi: quicquid frumenti aliũde deportabatur, ad eorum
horrea transferri: nihil niſi per ipſos Orani venale eſſe: quicquid fur
furum, & vitioſæ annonæ apud ſe haberẽt, miſerę plebi quo vellent
pretio diuendere. Rurſus Vianellum magiſtri caſtrorum authorita-
te vſum, edicto publico vetuiſſe, ne quid amplius commeatus ex lo-
cis vicinis inferretur. His denique artibus factũ eſſe, vt poſt tã proui
dam Ximenij de inuehendo commeatu curam, poſt tã largam pa-
nis nautici collatam ab eo copiam, in maxima rerum penuria verſa
rentur: ſeq; intercedentem, cùm ea quæ fiebãt indigniſsima eſſe exi-
ſtimaret, peſſumè ab illis acceptum, & vltima ſi quid vltra contende
ret, eſſe cõminatos. Quapropter ſe præfecturę munere abdicauiſſe,
facultate poſtulata magiſtratu depoſito in Hiſpaniã traijciẽdi. Id cũ
nequaquã ipſi cõcederetur, verebantur enim ne tam certo & do me-
ſtico teſtimonio, apud regem traducerentur, in ſummo ſe dolore &
ſqualore futurum interim, dũ per regem ab illis ęrumnis eriperetur.
Nã quod de Nauarri ingenio aliàs à Ximenio audierat: hominẽ ſci
licet eſſe vaſtũ, bellis & vitę caſtrenſi aſſuetũ, & rebus ciuilibus tractã
dis perquã ineptum, id ſe planè experimento didiciſſe. Quare daret
operã, vt aliquis moribus incorruptis, & rerum gerendarũ prudẽtia
inſtructus, ad rem tanta fortunę proſperitate partam conſeruãdam,
quãprimũ mitteretur. Quòd enim in tanta tumultuantiũ, & omnia
per ſcelus agentium militarium hominum confuſione, incolumis
Orani reſp. permaneret, Ximenij omnino in Deum adſcribere pie
tati, qui diuino magis auxilio, quã vlla humana ope vrbẽ illã cepiſ-
ſet. His igitur literis à Zaratenſi præfecto ſuſceptis, de his omnib' ad
regem ſcribit: & vt Nauarro imperatoriam poteſtatem quã ipſe cõ
tulerat cõfirmet, poſcit: ſed rerum ciuilium, & reip. gubernandæ curã
alij mãdet. Deinde neceſſariũ videri, vt ei qui Orani pręfectus eſſet,
Merſalcabiranus portus cederet: periculoſum enim exiſtimabat, eã
pręfecturã inter duos partiri: ne fortaſſe ex opinionum diſſenſione,
in tam cõiuncto negotio cõtra regiam maieſtatẽ, & publica cõmo-
da peccaretur. Idcirco ſecum cõſyderaret, an Didacus Fernãdus, qui
Merſalcabiranã cuſtodiã tenebat, & cuius in re bellica virtus, & in re
bus tractãdis induſtria perſpecta erat, ei negotio cõueniret: & tanti-
ſper dum de Didaco Fernando cõſultabatur, iuberet Nauarrũ ad in-
curſiones faciendas Orano egredi, vrbis cura Roderico Rogio, viro

Universidad de Deusto Biblioteca

forti,& vigilanti tradita,qui propter Didaci Fernandi absentiam,vi cariã operam in Mersalcabirana pręfectura dabat. Porrò ad vrbis custodiã duo millia peditum necessaria esse existimabat,equites verò trecentos:quanquam horum numerus in dies augẽdus videbatur. Quę verò cùm ad religionis,& Dei cultũ,tum ad officia tã priuata, quàm publica,& ad agros,domos,& peculia diuidunda pertineret, sic esse tractanda videbãtur,vt primùm sacerdotes templis iã dedicatis cooptarentur,quibus census & lares designarẽtur. Deinde colonos deducendos,qui regionis fertilitate,& cęli benignitate capti, vrbem saluam cuperent,& arua excolerẽt,& vt iam indigenę pro aris & focis depugnarent. Alioqui si ea peregrinis, & statim vendituris, beneficij & muneris loco erat daturus,frustra se tot labores suscepisse,cùm omnia breui essent ruitura. Porrò colonos ea lege Oranum esse deducendos,vt per continuum biennium pedem inde non moueant,nec abesse illis liceat vltra duos menses:si secus fecerint,ius colonię amissuros. Iam verò qui designati fuerint, intra duos menses Oranum ire teneantur. Publicus cẽsus,aut cõmunia pascua nemini vnquam priuato donentur,sed aut publicis vsibus reliquãtur,aut ad Dei cultum,& delubrorum. Quòd si commendatarij,vt sępius cum rege tractauerat,Oranũ tandem mitterẽtur,qui hostibus nostris oppositi oram maritimam tuerẽtur,vniuersæ proculdubio Africę terrorem incuterent. Se quidem permultum reip. interesse censere, vt quemadmodum ad Portugalliæ fines Alcantarenses, & in confinio Granatensium Oretani,quondam à maioribus nostris, quando Castella partim Maurorum vicinitate,partim Portugallensibus discordijs laborarent,cõstituti essent:& Rhodi Hierosolymitani,qui Turcarum regionibus proximi,eorum insultus & conatus retardarent: ita nunc quando diuino beneficio,atque ipsius felicissimo regno,intestinis tumultibus Hispania liberata est,& eius fines vltra mare prolati,saltem commendatarij sancti Iacobi,qui in Vclesano cœnobio sunt,& qui illuc solẽni ritu initiandi cõueniunt,Oranũ in nouũ cœnobium transmigrarẽt,in castris omnino futuri,donec post cõfecta vicesima stipendia,iam emeriti militia soluerẽtur. Hoc sanè si tunc regi placuisset,nõ modò Oranũ tutam haberemus,quę ob Turcarũ cũ Mauris cõiunctionẽ tam ancipiti custodia retinetur,sed de totius Africę possessione decertaremus. At rex sibi facultatẽ donãdi cõmẽdas,ea ratione adimi vidẽs,causis quęsitis,negotiũ vtile,& vt multis

videtur necessarium,quoad vixit distulit. De quo postea Ximenius rerum summę præfectus,quanuis crebros sermones habuerit, nihil tamen tentandum duxit,donec coram cũ Carolo de re ardua,& impedita ageret. Nam Carolus,qui militaris disciplinæ studio cum primis tenebatur,facilè Ximenio assensurus videbatur: sed morte ante regem conspectũ pręuẽtus,hæc & alia multa,cum maximo reipub. incõmodo,imperfecta & informia reliquit. Iuxta pręscriptam à Ximenio formam,omnia propemodũ à rege sunt curata. Nam de colonis deducẽdis,de agris diuidundis,de vtraq; pręfectura Didaco Fernando tradenda,è vestigio sunt cõfecta. Quæ verò ad religionẽ ad publicos mores,ad reip. officia spectabãt,ferme intra triennium cõstituta sunt. Nam regiarum tabularum exempla,tertio ab hoc anno qui duodecimus eius seculi erat,data,& deinde per tabelliones Onofrium Garsiam,Melchiorem Nonnium,partim anno quatuordecimo,partim decimo,sub Alphonso Fonseca Archiepiscopo signata, apud me habui,nunc verò ea Compl. Academia tenet, in quibus ex Hispania coloni Oranũ deduci,agros ipsis & Maurorum prędia diuidi,sex sacerdotes in templo maximo sacris more Christiano faciũdis cooptari,quibus itidem sex domos dari iubentur, prope templũ ipsum quoad fieri posset,ad accõmodam habitationem hominũ religiosorum. Alcazauę & Castello,quod ab altera parte vrbis Trimesenium versus Didacus Vera prudenti consilio, statim sub discessũ Ximenij exędificauit(Razalcazar,quasi minorẽ arcẽ, Oranienses appellant)singuli sacerdotes deputari mãdantur. Pace igitur & ingenti tranquillitate littoribus nostris ex Orani captiuitate cõstituta, dum Ximenius Cõpluti ędem musarũ,quã felicibus auspicijs exorsus fuerat perficere animum intendit, non cessabat regem adhortari, ne exercitui Africano deesset,& recenti victoria exultantibus militibus fauore suo vires adaugeret: nam debilitatis Maurorũ animis, victorẽ exercitum facilè reliquã maris Africani oram in potestatẽ suã redacturũ. Quod & anno insequẽti factũ est:nam eo ineunte, sub nonas Ianuarij,die ob Magorũ adorationẽ religiosissimo, Bugia vrbs celeberrima à Nauarro in Africa capitur,quã nõnulli Iuliã Cęsareã, Iubę quondã regiã,esse putãt. Ea non minus Hispanis quã Oranum infesta erat,muris altissimis antiquitatis venerãdæ cingebatur,nam Romanã esse structurã lapides ipsi testãtur. Copiosior illã, & ditior populus quã Oranũ incolebat,sed minus bello exercitatus, magisq;

Universidad de Deusto Biblioteca

delitijs & voluptatibus deditus. Nōnulli inter quos est Io. Leo Africanus scriptor, minimo negotio rege cōtinuò cū omnibus ciuibus in fugam conuerso, captam fuisse dicūt. At ex nostris Petrus martyr author est, aduentu Nauarri cognito, fœminas, senes, pueros, & omnē bello inutilem multitudinē vrbe à Bugianis pulsam, cæteros qui cū rege remāserant, ducentis tormentorū machinis super mœnia vrbis collocatis, vnde lapides, ferreiq; globi in nostros cōtorquebātur, primo fortiter restitisse, regēq; ipsum non cōtemnendo cū peditatu, tū equitatu, mōtem vrbi adiacentē occupasse, vt maiore vi ex superiori loco in Nauarri exercitū irrueret, sed omnes machinarū quę in mœnibus collocatæ erant iaculationes, magistrorū tormentariorū imperitia irritas fuisse: qua occasione nostris locū è nauibus egrediendi esse datum: qui bene stipati, & crebrò sclopetarū & scorpionū iactu, in cliuum quē rex tenebat processerunt. Cùm ergo nō mediocriter plumbeis globulis, & sagittis exercitus Maurorū perturbaretur, vbi cominus vētū est, & hastis atq; ensibus agi cœptū, vim nostrorū Mauri nō tulerūt, sed ad vrbē vniuersi se recipere laborabāt. Hispani perniciter hostes insecuti, illis commisti vrbē vnà ingrediūtur, eamque tandē victores capiunt. Petrus Arias cognomento Iustator, quē inter coronellos recēsuimus, suis pręclaro exēplo fuit: nā inter primos murū conscēdit, & Maurorū signifero deturbato, illius vexillo arrepto suū substituit: & præsidiū quod prope aderat, admirabili præstātia occupat. Res accidisset nostris felicissima, nisi Rodericū Moschosum Altamiræ comitē, acerbo mortis genere eo pręlio desiderari cōtigisset. Hic nō hostili vulnere occidit, sed Hispani militis medicata sagitta, quā in scorpij vmbilico aptauerat, & oculos in hostes, occasionē feriendi captās, conijciens, minus qui à tergo cōfertim premebāt cauens, sagitta emissa est ipso nolēte, & Moschosum inter primos fortiter pugnantē lethali vulnere percussit. Ille oculis in cęlū sublatis, gratias Deo immortali egisse dicitur, quòd pro Christi religione aduersus Mauros dimicans occūberet. Vnū pręmaturę & asperę mortis solatiū suscipere se dixit, quòd nō illico cadēdi illū fuerit: nā interea dū spiritus superaret, tale suæ specimen virtutis erat daturus, vt meritò esset à suis cōplorandus. Ergo cæteros exhortans in hostes processit, tātumq; manu dū potuit peregit, vt magna pars victoriæ, quā nostri eo die sunt cōsecuti, Moschoso è Nauarri testimonio debeatur. Cōmuni totius exercitus luctu, eius corpus sepulturæ datum est,

est, & fortissimus iuuenis pręstātis Imperatoris voce in totius exercitus cōspectu funebri oratione, est laudatus. Eius mortē postquā resciuit Ximenius molestè tulit: nā in Oranica expeditione, cùm viuidū in iuuene animū animaduertisset, ei primas partes post Nauarrū in exercitu detulerat. Erat iā cūctis Africæ nationibus Nauarri nomen cū primis formidabile: qui his successibus elatus, regē Bugianū quinto post mense vrbem suā recuperare molientē, castris spoliatū adeò potēter fregit, vt nihil postea hostile tentauerit: sed regno & fortunis exutus, priuatā vitam inglorius egerit. Ibi rursus Petri Arias virtus emicuit: nā præsidio quod occupauerat per Nauarrū pręfectus est, & barbaris per octo horas pertinaci cōtentione oppugnātibus, hostiū impetū sustinuit, egregieq; locū cōmissum est tutatus, quinq; dūtaxat militibus adiuuātibus: nā cęteri ægrotabāt. Idcirco auitis suę familiæ insignibus castellū addidit, septē hostiū scalis admotis, quas ipse ferramētis sustulit. Hic est ille Arias, qui aduersus noui orbis anthropophas, quos Charibes vocant, classe à Ferdinādo catholico rege suscepta missus est. Huius factū sub mortis tēpus percelebre & inauditū aliàs fertur. Diutina, & insanabili ęgritudine correptus, crebrò ad sacra audienda in tēplū ibat, vbi eius sepultura effossa & aperta erat, in quā quotidie peractis sacris descēdebat, iacebatq; quātus erat: deinde lustrali aqua aspersus, & funebribus precationibus expiatus domū redibat. Hoc se facere vxori & amicis dicebat, vt sic paulatim assuesceret illiusmodi habitationi, quę sibi tā diuturna futura erat. Fuit quidē magnū intrepidi animi argumētū, toties terrā subijisse, & parē tationes audijsse. Quāq; si quis rē penitius rimetur, poti' huiusmodi facta atrę bili adscribet, quā vlli animi virtuti. Pari cū Bugiano successu, tertio post mēse. vj. Calen. Augusti, Tripolis per Nauarrū capitur: eiusq; vrbis pręfectus vnà cū familia, captiui Mesanā in Siciliam mittūtur, vbi aliquot annos in custodia habiti, tandē à Carolo. V. Imperatore (vt erat admirabili humanitate) Tripolim libertati pristinę restituti redierūt. Ob huius vrbis captiuitatē nō modò Hispanię rex, & Ximenius victorię particeps ingentē lætitiā susceperunt: sed cùm Pōt. Max. ad vrbē hęc ipsa nuntiata fuissent, adeò ei & senatui Cardinaliū grata acciderunt, vt aliquot dierū supplicationibus decretis, ad diuorū puluinaria publica omnium lętitia sit processum, regis catholici magnanimitatē, Hispanā virtutē, & Ximenij præstantiā collaudantibus, quē harum rerum suasorē, & perpetuum apud regē instigatorem

Universidad de Deusto Biblioteca

gatorẽ esse cognouissent. Ante tamẽ mẽsibus aliquot, dum eã oram orientẽ versus Nauarrus circũnauigat, ad Cercinnã insulã Lotophagitis proximã, Vianellus vir prestãti animo & robore preditus, & rerũ bellicarũ notitia clarus, parũ cauto & prudẽti ausu, morte miserrima trucidatus est. Nã cùm. X. Calen. Martias ad eam insulã Hispanorũ classis deuenisset, oppidis quidẽ vacuã repererũt, vt nostra etiã tẽpestate est, tantũ enim sunt frequẽtia pastorũ mapalia, aliquotq; itẽ ex Mauris agricolę, qui partim gregibus alendis, partim terrã excolẽdo vitã inermem agũt. Huc Nauarrus appulit, vt classem aqua indigentẽ subleuaret. Ergo Vianellus aquationẽ facturus egreditur, & loci situ circũlustrato tres dulcis aquę puteos reperit: ad eos explorandos Nauarr' accessit, erãt autẽ cœno oppleti, nã postquã Mauri alios puteos interiùs effoderãt, hi neglecti erant. Postero die, qui iã tertius ab accessu in insulã erat, Vianellus excitatus à Nauarro obnixè cõtendit, vt sibi aliquot militibus datis, curã puteos expurgãdi, & aquã ad naues inuehẽdi demãdet. Annuit Nauarrus. Ille verò quadringentis militibus assumptis, ita gnauiter in eo se gessit, vt circiter meridiem opus susceptũ absolutũ dederit. Ergo fossis puteos circũdat, & in orbẽ hastas defigit, interpositis alternatim sclopetis. Vbi Nauarrus eò aduenit, spectaculo delectatus, Vianellũ id impensè efflagitantem ad puteorũ custodiã reliquit. Animo id parũ lubenti Nauarrũ fecisse testimonio satis magno est, quòd inde discedens dixisse fertur: rẽ quã forti animo Vianellus cõfecit, temerario & iuuenili cõsilio tueri studet: facilè enim è nauibus in terra hostili, velut canes in Nilo, aquã sumeremus. Vianellus dũ puteos expurgat, signiferũ nõnihil in re demãdata cessantẽ, nõ modò verbis duris homo superbus & iracũdus obiurgauerat, sed pugnis insuper & vulneribus additis, barbę pilos per cõtumeliã vulserat: is indignis modis sic leui de causa à Vianello tractatus, quanuis eo tempore iram conceptam dissimulauit, impia proditione iniuriam illatam vlcisci decreuit. Igitur sub primis tenebris ad agricolas Mauros qui Cerinnam incolebant profectus, se Hispanorum ad puteos custodiam, sine vllo negotio in manus traditurũ pollicitus est. Nocte intẽpesta signifero ducẽte, Mauri exploratoribus sine vllo strepitu prę̃missis, cũ Hispanos nihil minus quã irruptionẽ inimicã cogitantes, somno oppressos esse cognouissent, in eos irruẽtes, tribus dũtaxat exceptis, vniuersos obtruncãt. Ex his alterum ad regẽ Tunetis, alterũ ad Xecũ Lotophagorũ regẽ, veluti de nostris triumphan-

triumphãtes mittunt: tertius ex vulneribus susceptis penè exanimis, inter obtruncatos relictus est. Reuertebãtur interea viginti milites, qui ad naues cõmeatus deuehẽdi causa, eo ipso die sub solẽ occidẽtẽ à Vianello ire iussi fuerant. Qui barbaras voces Maurorũ audiẽtes, & quid accidisset statim cõiectantes (quod in tenebris facilè fuit) quà cõmodè licuit, sese occultauerunt. Mauri dilaniatione nostrorũ prę̃ter spem tam ex voto facta, sulphure sclopetarũ incenso, ingentẽ sonitum exultantes excitarunt. Nauarrus qui Vianelli, & militũ in Insula degentiũ solicitus, somno interrupto noctem anxiam illã trãsegerat, vbi parum apta tẽporis hora (erat enim matutinũ crepusculum) sclopetarum sonitum audiuit, extẽplo perculsus, sagatus vt in castris dormire cõsueuerat, èlecto prosiluit, & classicũ incinens vniuersum exercitum ad terram eduxit. Mauri tamẽ, qui ob victoriã adeptam elati, rectà in littus ad naues properabant, vt si nostros negligẽtes offenderent, pari successu opprimerent, simulatq; Nauarrũ acies suas instruentẽ conspexerunt, terga dantes, ad interiora insulę, in latebras & antra se recipiũt. Ille autem noster, qui inter cadauera semimortuus remanserat, vt Mauros fugientes vidit, necessitate vires sufficiente, ad nostros reptans vix tandẽ peruenit. Is deficienti & collapsa voce, tribunum quendã militarem, & Franciscanũ monachum alloquitur: quibus Vianelli cõtumaciam, signiferi proditionẽ, Maurorum aduentum ordine exponit. Sed ante omnia Vianellũ culpat, qui læsi militis & iniuriæ illatę immemor, vigilias procul à castris posuerit, quas hostes inopinantes oppresserũt: oportuerat enim milites etiam intra castra cõstituere, qui per solidã noctẽ excubarẽt. Ad ea cognoscenda Didacus Pacciecus tribunus militaris, cum exploratoribus à Nauarro mittitur, à quo postquã de omnibus abunde certior factus fuit, dissimulato dolore, vt exercitus naues protinus conscendat iubet, & anchoras euestigio soluit. Nihilo infractior eo casu Nauarrus, Tripolim, & postea Lotophagorũ insulã, quę Meninx dicitur, Sicilię littoribus infestam, vastare instituit: quo metu Neapolitanæ triremes liberatæ, quas ei orę rex Ferdinãdus, paulò ante in Italiam veniens prę̃posuerat, faciliùs mare Tyrrhenũ nauigaturę erãt. Minimo negotio eam insulam in potestatem suam redacturus Nauarrus fuerat, nisi Garsias à Toleto, Albani reguli maior natu filius, fortis animi & magnæ spei iuuenis, sub procinctũ ipsum aduenien infausta & immatura morte Nauarri consilia prorsus interuertisset.

Universidad de Deusto Biblioteca

set.Nauarrus enim solis declinationem expectandam omnino cen sebat,erat enim sub extremũ Augustũ dies diuo Augustino sacer,no stris tamen ater & nefastus. Lotophagi quid hora diei feruentissima futurum esset prẹuidentes,situlas,aheneos vrceos,& alia id genus va sa hauriendẹ aquẹ accõmoda,funibus appensa sitibũdis iuxta puteos apposuerunt,vt aquam morte emerent. Si quidem dum æstuantiũ præcordiorum rabiem aquæ hạustu extinguere certatim laborant, quanuis ex insidijs prodeuntes Mauri equites in corpora eorũ vndique sẹuirent,nullis vulneribus inflictis ab aquis depelli poterant, nec vllum mortis genus recusabant:miserandũ sanè spectaculũ , ipsisq; etiam trucidatoribus horrendum.Circiter.iiij.millia egregiorũ militum,cum suis tribunis & ducibus, pauci ferro,siti cõplures & arenosẹ terræ voraginosis specubus(vt Martyr scribit) submersi perierunt. Si qui tamen ad naues se receperunt,eadẽ semper fortuna persequente,cùm nihil humoris quod haurirent inuenissent , ferme omnes siti sunt enecti. Nam dum fœminẹ quæ in nauibus erant, Insulæ vastationem proculdubio futuram credunt,lauãdis vestibus & vasculis,omnẽ ferè classis aquã effuderãt. Discedit inde Nauarrus mœrens:Meningem insulã, cui arbor lotos in ea multa iam Homericis temporibus nomen dederat,olim Cẹsarum creatione nobilẽ , nunc verò clade Hispanorum infamem,diris,vt nefastam,execratur. Erat in Lotophagite Gerapolis vrbs, hinc fortasse tota insula Girba appellata est,sic enim illam Eutropius rerum Romanarũ scriptor vocat.Hinc Nauarro prima mali labes:nam cùm eius fraude id accidisse vulgò iactaretur,rex Ferdinãdus vt Albano regulo gratificaretur,tertio deinde anno Nauarrũ cruento illo prælio ad Rauennam habito captum,neglexit.Sic ob priuatam & commentitiã,vt nõnulli arbitrantur, causam,fortis miles & prẹstans Imperator , qui reip. multis in rebus opera egregiè nauata profuerat,adhuc firma ætate, in squalore relictus est:donec postea Gallorum partes secutus,rursus à nostris est captus,& Neapoli in custodia vbi asseruabatur,tẹdio vitẹ mortem sibi consciuisse creditum est.Cuius cadauer,quod inglorium in tẽplo sanctæ Mariẹ nouẹ,priuato in loco iacebat, Dux Suessanus in sacellum magni Gonsali,quod in eodem templo est,transtulit,constructo etiam magnifico sepulchro, & epigrammate insculpto,quod sic habet.Ossibus & memoriẹ Petri Nauarri Cantabri,solerti in expugnandis vrbibus arte clarissimi, Gonsaluus Ferdinãdus Ludoui-

Ludouici filius,Magni Gonsalui nepos, Suessẹ princeps, Ducẽ Gallorum partes secutum pio sepulchri munere honestauit:cùm hoc in se habeat prẹclara virtus,vt vel in hoste sit admirabilis. Hunc ergo vitẹ exitum Nauarrus & Vianellus habuere, qui Ximenij glorię , & virtuti inuidentes,malam illi gratiam acceptorum beneficiorũ retulerunt,ingrati animi,ne dicam impij,abunde testimonium dãtes.Est epistola Zarati iurisconsulti,qui Orano prẹfectus fuit,ad Ximeniũ, cuius extremi versus ad hanc rem facientes,sic habent. Cùm tot beneficiorum generibus à te Nauarrus,atq; eius intimi,quos satis nosti,decorati & subleuati sint,nam ni tu prouidè & perhumanè annonẹ castrensi subuenisses,ipsi cum exercitu omnino fuerant perituri, tamen sic verbis amaris in te debacchantur, ac si vxores eorum rapuisses,aut maiorum monumẽta violasses,aliquidúe in eos atrocius gessisses:hẹc vna causa me in primis cogit,vt missionẽ ab hoc loco vel importunè flagitẽ. A Vianello magistro castrorũ cauendũ tibi esse censeo:nihil enim syncero,nihil amico,nihil candido in te animo facit,aut loquitur. Hic ergo tunc erat rerum nostrarũ in Africa status.Ximenius postquam Orani victoriam non ita recentem in hominum memoria esse credidit, & se minus seris gratulationibus obtundendum , Compluto Toletum patrum desiderio satisfacturus venit:sed in primis,vt vota quẹ in periculis transmarinis cõstitutus vouerat,in virginis Deiparæ templo maximo , vbi illa coli gaudet,supplex redderet. Durant ad nostram ætatem sacri dies,in monumentũ Africanæ victoriæ instituti,quibus postridie dominicæ Ascẽsionis,atque altero insequenti,tẽpli maximi sacerdotes sacra in crucis dominicẹ honorem,& Ximenij suorumque propinquorum parentationem,faciunt,amplis reditibus in hoc contributis. Ad sacrã verò templi Toletani supellectilem renouandam,tria nummorum aureorum millia anno eius seculi.xiiij.per duumuiros testamentarios donari iussit, pecunia à Didaco Samartinio quẹstore pontificio, statim numerata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE REBVS GESTIS

LIBER QVINTVS.

HAEC vbi rite peracta sunt, de Bastetana ecclesia, quam nunc Bazam vocant, ab Episcopo Acitano extorquenda, quę fauore reginę Isabellæ, sub Gonsaluio Mendozio, Archiepiscopo Toletano fuerat occupata, Ximenius apud patres capituli egit: cũcta templi sermnia, ad antiquas tabulas proferendas, in quibus Bastetanę ecclesiæ mentio esset, vt excuterentur curauit: atque de ipsa repetenda patrum sententijs decretum est factum. Deinde Ilescis ędem sacrarum fœminarum Deiparę virgini dedicandam curauit, annuis prouentibus perpulchrè instructam. Post aliquot verò dies Complutum redijt, de absoluenda Academia solicitus. Interea duo negotia, vt sunt res mortales in vtranque partem alternæ, permolesta illi acciderunt: alterum cum Episcopo Oranensi, de ecclesiæ Oranicę possessione: alterum cum rege nostro eam vrbem regiæ ditioni vindicare cupienti. Durę partes Ximenij in hoc erant, nam propter regis ad hanc rem studium, impar Ximenius negotio habebatur. Rursus proceres, qui fasciculum literarum à rege ad Nauarrum missum in Ximenij manus venisse suspicabãtur, regem Ximenio infensum futurum facilè credebant: quod vt euenirет, omni studio conabantur. Nondum illorum procerum animi, quos Ximenius, in gratiam regis prudentissimè compresserat, pacati erant: idcirco peropportunam vtrunque committendi occasionem quamdiu optauerant, nacti esse videbantur. Ergo causis vndecũque conquisitis, hominem de rege, deque rep. ipsa benemeritum variè exagitare non cessabant. Rem etiam aliam occultis cuniculis agebant, vt subuerso scilicet Ximenio, faciliùs regem postea deturbarent. Quare Ferdinandum, sponte sua Ximenio iniquum, ita grauiter nouis calumnijs perpulerunt, vt impensæ quæ ad Africanũ bellum, per Ximenium (vt diximus) sunt factæ, & ex pactis conuentis statim illi soluendæ erant, tunc ea de causa denegarentur. Opponebant regis procuratores Oranicam prædam adeò fuisse opulẽtam, vt Ximenij sumptibus par esse posset: remque periniquam futuram, si postquam gloria & diuitijs onustus Orano venisset, à rege alteram

ram mercedem impensarum postularet. Ille contrà nil se ex præda abstulisse asseuerabat, præterquam Arabica quædam volumina, nonnullaque alia magis speciosa, quàm vtilia, quæ ad victoriæ monumentum Compl. asseruabantur. Quòd si impensarum regem pœniteret, cederet Orani possessione Pontif. Toletano, & se omnem sumptum remissurum. Videbatur nonnullis hęc conditio neutiquã regi reijcienda, Ximeniumque nouæ victoriæ causa hallucinãtem, haud satis consyderare, quantum negotij & sumptus, Pontif. Toletanis incuteret, ea vrbe tradita, quę perexigua emolumenta esset allatura: imò verò quæ in regione hostili trans mare constituta, assiduis incursibus impetenda foret, & nouis subinde sumptibus defendenda. Non displicebat regij census procuratoribus ea sententia, qui regis patrimonium liberare ab impensis cupiebant. Nam Toletanam ecclesiam imparem futuram videbant ad Oranum diutius tutandam, & necessariò regis opem imploraturam, aut oppidum minimo addicturam. Alij verò, quibus instituta maiorum magis nota, & quibus sanior mens & consilium erat, neutiquam sumptus aut impensarum causa, aliquid regi esse committendum aiebant, ob quod aliquando dolere posset. Meminisset enim illam miseram Hispaniæ vastationem, non aliam ob rem magis accidisse, quàm quod scelestus Iulianus Spartariæ comes, & Tingitanię prouincię præfectus, illac aditum in Hispaniam Mauris dederit. Videret ergo ne Orano tradita, prę̃sertim si portus custodia Orani præfecto, vt Ximenius petierat committeretur, in talem aliquando fortunam rex incideret, qualem infelix Rodericus passus fuit. Quòd si præsules, aut homines alioqui sacros, fideliores esse existimabat, meminisset etiam Oppam Toletanum Antistitem, Iuliani conatibus eo tempore in primis inseruisse. Præsertim cùm iam diu Hispaniæ regibus vsitatum ac penè solenne, legibusque cautum fuisset, ne limitanea præsidia, aut oppida, vllis vnquam priuatis darentur. Idcirco vt de cæteris sileretur, Agredam oppidum in Aragoniæ confinio positum, à Montacutanis comitibus ablatum fuisse, & eius loco Almazanum suffectum. Bastetanam item vrbem mari proximam, & Africæ oppositam, ab Archiepiscopo Toletano detractam Vzetano oppido pro ea substituto: quę res necessaria semper est habita, vt cùm Garsias Iuãnius Pantussa, Toletanę vrbis ciuis & prę̃fectus, in Murgitana prouincia

Universidad de Deusto
Biblioteca

prouincia præsidia mari vicina posideret, Niuellam scilicet, & Neopotum, Alphonsus rex cognomento sapiens, illis sibi vindicatis, Maganũ, & Mozejonium, vicos Toleto proximos, Iuanio dederit: vt ex tabulis regijs, quas rotatas vocant, apud Iuanij successores, qui Pantussarum nunc appellationem in vrbe nostra tenent, videre licet. Addebant huius sententię suasores, quòd si aliqua fortè obijcerentur, quę in talibus locis sitæ priuatorum hominum possessiones essent, vetustiores causas ad ea prętendi, quàm vt in presentia cõuelli deberent. Vicit hęc tandem apud regem sententia, & illico de impensis reddendis actum fuit: quas quanuis malignè & vix extorserit, redditę tamen Ximenio fuerunt. Mittitur interea Complutum executor regius, qui primùm cunctam Ximenij supellectilem excutiat, deinde priuatorum hominum, qui prędę participes fuisse credebantur. Id autem impotenter ab eo, & contumeliosè, per Antistitis Toletani oppida, vbi militum delectus habiti fuerant, factum esse à maioribus accepi. Nam mãcipia, quæ sub corona venierant, Maurica stragula, Numidicę vittę, & quicquid deniq; aut pretiosum aut vile prędę cesserat, rursus fuit in aceruum redactum, vt inde regi quinta pars tribueretur. Res fuit Ximenio grauis & molesta, præsertim cùm iniqua & indigna cõtingeret: si quidem maior pars exercitus cum Imperatore Nauarro, & tribunis militaribus in Africa mãserat, quibus præda opulentior, & nitidior cesserat. Nũc verò tenues homines & agricolæ vexabantur, qui dum à peculio & opificijs suis absunt, plus ex re familiari amiserant, quàm ex præda in bello comparauerant. Exigebãtur etiam à Ximenij quæstoribus rationum libelli, in quibus subducendis multò parcius, & tenuius agebatur, quã in cumino secando, iuxta veterem parœmiam, sordidi homines & auari solent. Hęc ille ita forti animo & generoso tulit, vt nullam offensę patientiæ significationem, nullam vocem, aut arrogantem, aut superbam ediderit. Reuocabat enim in memoriã, prisca Themistoclis & Scipionis exempla: & quod magis eum cõsolari poterat, ęqualis sui Gonsali ducis cognomento Magni, qui nuper Neapolitani regni præfectura relicta, ad similes scopulos cũ regij census procuratoribus in reddendis rationibus impegerat: etiam si qua erat hic ingenij dexteritate & elegantia, facetis dicterijs contumelias circa eam rem illatas vrbanè eluserat, Ximenij tamen virile pectus paria cum Gonsali dexteritate faciebat. A regijs ergo rationibus expli-

explicatus, gratias pro redditis impensis egit: & ad omne deinceps obsequium se paratum & promptum est pollicitus. Quod vt erat magnanimi & excelsi spiritus, multiplici officio in rebus quæ postea emerserunt, iniuriarum oblitus præstitit. Alterum verò negotium quod Episcopus Oranensis facessebat, ab hoc principio occasionem, non omnino temerè ab aduersario animaduersam, habuit. Aliquot retro annis priusquam de Orano capienda ageretur, Lodouicus Guilielmus ordinis Franciscani sodalis, Episcopus per Pontif. Max. creatus est titulo Aurensis diœcesis, solet enim huiusmodi Episcopatus tribui titulo tenus, donec vrbes illę ad Christianos iure postliminij redeant. Cùm igitur Guilielmus passim Aurienſem Episcopum se vocitaret, isq; Oranensis tum ab ipso, tum à vulgo omnibus esse crederetur, simulatque Oranum nostrorum virtute in potestatem Christianorum venit, veluti nihil iniquum, aut alienum petens, sed potiùs iure sibi acquisito vtens, litem Ximenio intendit: nam nihil precibus, aut fauore effecerat, de Orani ecclesia, quàm suã esse credebat repetenda, ad quod Pontif. Maxi. diplomata ostendebat, quibus illico vt Oranum capta est, ei se ritè sufficiendum curauerat. Ximenius verò, qui rem quam arcu suo (vt sacræ literę loquuntur) atque adeò militum suæ ditionis sanguine, & sudore pepererat, ex conditionibus cum rege Ferdinando pactis, diœcesi Toletanæ applicare, & coniugare in primis operam dabat: vt vel eius possessionis memoria, succedentes Antistites ad res consimiles efficiendas incitarentur. Anxius tamen & solicitus, ne quid propterea damni Guilielmus sustineret, propriæ ecclesiæ possessione deturbatus, viros antiquitatum, & memoriarum priscarum peritos ad se vocat, & de Orani vetustate inquirit. Illi verò, consultis prouincialibus de Episcopatuum diuisionibus libris, & Africanis concilijs, vbi nomina Episcoporum, & diœceseum subsignantur, situ item locorum explorato, ac vetustis vrbibus cum recentibus comparatis, ad hunc modum Ximenio responderunt. Oranum nouam ędificationẽ esse, quod partim ex antiquorũ cosmographorum libris eliciebatur, qui ad portum magnum, qui Mersalcabir dicitur, nullã celebrem habitationem, qualis Oranica nunc visitur, constituunt: partim ex Maurorum ipsorum monumentis, vbi Oranum Trimeseniorum colonia esse proditur, & non ita longè à patrum memoria per Numidas structa. Quod si ita, vt credebant, esset, nullam antiquam

Universidad de Deusto Biblioteca

antiquam appellationem huic vrbi in pręsentia dandã censebant. Quòd si ideo Guilielmus Aurienſem appellabat, quod cũ Guahará nomine à colonis indito cõueniebat, videret ſanè vir parum iſtarũ rerum peritus, ne ita cauſam ſuam omnino euerteret: cùm nimirũ diœceſeum Africanarum nomina iam olim ex monumentis prouincialibus ſint cognita, quæ multò ante ipſis impoſita fuerunt, quã à barbaris occupata regio eſſet. Quòd ſi ex barbaro nomine argumentum capiebat, confiteretur neceſſe erat, poſt barbaricã irruptionem Epiſcopatum in ea vrbe cõſtitutum fuiſſe: quod quàm abſurdũ & ridiculum foret, ipſe paululum attendens intueri poterat. Rurſus cùm ex libris prouincialibus, tum ex ſynodis in Africa habitis, vbi de Metropolitanis eius prouincię eccleſijs mentio eſt, Carthaginenſis & Tingitana recenſentur: ex quibus Tingitanę, Setinenſem ſiue Eliſſenam, Bugianam, & Hipponenſem ſubijciunt, nulla Aurienſis mentione facta. Quòd ſi tunc ea eccleſia fuiſſet, cùm multò propior & vicinior, quàm vlla prædictarum Tingi metropoli eſſet, dubium non eſt, quin diuiſores illam inter primas fuerint numeraturi. Carthaginenſi verò Tripolitanam, Icoſienſem, Horocellorum, pluresque alias, quæ ad orientem è freto Herculeo vergunt, inter quas Aurienſis numeratur, quæ ab eo loco in quo Oranum eſt, pluſquam paſſuum octoginta millia diſtat, ſi bene ſitus regionis conſyderetur, & librorum computatio ſubducatur. Accedit quòd Orano Trimeſenio proxima; tantoque illa & magnitudine, & dignitate inferior, neutiquam erat tam inſignis nota Trimeſenio inurenda, vt hac pręterita, Oranum pontificiam eccleſiam haberet. His rationibus Ximenius perſuaſus, Guilielmo eccleſiam ſuam alibi quærat terrarum iubet: neq; enim ſe viuo vnquã permiſſurum eam fraudẽ Toletanæ diœceſi fieri, vt cõtra regia pacta, & iuſtas ſponſiones, Oranicę eccleſię poſſeſsione priuaretur. Nam, vt ex Didaci Lupi inſtructionibus apparet, quas eo tempore à Ximenio apud reges procurandas accepit, antequam in Africam trajceret, inter cæteras ſtipulationes, quę ſolennibus tabulis hinc inde ſunt habitę, vnum illud pręcipuum fuit, quòd Oranica eccleſia collegiatæ titulo Toletanæ adiungeretur, abbate, dignitatibus, & ſacerdotibus per Pont. Max. inſtitutis, quorum abbas in Toletana eccleſia locũ dignitatis in templo maximo, & ſedem haberet: quorum nominatio iure patronatus regi noſtro in perpetuũ conceſſa eſſet, & protinus

ab

ab Archiepiſcopo Toletano cõfirmaretur. Id Guilielmus ęgrè tulit, & vndecũque conuocatis auxilijs, regium tribunal, atque adeò regis ipſius aures querimonijs aduerſus Ximenium onerat: ſe poſſeſſione propria per omne nefas deturbari: Pont. Max. diplomata parui pendi: & demũ ab aduerſario potentiſsimo, non tam ex a quo vinci, quàm per vim & iniuriam obrui. Hæc cùm aſsiduè ab illo iactarentur, tandem biennio poſt literas ad Ximenium à rege impetrat, quarum autographum exemplum apud me eſt, quibus omni ſtudio modò non orat, vt huic liti finem imponat: & ſi quas habet Pontif. Maximi tabulas, quod ſępe affirmauerat, de collegiata eccleſiæ Toletanę ſubiecta Orani erigenda, quamprimum ad ſupremum regis tribunal proferat: vt tam Guilielmi, quàm ipſius diplomatibus exactè perſpectis, quid ſit tandem decernendum innoteſcat: aliôqui ſi poſt tam benignam obteſtationem, in proferendis tabulis ceſſet, ſe nullius rei priuatæ ratione habita, ſolum quod iuris eſſet facturum. Harum literarum cauſa Ximenius cum Guilielmo non aſpernandis conditionibus litem componere, & ſopire parat. Nam eum abbatem Orani creandum pollicetur: abbatiamque ipſam Toleti in templo maximo, dignitatis titulo (vt dictum eſt) cohoneſtandam, ſacerdotio inſuper, quod portionem vocant, ad dignitatem tuẽdam addito. Sed dum Guilielmus adhuc ſe plura à Ximenio extorſurum ſperat, conditiones oblatas reſpuit: tabulas Pontif. Max. vt proferat inſtat: & quicquid cauſę ſuæ profuturum exiſtimabat, apud regios iudices declaret. Tunc Ximenius ſeueritatis innatæ memor, diplomata quidẽ Pont. nulla (vt opinor) protulit, cęterùm regem de conditionibus Guilielmo propoſitis, per procuratores ſuos admonuit: qui apud eum prouincialium cõmentariorum teſtimonia, quibus Oranum recens eſſe colonia oſtendebatur, cæterasque omnes Antiſtitis ſui rationes referentes, ſimulq; pacta in memoriam reuocantes, quę cum Ximenio ante Africanam expeditionem inierat, de erigenda collegiata eccleſia quę Toletanæ diœceſi adiungeretur, regis animum à Guilielmo alienarunt: & partim negotiorum maiorum cauſa, quę ſunt illico in Italia oborta, partim regis ęgritudine & tædio, nunquam Guilielmus amplius aditum ad eum habuit. Cùm verò à morte regis Ximenius imperij gubernacula ſuſceperit, ſenſit tandem auarus ſenex, quanto ſibi commodiùs fuiſſet, vel cum iuris ſui diſpẽdio, nedũ in re tam ancipiti & dubia, benignas Ximenij

conditio-

Universidad de Deusto Biblioteca

conditiones accepisse:nec rerum maiorum captandarum spe, para tam fortunam stolidè abiecisse. Vixit itaque pœnitentia sera cruciatus, prorsusq; à Ximenio neglectus: rarò enim homo priscæ seuerita tis in gratiam cum illis redibat, qui iustam eius indignationē meruis sent. In actis tamen Alphonsi Fonsecę Archiepiscopi Toletani inue ni, Guilielmum post Ximenij mortem, rursus ad litem suam redijs se, & Alphonsum Fonsecam (vt erat vir singulari humanitate) easdē cum Ximenio conditiones obtulisse: quas ille litigationis molestias ferre nolens, & simul occasionis præteritæ exemplo prudētior factus libenter quidem amplexus est: atque ita anno eius seculi. xxvj. ferme ineunte (nam sub mensem Ianuarium hęc ipsa gerebantur) Fonseca Archiepiscopo apud regem curante, literæ ab eo ad Clementē. VII. Pont. Max. & ad ducem Suessanum, Cæsareum apud Pontificem in ternuntium (nam iam Carolus. V. rebus potiebatur) super ea re dantur. Porrò in Suessani mandatis, ea quę à me narrata sunt de pactis regis catholici cum Ximenio initis, de ecclesia collegiata Orani erigenda, de ea vrbe per Ximenium expugnata, de ecclesiæ institutione propter regis Ferdinandi imbecillem senectam dilata, de ea primo quoque tempore instituenda copiosissimè agebatur. Quid tamē post illud apud Pont. Max. effectum fuerit, sanè mihi compertū non est. At quantum ex ecclesiæ Toletanę actis coniectare licet, res adhuc anceps relicta fuit. Nam certè Pont. Max. nil cōcessisse id magno argumento est, quòd cùm Romę differri negotium Guilielmus cōque reretur, seq; titulo Aurienſis ecclesiæ eius fide fretū abdicauisse, quinquaginta millia nummûm Guilielmo quotannis percipiēda, donec diplomata Romana adducerentur, liberaliter consignasse: ex quibus partem aliquā suscepisse, chirographo suo Guilielmus testatur. Sed cùm Romę nihil ageretur, tandem Guilielmus Oranum concessit, vicarij à Fonseca instituti nomine ecclesię Oranicę fructus perceptu rus: quos cùm exiguos & tenues, vt in regione hostili deprehendisset, rursus in Hispaniam redijt. Cuius aduentus parum gratus Fonsecæ fuit: ob quod alteras à rege literas ad Fōsecam impetrare coactus est, quibus illum Carolus obtestatur, vt saltem summam illam quinquaginta milliū nummûm, misero seni, atque in extrema inopia cōstituto, nequaquam denegaret. Cùm ergo ad eum statum res producta esset, ecclesię Toletanæ patres, vt ex actis eorum apparet, voluntati Fonsecæ consenserunt, ad dignitatem Oranicę abbatię in templo

suo

suo constituendam: licet se angustissimè sedere, ob sacerdotiorum multitudinem dicerent. Cùm ergo hucusque processisset, mirandum est, quæ causa retardare potuerit, vt res hactenus infecta remāserit. Nisi fortè aut pontifi. maxi. religio fuit, rem vetustam circa Aurienſem titulum, aliter quàm vulgo acciperetur, declarare: aut præsulem Toletanum piguit, impensas non mediocres ad collegiatam ecclesiam Orani, loco parum ab hostili iniuria tuto, erigendam facere. Hanc remissionem Guilielmi mors superueniens adauxit: cuius potissimùm importunis petitionibus, res parum antistiti Toletano grata intermissa fuit. Igitur mansit Oranum Toletanæ diœcesis in Africa portio: qua de causa cùm hostium incursibus perpetuò ab eo tempore vexetur, & militarium hominum qui ad eius custodiā illic viuunt licentia, religionis studium pertenue habeatur, sacerdotes à rege Ferdinando per Ximenium instituti, armis magis quàm libris, & prædæ potius quàm pietati assueti, minoris fiunt quàm vt canonicorum nomen obtineant: abbasque ille qui præponendus curabatur, vicarij nomine in præsentia contentus, solo pontif. Toletani nutu, nulla regis necessaria nominatione, vt videmus, eligitur. Nam Bartholomæus Miranda, inter initia sui pontif. vicarium Oranensem in demortui locum suffecit, isque adhuc ecclesiæ illius præfectura potitur. Ingens contentio nobis cum reipub. hostibus, ab eo tempore pro Orano, & portu magno mansit, nostris fortiter defendentibus, illis acriter incursantibus. Nam sub extremum Ximenij vitæ annum, semel à Turcis impetita fuit, Horuscio Enobarbo duce: rursus ætate nostra Turcarum auxilio semel, Martino Alcaudeto præfecturam Orani tenente, anno. M. D. L V I. & iterum Alphonso Corduba anno. M. D. L X I I I. vbi Martini Cordubæ, Alcaudeti filij, ingens virtus emicuit, in Masalquibirano præsidio defendendo contra innumeram hostium multitudinem. Post hostium fugam, Deo immortali à Philippo Rege, & vniuersa Hispania gratiæ actæ sunt: persuasumque fuit Ximenij meritis, qui sacris armis & religiosis auxilijs, diuino potius quàm humano præsidio, ea prę sidia adeo reip. necessaria expugnauisset, hoc nostro tempore obsidione fuisse liberata. Hactenus de Africana Ximenij expeditione, quā ille nullis sumptibus aut labori parcens, reip. causa, Deo virum magnanimum, & ad publica commoda procuranda natum, proculdubio instigante suscepit. Igitur postquam Oranica negotia ad eū mo

R dum

Universidad de Deusto Biblioteca

dum composita sunt, otium Ximenius à rebus publicis, per id tem pus nactus, Compluti de rebus, quas iam dudum meditatus fuerat, quamprimum perficiundis curabat. Atque ita sub annum eius seculi decimum, ædem Ilescis in honorem Deiparæ dedicatam, Araozo penoris præfecto absoluendam mandat. Turrilacunæ, quod illi solum natale fuit, aream peraccommodam & spatiosam signat, ad ædem alteram Deiparæ erigendam, eius enim cultui deditum fuisse, tot præclara monumenta Virgini matri dicata manifestis argumentis demonstrant, in qua Franciscani sodales sanctissimæ Virginis numen religiosis precibus, & obsequijs demerentur. Inde ad sancti Auditus delubrum venit, quod non longè à Turrilacuna, inter rupes Buitragiorum est. Locus certè nemorum solitudine, & aquarum scaturientium abundantia per amœnus. Eius Priore (sic enim ædis præfectum appellant) ad se vocato, postquam in mores eius ex officio pastorali inquisiuisset, quos corruptissimos habere nouerat, de auferenda ab eo præfectura, & alijs prouentibus ei magis profuturis compensanda, agere cœpit. Inde Complutum ad academiam reuertitur, quam supra omnes alias operum institutorum curas, tanquam dilectam filiolam, singulari studio adaugendam & exornandam curabat. Erat inter Ioannis Ximenij fratris liberos, Ioanna Cisneria, ob honestos & ingenuos mores peculiari affectu Ximenio grata: qua de causa de eius in matrimonio locatione solicitus, virum aliquem nobilem ingenio facili & mansueto, maritum ei iam diu quærebat. Proponebantur sanè ab amicis aliquot regulorum filij, ad quos primigenij iure hæreditas paterna pertinebat: sed his tanquam impendiò sumptuosis semper reiectis, semper ad natu minores inclinabat, quòd eis mediocri dote satisfacturum se esse arbitraretur. Oblatus tandem quærenti est Petrus Gonsaluius, Didaci Ducis infantatus ex fratre Aluaro nepos, qui nondum ex ephebis egressus, indolem maioribus dignam præseferebat. Hic aliquot post annis, multa suæ virtutis exempla in Italia protulit, Vallis Siculæ Marchionatum in dotem vxoris accepit. Is tunc Ximenio satis dignus fuit habitus, cui Ioanna nuptui daretur: tabulis publicis, vt solet, nuptiarum stipulatio, Didaco duce tutore collaudante, facta est: & extemplo Gonsaluius in antistitis familiam sponsus nepti, quod faustum felixque esset, magna omnium lætitia fuit ascitus. Sed aliter visum

sum est superis, neque enim ratæ eæ nuptiæ fuerunt. Dum hæc à Ximenio Compluti aguntur, Villaroelus Castorlanus præfectus in præfecturam suam Orano venerat: vbi dum ab anteactis laboribus se quieturum sperat, vt sunt hominum spes fallaces, cum ciue suo ingenuæ conditionis homine simultate suscepta, eò tandem furoris res processit, vt eum ferro perimi curauerit, & paternos quos incolebat penates, solo per noctem intempestam æquauerit. Vxor & cognati tam atroci facinore permoti, squalenti & luctuoso habitu, ad regem vindictam petituri veniunt. Ad inquirendum de ea re quatuoruir Cornelius Castorlam mittitur. Id simulatque Ximenius cognouit, dedit operam, vt ante eius aduentum Villaroellus rei personam gerens, ante regium tribunal continuò sisteretur, & largissimè pecunia, vxori & propinquis occisi erogata, & ad sui defensionem purgatione adhibita, mortui manibus expiatis, ea se tandem noxa liberaret. Vulnus nondum obductum, quod Ximenius in animo ex Oranica Villaroelli, ad Trimesenij portam negligentia susceperat, rursus recruduit: & ignauiæ, vt ipse sibi persuaserat aduersus hostes, ferociam in subditos adiungi videns, dici non potest quam grauiter id tulerit: & quantum dum vixit, Villaroello semper infensus fuerit. Interea rex cùm sub veris initium ad Aragonios conuentus proficisci vellet, Madritum ad se Ximenium accersit: qui Ferdinandi nepotis custodia suscepta regni tantisper gubernaculo insistat, donec Aragonij conuentus peragerentur: quod sub primum Septembrem factum fuit. Quare cum rex in Castellam redijsset, extemplo Ximenius Complutum concessit. Illuc cùm venisset, Ioannem Castellam Salmanticensem Episcopum, diem suum obijsse cognouit: cumque apud ipsum de episcopo illi ecclesiæ sufficiendo inter familiares ageretur, non defuerunt, qui de Francisco Ruizio eius sodale, quanuis subtimidè, & parum apertè, Ximenij seueritatis & ingenij conscij, explorabundi tamen mentionem fecerint. Nam ex frequentibus Ximenij mandatis, quæ eius nomine ad regem ferebat, & præsertim ex narratione belli Africani, quam Orano profectus coram rege prudenti & iucundo sermone exposuit, non solùm erat regi Ferdinando notus, sed carus etiam: vnde amplam spem secum reportauerat, tali aliqua qualis præsens erat occasione oblata, non se frustra ad regem ventitasse. Gra-

 uiter

Universidad de Deusto Biblioteca

uiter id accepisse Ximenium Ioannes Vergara referebat, qui quanuis eo tempore in antistitis familia non esset, ab antiquioribus tamen ministris audierat, neminem ex Ximenij familiaribus, neque adeo Ruizium ipsum, eius opera aut commendatione, ad dignitates quas habuerunt, gradus fecisse: sed sua potius ipsorum industria, Ximenij fauore obliquis consilijs ad ambitionem suam abutentium. Nam id vnum vir religiosus, & rerum earum experiens apud se statuerat, vt nemo ex his qui sibi cari, aut alias quoquomodo curæ essent, ad hos honores, quos partim animi tranquillitatem lædere, partim periculo plenos esse cognoscebat, se curante vnquam proueheretur. Veruntamen quanuis hoc ita esse non inficiabor, alij qui adhuc viuunt, in Ximenij domo per id tempus diuersantes, longè aliter mihi retulerunt. Nam cum Franciscum Ruizium semper plurimi Ximenius fecerit, eumque cuiuis rei gerendæ parem esse abunde existimauerit, ad episcopalem dignitatem promouendum iudicauerat. Atque ita Arteagam vnum è cubicularijs ministris Madritum ad regem misisse certum est: qui Salmanticensem ecclesiam Ruizio peteret. Libenter se id facturum fuisse rex Arteagæ respondit, nisi pridie eius diei Francisco Bouadillo Marchionis Moiani filio, in gratiam matris contulisset: cuius in aulam fœmineam, dum reginis sedulò inseruit, permulta quidem merita extiterant. Quòd si Roderico politanam, quam ciuitatem vocant, à Bouadillo relictam tantisper suscipere vellet, donec amplior se offerret, in qua Ruizius suam virtutem pro dignitate ostenderet, se extemplo id effecturum. Quod & præstitit: nam ferme quadriennio post, cùm æger rex per saltus se oblectaret, & animi causa in Segobiæ syluis venationi operam daret, cùm fortè Abulensis episcopatus pontifice defecisset, Didacus Lupus Aiala Ximenij procurator, atque Ruizio amicitia coniunctissimus, ad regem venit, & quod Madriti promisisset in memoriam reuocauit. Cui verbis beneuolentia & fauore plenis ad hunc modum respondisse ferunt. Memineris tu potius Lupe, de diplomatibus Roma asportandis, nam ego me iam antequam tu venires promissis Ruizio, siue potius Ximenio, exolueram: quē ego vnū, propter eius in me pręclara beneficia, nulla vnq̄ occasione fallere vellē. Huius secūdæ Lupi petitionis Ximenium ignarum fuisse, proculdubio ex Vergaræ testimonio affirmare

firmare ausim. Satis enim segetis ad pietatem exercendam in Rodericopolitana ecclesia Ruizio datum esse arbitrabatur: idque sæpius significauerat. Etenim crebris apud eum sermonibus vsurpabat. Si me audis, nihil vltra ambies: nam quantum solicitudinis & molestiarum, summi honoris & dignitatum gradus, sub fulgore qui præfertur, occultent, à meis rebus plenè discere potuisti. Idcirco non tam regi gratias tunc egisse, quàm offensi animi indicia commonstrasse, quòd id per Didacum Lupum factum esset. Nil memorabilius à Ximenio factum, hoc anno comperi, Bastitanæ ecclesiæ ad Toletanam Diœcesim reductione. Nam cùm decretum à patribus Toletani capituli, Ximenio præsente de ea ecclesia repetenda, factum fuisset: simulatque otium nactus fuit, ad id conandum vires suas, & animum conuertit. Est sanè difficile & arduum, rem quam semel quispiam iure, vel iniuria occupauerit, rursum extorquere, & in tuam possessionem vindicare, sed multò laboriosius quæ ab ecclesijs tenentur. Cùm igitur reges catholici, Ferdinandus & Isabella, conatu felicissimo ac religiosissimo, Granatense regnum expugnare aggressi sunt, quanuis in id sedulò & potenter intendere decreuerant, intellexere tamen Granatam, regiam, & munitissimam vrbem, nulla vi, aut dolo debellari posse, ni vicina oppida prius caperentur: vt lignatores siquando magnam arborem euertere contendunt, ablaqueare solent, & paulatim radices quibus nititur, rescindere. Ergo inter alias vrbs Bastetana fuit, quæ vt in commentarijs Ferdinandi Pulgarij habetur, obsidione sex mensium vexata, tandem anno M. CCCC. LXXXIX. ante diem tertium Non. Decembris, in potestatem Hispanorum venit, plusquam quingentis ex nostris qui in ergastulis captiui continebantur, deditione ea liberatis. Curarunt illico religiosi principes, de ciuitate per sacerdotes nostros lustranda, deque præsuli proprio committenda: vt à Dei optim. maxim. cultu principium facientes, felici reliqua successu prouenirent. Annales rerum nostrarum tunc consulti sunt, & acta sacrorum librorum inspecta: atque tandem intellectum est Bastetanam vrbem ad Toletanam Diœcesim pertinere. Nam anno Domini. M. CC. XXII. tertio decimo calendas Februarij, qui dies Fabiano & Sebastiano martyribus sacer est, Talamancæ diœcesis Toletanæ oppido, Ferdinando. III. & Berengaria matre

Universidad de Deusto Biblioteca

præsentibus, Alfonsus Tellius Meneses, qui quondam montosis ad Toletum locis, quà se illa regio Lusitaniæ antiquæ coniungit, oppida quædam limitanea condiderat, puta Cedenillam, Malamonetam, & quod à duabus sororibus nomen tenet, quæ religionis ergo ecclesiæ Toletanæ, atque eius pontificibus dono dedit. Id cùm Toleti diuulgatum esset, magna contentione apud regem actum est, vt Rodericus Toletanus antistes, senatui, populoque Toletano oppidis ijs cederet, quæ illorum vsibus peropportuna erant. Sed anno. M.CC.XLV. solenni stipulatione confectum fuit, vt intra quadriennium, si Bastetana vrbs è potestate Maurorum erepta esset, ecclesiæ & archiepiscopo Toletano addiceretur: & statim præsidia, quæ circumcirca eam rex cœperat, traderentur. Non facilè tamen in præsentia affirmauerim, an ad Bastetanam à rege petendam aliquo iure Rodericus egerit: res enim sunt peruetustæ, & parum cognitæ, in quibus quod certi tradatur nihil est. Bastetanam verò nunquam à rege fuisse captam, paulò attentius quæ gesta sunt consideranti satis constare potest. Nam de Vzedæ, Eznatophari, & aliorum oppidorum pro Bastetana à rege facta commutatione agitur, & rex literis ad Sanctium filium Archiepiscopum datis, Roderico iam defuncto, de Bastetana vrbe primo quoque tempore obsidenda scribit. Illud certè satis constat, ad Ferdinandum .V. sub Maurorum imperio eam vrbem fuisse, archiepiscopis Toletanis suum ius retinentibus, si quando in Christianorum potestatem veniret. Ergo postquam ea vrbs capta est, Cardinalis Gonsaluius Mendozius Archiepiscopus Toletanus vicarium suum in ea constituit, sacris prius procuratis. Acis vrbs pari à nostris fortuna eodem mense capitur, quæ nunc Arabico nomine Guadix appellatur. Hæc quoniam olim episcopatu decorata inueniebatur, & tunc hostium causa diœceseos angustijs laborabat, visum est regibus, vt authoritate summi pontif. Bastetana vrbs propinqua ad Acitanum episcopum pertineret: & vt Toletana, ditione territorioque suo amplissimo contenta esset. Ab eo tempore, in Acitanæ ecclesiæ potestate Bastetana fuit. Nam cùm Garsias Quixada, Franciscani ordinis sodalis, Acitanus episcopus fuit creatus, vt erat apud aulicos ferme omnes gratiosus, facilè à regina obtinuit, vt Bastetana vrbs Gonsaluio cardinale dissimulante, diœcesi Guadixianæ cederet. Ergo Ximenius rem indignam esse arbi

arbitrabatur, pontificatus Toletani amplitudinem diminutam & accisam esse, in gratiam præsulis Guadixiani. Et quanuis pro tempore dissimulandum esse duceret, altè tamen animo ea iniuria impressa erat, & decreuerat simulatq; occasio data esset, Bastetanã ablatam ecclesiæ Toletanę postliminio restituere. Igitur cùm à publicis rebus eo tempore vacaret, atq; ob bellum Africanum assiduè per eos dies in locis maritimis commoraretur, de Bastetana repetenda, cum Acitano ẽpo ex iure agere cœpit. Nam cùm ad commeatus, reliquaq; omnia belli instrumenta deportanda crebrò Singiliēses, Bastetani, & Acitani, alijq; item maritimę illius regionis incolæ conuenirent, querelæ ad Ximenium (vt sunt vulgi mores, ad calumniam magistratibus faciendam propensi) deferebantur, de sacris malè per Episcopos Acitanos procuratis, deque disciplinæ Christianæ corruptela ob Mahumetanæ gentis vicinitatem. Sed Bastetani ante alios instabant, vt memor esset antiquorum clientum, neq; tam bonus patronus, sub alieno dominio illos degere permitteret. His assiduis Bastetanorum vocibus Ximenius commotus, sub mensem Februarium, apud iudicem à pontif. max. delegatum, litem ẽpo Acitano intendit. Capita rerum ab eo proposita, quantum ex publicis notariorum tabulis colligere licuit, hæc ferme sunt. Primum, In ecclesiæ Toletanæ tabularijs inter cætera venerandæ antiquitatis monumenta, membranas sigillis regijs, & pōtif. consignatas esse, in quibus, ex regis Ferdinandi tertij, & Sanctij archiepiscopi Toletani pactis cōuentis, ius Bastetanæ vrbis possessioni regię cōceditur, Vzeta & Eznatorofo oppidis pro ea datis, aliquotq; item nummorum millibus perpetuò percipiendis. Nam vt ex serie literarum apparet, Roderico Ximenio Toletano antistiti, in cuius demortui locum Sanctius successerat, Ferdinandus rex Bastetanam ditionem sub ea conditione dederat, si Mitaculo cederet. Id erat oppidum in Bæticæ confinijs, ad publicam viam quà Toletum itur positum: in quod Rodericus, dum Oreti Maurorum viribus resistit, nouam coloniam curauit deducere, loco scilicet ad impetus hostium infringendos peraccommodo: quanuis vt ipse in historijs Gotthorũ scribit, ab operis cōtinuatione, ob crebras pluuias, & inundationes, sub ipsis initijs retardatus sit. Postea verò quoniam rex Bastetanam vrbem tanquam vsibus suis necessariam repetebat, Sanctius Archiepiscopus regis parētis voluntati obtēperans,

Universidad de Deusto Biblioteca

annuentibus etiam capituli patribus,& publicis tabulis interuenientibus, Bastetanæ vrbis ius in regem, ac suos successores transtulit. Et non solum diplomata in quibus donatio facta continebatur,regi sunt tradita,sed & literæ etiam ad Rodericum Toletanum datæ, quibus intra quadriennium se ecclesiæ Toletanæ vniuersam Bastetanam possessionem,prout conuenerat, traditurum pollicebatur: itemq; aliæ ad Sanctium filium missæ,quæ sub mensem Maium instantis anni se id effecturum continebant. De iure verò pontificio in Bastetana vrbe exercendo per archiepiscopos Toletanos,Cælestini II. & Vrbani tertij concessiones, sub Gonsaluo & Martino antistitibus Toletanis datæ,in publicis nostræ ecclesiæ tabularijs repositæ aptissimè loquuntur. Fuit hic Rodericus vir præclarus, pietate in primis,sed bello etiam atque eruditione memorabilis, vt eius scripta & egregia in rẽp. monumenta testantur. Nam eius armis, vt supra dictum est, Carstorlana præfectura, aliaque oppida à Mauris sunt recepta. Id igitur cùm Archiepi. Toletani, ex actis suis ita esse cognouissent, iuris sui seruandi causa, quoties decumarum sacrarum publicæ redemptiones in diœcesi Toletana agebantur, semper tam Toleti quàm Castorlæ, inter cæteros annuos fructus, Bastetana etiam annona, de more taxanda proponebatur. Cõstat ex Alphõsi Carrilli Archiepiscopi Toletani tabulis, Bastetanũ archidiaconatum cuidam sacerdoti etiam si nihil percepturo abeo tributum: ne huiusmodi actiones neglectę Toletanæ ecclesiæ fraudi essent. Quin & anno Dom. M.ccc. xxx. Ęgidius Albornozius Archiepiscopus Toletanus, cuius egregiam, & admirabilem virtutẽ, sedes apostolica seruata, atq; adeo Italia vniuersa sensit, Cũm rex Alfonsus. xi. Abenzaidi præsidium (quod Alcala Mauri vocãt) obsideret, iuris Bastetani Archiepiscopis Toletanis debiti memor, Bastetanam vrbem obsidendam duxit: quam cùm graui oppugnatione premeret, Farachius Granatæ rex, qui eius loci possessione priuari rationibus suis incommodissimum esse iudicabat, Cũ Alphõso rege per legatos egit, se Auenzaidanum præsidium sponte traditurum, si Ęgidius archiepiscopus à Bastetana expugnatione cessaret. Ęgidius tamen iuri suo cauens grauatè id ferebat. Sed rex optimus & æqui obseruantissimus, ne id vnquam ecclesiæ Toletanæ fraudi esset, fide regia interposita cauit: Et collegiatam ecclesiam Virgini matri dicatam Auenzaidi condidit, in quam Metropolitani ius

ni ius archiepiscopus Toletanus haberet, & oppidum Alcalam regiam vocauit, obliterata Auenzaidi appellatione. Quæ omnia in gratiam Ęgidij archiepiscopi facta magnam vim habere constat, in rebus huiusmodi tam antiquis, vt Ximenius ius suum recuperare potuerit. Porrò inter cæteros P.P. R.R. qui ecclesiam Toletanam multis prærogatiuis auxerunt, Calixtus & Vrbanus, ius metropolitani archiepiscopis tribuerunt in eos episcopos, qui proprium metropolitanum Saracenorum incursione amisissent. Quas ob res Gõsaluius Mendozius archiepiscopus Toletanus, statim vt à regibus catholicis Bastetana & Escua reparatæ sunt, earum curam suscepit, & Mesquitas ritu Christiano lustrauit, ecclesias & sacerdotes instituit, templa dedicauit, atq; omnia alia pontificia munera cum suis vicarijs exercuit: quę ius etiã archiepiscopi Toletani non vulgariter stabilire potuerunt, si quæ recensuimus non fuissent satis. Igitur causa coram summi pontificis iudice, hisce omnibus allegationibus per Ximenium acta est, secundum quem lis est data. Prouocatum est ab Acitano, & secundus iudex à P.M. quem Ximenius frustra reijcere laborauit, quanuis sibi & suis rebus illum inimicum esse clamitaret. Hic ergo latam sententiam rescidit, & secundum Acitanum pronunciauit. Sed Ximenius ad tres viros appellauit à P.M. in Hispania nominatos, qui priorem sententiam conformandam esse cẽsuerunt. Acitanus qui his actis sese, de more opposuerat, curas agere partes intelligens, litem defetuit, & tranquillitati suæ consuluit: neq; amplius negotium Ximenio exhibuit. Ab eo tempore in nostram vsq; ætatem, Archiepiscopus Toletanus ius pontificiũ in vrbe Bastetana exercuit: & ecclesia nostra, ob Ximenij diligentiam, ea diœcesis suæ parte priuata non fuit: cui si sors successores similet dedisset, longè aliam faciem maiestas ecclesię Toletanæ ostentaret. Ergo Acitanus, quanuis tunc queuit, & trium Archiepiscoporum, qui post Ximenium continuò successerunt tempore, nihil efficere potuerit: tamen sub Ioãne Martino Siliceo, in cuius pontificatu multi motus in diœcesi Toletana fuerunt, rursus lis Bastetana vires sumpsit, & antistiti Acitano cessit, iure Metropolitani apud Toletanum duntaxat seruato. Quanquam in actis ecclesiæ Toletanæ inuenio, Ioannem Taueram principium litis componendæ dedisse, Bernardino Alcarazio scholastico Toletano, ad eam rem gerendam substituto. Nec est regum catholicorum dissimulanda

Universidad de Deusto Biblioteca

pietas, in quorum potestatem simulatq; vrbs Bastetana venit, priscorum sacrorum quæ in ea fuerant memores, atq; Bastetani epi olim percelebris, ecclesiam primariam Annũciationi Deiparæ virginisdedicauerunt:& Abbate, canonicisq; sacerdotibus exornatam perpetuis reditibus magna liberalitate donarunt, vt ex tabulis quæ de erectione Bastetanæ ecclesiæ extant, licet cognoscere. Insequens annus Ximenium itineribus exercuit, neq; vt destinauerat cœpta ædificia perficere, aut optati otij fructus quos meditabatur percipere potuit. Nam cùm regis animum Girbiana clades, quam nostra classis sub Garsia Ducis Albæ filio sustinuerat, nimis cõmouisset, decreuit Gadibus numerosam validissimamq; classem apparare, vt in Africam exercitum potentissimũ ipsemet traijceret, & illatam Garsiæ necem, magna hostium vastatione, vindicaret. Idcirco sub vndecimi anni initium Madrito Hispalim proficiscitur. Sed siue in Africã properabat, siue potius Galli regis conatus cupiebat infringere, qui Iulium. II. pont. max. priuatis de causis opprimere conabatur, nihil tentare voluit sine Ximenij authoritate & consilio: quare vt se Hispalim sequatur iubet. Igitur mense Ianuario, pluuio cælo, & inundantibus fluminibus, necesse habuit Compluto discedere. Vbi regis expeditio per Hispaniam vulgata est, ingens concursus omnium ordinum Hispalim fit: neq; enim reguli solum, sed antistites & pleriq; sacerdotes primarij illuc conuenerunt, promptis animis, & ardentibus votis, regẽ ad bellum tam iustum comitaturi. Erat Ximenio Turrigijs prætereundum: quod cùm Tharasia Anriquesia eius oppidi princeps resciuit, quæ (vt diximus) pietate insigni fœmina, iam olim Ximenij adhuc monachi studiosa fuerat, & cupiebat pro dignitate tantum hospitem accipere, atq; eius conspectu & colloquijs frui: sed verebatur, ne homo durior, & harum lautitiarum auersator, aliò diuerteret, & insalutatam linqueret. Quare rumorem in vulgus sparserat, se per id tempus Turrigijs abesse. Crediderat Ximenius sic esse, & Turrigios ingressus recta à ædes principales processit. Qui vbi Tharasiam illic adesse nouit, & in eius occursum properare, ab ędium limine indignabundus in Franciscanorum cœnobium diuertit, nihil publicas elegantiorum hominum leges moratus, qui inciuile & indignum homine bene educato esse censent, primarias fœminas, obsequijs præsertim & humanitatis officijs certantes, fastidiosè aut rusticè negligere. Ergo Tharasia in salu

salutata bene mane iter susceptum die altera prosequitur, & Guadalupum religionis causa venit: Id est Hieronymianorum cœnobium, templumq; amplissimum virgini matri dicatum, quod religionis ergo ab vniuersa Hispania frequentatur, regum & priuatorum hominum donis opulẽtum, in cuius sarta tecta, & Hospitalitatis sumptum, per Hispaniam quã latè patet, stips cogitur. Aliquot ibi dies cõmoratus, solita in diuos pietate, munera illi fano obtulit, & iter institutum est prosecutus. Erat igitur, vt diximus, summa hyems, & incommoda ad iter faciendum tempestas, ob frequentes & maximos imbres, quibus non solùm amnes, sed riui quoque torrentes adeo sunt aucti, vt vado transiri non possent. Occurrebant paludes cœnosæ, hominibus & iumentis inuiæ, quæ tunc aqua pluuia collecta vias rumpebant. Qua de causa à principio Ianuarij Complu. profectus, vix paulò ante calend. Martias Hispalim venire potuit, vt ex epistolis eius constat. Cùm Furnillos oppidum ignobile peruenit, hilariter & amplè acceptus fuit, ob antiqua Ximenij beneficia, quæ incolis contulerat. Est in proximo flumen Matacellum, cuius ripæ rhododendro vestiuntur, quæ arbor lauro est folijs similis, & floribus nihil à rosis differt, vnde Rododaphne etiam vocatur. Hæc qua drupedibus venenum est, cuius vim nonnulla tunc iumenta experta sunt, quæ passim vagantia folia deuorarunt, est enim sempiterna fronde. In huius fluminis traiectione Ximenius non præter solitam humanitatem, curauit vt omnes percommodè transirent: & quibus mulæ ob rhododaphnem depastam perierant, ex suis vt restituerentur iussit, aut nummos vnde emerent dari. Ab eo loco Cordubam profectus est, sed propter diluuiem necesse fuit, vt in quadam villa rustica, quales in Bætica frequentes sunt, maneret. Locus erat tam numerosæ familiæ angustus: sed quisque vt potuit ad noctem transigendam sibi consuluit, passim ignibus per villam incẽsis. Gua dalquanam postridie Idus Februarias peruenit, vbi Cornarus Aurifex Hispali profectus, cum literis Didaci Lupi occurrit, quibus hospitium sibi in ædibus Petri Anriqui Bętici præfecti, paratum esse intellexit: quoniam Saiauedræ Marcalci domus, quam cupiuerat, Gõsalo Fernandio magno à mentatoribus regijs designata fuerat. Ximenius perbenignè respondit, se ædibus paratis contentum esse, & maximè gratum accidisse, quòd à domo Saiauedræ petenda destiterit, quando Magno Gonsalio homini sibi amicissimo, & de se præclarè

Universidad de Deusto Biblioteca

clarè merito attributam nouisset. Erat in Ximenio ad viros excellétes demerendos, atque honorificis modis tractandos innatus & peculiaris affectus, quem quoties occasio offerebatur, ostendebat. Decimo quarto cal. Martias, cum Cantillanam prope Hispalim sitam venisset, Didacum Lupum certiorem fecit, se postridie eius diei Rinconatæ vico meridiaturum, & paulò ante vesperam ingressurũ Hispalim. Id vt à rege rescitum fuit, obuiam venienti octo millia passuum, cunctis proceribus regem officij causa comitantibus, processit: Id enim semper honoris Ximenio exhibebat, nonnullis ægrè ferentibus quibus tanta hominis potentia infesta erat. Interea dum Hispali commoratur, & classis in Africam instructissima paratur, quæ terrori vniuersis Africanis erat, Roma nuntij deuenerunt, per quas Iulius. II. pont. max. regem nostrum certiorem faciebat, aliquot ex senatu patres conspiratione facta, Ludouico Gallorum rege opem ferente, se Pontificatu deturbare velle, & in ordinem redigendum inuerecundis vocibus iactare: id autem ea de causa fieri, quoniam priuatis & immodestis eorum affectibus ipse non obtẽperaret. Iamq; Pisis concilium indixisse, atq; alterum Christi vicariũ scelerato & nefando ausu, rege etiã Gallo annuente, adorauisse. Præcipuum verò coniurationis authorem esse Bernardinum Caruaialium Hispanũ, quem, & reliquos omnes pesimi facti socios se per summum dedecus, vt meriti fuerant, senatu amouisse dicebat. Quare ad regis catholici præsidium confugere, & eius auxilium aduersus Gallum implorare: in primis verò ab ipso efflagitare, vt Caruaialium diris solenniter, à Christianorum cœtu separatum, sacerdotijs quæ in Hispania obtinebat, deijciat, atque pari ignominia infamem, & à regnis suis alienum pronuntiet. Res indignissima Ferdinando pontificiæ authoritatis maximo semper assertori & vindici est visa. Idcirco cum Ximenio cæterisq; proceribus & episcopis, qui Hispalim conuenerant, de ea re deliberat. Respondere omnes, frustra externa bella aduersus hostes religionis quæri, si interim domi intestinis bellis caput religionis impeteretur. Igitur mutata sententia, ab Africæ limine Ferdinandus pedem referens, in Italiam vires suas, & arma conuertit: Caruaialio pontificatum Seguntinum detraxit, cui Fredericum Portugalium præfecit. Ximenius in quem multa Iulij pon. extabant merita, nam ab ipso in senatum Cardinalium allectus, inquisitoris maximi officio ad regis votum cohonestatus

status, & Academia Complutensis non mediocribus priuilegijs aucta fuerat, peculiari etiam affectu in Iulium propẽsus, quem incredibili animi vigore ecclesiæ patrimonium tueri animaduertebat, & tyrannorum conatus, & vires infringere: per procuratores nuntiari iubet, vt nulla aduersariorum potentia aut machina debilitatus, à proposito suscepto discedat, neúe pesimis hominibus remp. Christianam euertendam & dilaniandam permittat. Se autem prodebita pietate & obseruantia in sedem apostolicam, & Dei vicariũ, quadringenties nummûm aureorum statim ad vrbem per publicos argentarios numeraturum: seq; ipsum, si opus foret, exercitum coacturum, & in Italiam iturum. Voluerat quidem rex consilium de pontifici subueniendo celari, ineunte autem vere Malaca soluere, quasi Africam peteret, & inmedio cursu ad Italiam obuertere: sed fieri non potuit, quin hasce artes Gallus præsenserit, & inter suos iactauerit, se illum planè esse Saracenum, quem cognatus Ferdinandus classe Gaditana oppugnare & euertere pararet. Dedit igitur operam quam potuit maximam, ne imparatus opprimeretur: & quæ necessaria ad futurum bellum videbantur, vt in promptu essent laborauit. Multis interea prodigijs perterrefacta Italia trepidabat: nam Mutinæ ad diui Francisci cœnobiũ faces noctu in aëre ardere sunt visæ, interdiuq; in eodem loco effigies humana strictis ensibus cominus adstare, & sese inuicem confodere. Cremæ verò Mediolanẽsi municipio, die medio tam densæ nubes cælum obtexerunt, & tenebræ sunt secutæ adeo atræ, vt obscuriores nemo meminisset. Insolito fragore fremebant nubila, fulgura terribili lumine splendentia diem ablatum in hunc vsum reducebant, vt igneo colore cuncta rutilantia, imaginem mundi quondam arsuri ostentarent. Commisti pluuijs lapides immodici ponderis, immaniq; mole cadebant. Certè Petrus Martyr lapidem Mediolanum allatum fuisse scribit, decẽ & centum mediolanensium librarum, quarum singulæ octo & viginti vncijs constant, quem tacti religione ciues studiosè asseruauissent. Particulam ex disruptis ad se missam in Hispaniam dicit, quã non sine maxima admiratione rex Ferdinãdus, pręsente magno Gõsalio, est contemplatus. Color erat semiglaucus, odor sulphureus, põdus auro non leuius, marchesitæ metallariæ persimilis. Porrò in Hispania eius anni tempestas inęqualis, prodigij loco etiam habebatur. Nam per menses Maium & Iunium, quando Hispalenses Africę

Universidad de Deusto Biblioteca

cæ proximi, longeque à Boreę flatu ſemoti, immodicis ſolent calori bus vrgeri, ita ſubitis frigoribus horreſcebant, vt focis luculentis hyemem alieno tempore ingruentem ſuſtinerent. Ea fuit tam inſignis mutatio, vt hirundines & ciconiæ, quæ ante calendas Februarias, vt ſolent, ſpem veris attulerant, menſibus æſtiuis hyemem ſæuientem tolerare non potuerint, & ad latibula, quibus ſe à frigoribus defendunt redierint. Sequentibus verò Decembri & Ianuario, cum iã rex Burgos conceſſiſſet, vbi propter vicinos aquilones oleæ non proueniunt, & vuæ raro mutureſcunt: ea fuit aeris temperies, & tam blandè Fauonij ſpirarunt, vt papiliones volitarent, & muſcæ paſſim non ſine moleſtia menſis aſsiderent. Non defuerunt in domo Ximenij caſus tragici & ominoſi: nam cùm Hiſpali ageret, quidam Mendoza eius lecticarius, in furorem quo per interualla corripiebatur, incidit. Is cùm morbum ex primis, & ſibi notis veſtigijs ingruere ſenſit, templa frequentiùs præter ſolitum ingredi, ad omnes aras ſupplicare adumbrata quadam religione. Tandem cùm ad aram maximam in genua procubuiſſet, ſuſpirijs & gemitu miſerabili, non ſine multis lachrymis omnium aſtantium oculos in ſe conuertit, & dicto citius, vt erat ſupplicantis habitu, ſe pugione quo præcingebatur, iugulauit. Decidit extemplo in caput exanimis, & magno tumultu exorto, multi rem diram aut templo, aut ſacerdotibus pronunciari iactarunt. Id non mediocriter Ximenium conturbauit: qui eò magis hoc caſu tangebatur, quòd hominem dementem, & tam manifeſta inſania ægrotantem, intra domum contineri non iuſſerit, aut certos cuſtodes non curauerit admouendos. Non multò poſt anno eius ſeculi. XII. ſub idus Ianuarias, Burgis rege conuentus agente, melior templi maximi pars qua tota moles ampliſsimi fornicis tholo connectitur, graui damno & iactura corruit. Quadraginta millia nũmũm aureorum ad eam reparandam impenſa eſſe dicuntur. Fuit tamen innoxia, nec vllus mortalium ruina perijt: accidit enim ſub noctem. Quòd ſi alia diei parte decidiſſet, fieri non poſſet, quin multi, tum profani, tum ſacri homines fuiſſent obtriti. Præuiderat eam ruinam Nauclerus quidam, architecturæ (vt aiunt) peritus. Nam quadraginta dies antequam fornix lapſa eſt, operoſam teſtudinem fuerat contemplatus, & ſtructuræ vitium aduertit, templique ſacerdotes monuit, ni in tempore ſuccurrereturur, breui

ruinam

ruinam futuram. Sed illi riſu eius diuinationem, vt plerunq; in his rebus accidere ſolet, quæ diuinitus futura ſunt, exceperunt, firmiorẽ teſtudinem eſſe perſuaſi, quàm vt nautici hominis dictis nutaret. Ergo poſtquam rex Hiſpalim relinquere decreuiſſet, Ximenius quoque ſub menſem Iunium, non multò poſt furioſi lecticarij necem, ante regis diſceſſum, in diœceſim ſuam venire inſtituit. Faciliori certè reditu eſt vſus, quam aduentu, vt ipſe ad Didacum Lupum ſcripſit, ſe bene valentem & hilarem venire: gaudereq; quòd regionem impendiò æſtuoſam, eo anni tempore reliquerit. Dum in itinere eſſet, ex literis ſuorum intellexit, Ioanni Cabreræ Toletano archidiacono, coadiutorem à Romano pontifice, propter ſenium datum. Semper eccleſiæ Toletanæ viſa eſt coadiutoris impetratio inuidioſa & iniqua, adeo vt grauibus pœnis multandum cenſerent, non ſolum impetratorem, ſed etiam eos qui id permiſiſſent, vt ex actis conſtat. At Ioannes, homo illuſtris, & regio fauore viuente fratre, & Bouadilla fratris vxore, ſuffultus, non dubitauit contra veterem morem priuilegijs Roma petitis vti: neque enim in vrbe patroni deerant, qui eius partes ſedulò tractarent. Ximenius qui priſcorum inſtitutorum ſemper maximus vindex fuit, ſolito animi robore vſus, impetratas tabulas à capitulo Toletano impediendas Romæ verò abrogandas, ſtatim apud regem & pontificem maximum curat. Dum hæc per capitulum geruntur, Illeſcis per aliquot dies manere decreuit. Prudenti ſanè conſilio, ne rei inuidioſæ, & quæ non poterat ſine mutua animorum exaſperatione vtrinque tractari, vir ſeuerus cogeretur intereſſe, & aliquid authoritate ſua indignum, dum animi incenduntur, palàm diceret. Ergo Complutum regia mandata expectaturus venit: interim cœptis ædificijs aliorumque fundamentis iaciendis, vt ſtatuerat, præſentia ſua inſtaturus. Hic ex Africa ad regem legatos veniſſe certior factus eſt. Nam cùm claſſis Gaditanæ terror vniuerſam Africam occupaſſet, Rex Trimeſenius, aliquotque item Mauritaniæ minores principes, regis noſtri potentiam formidantes, de pace cum eo componenda, de captiuis reſtituendis, & tributis pendendis, ſubmiſſis animis agere inſtituerunt: quanquam rege Fezano eam ſententiam diſſuadente, & graui atque acerbo ſermone eorum ignauiam & inertiam increpante. Ille enim potentia ſuæ ditionis confiſus, & quòd à littoribus noſtris longius ſemotus tardius ad ſe belli incommoda ventu-

ra

Universidad de Deusto Biblioteca

ra existimabat, amara & minaci ironia Ferdinandum Hispali agentem ad expeditionem Africanam inuitauerat. Nam se omnes vias paraturum, omnique offensa & impedimento liberas ad itinera facienda, alacri & ardenti suorum opera Fezam vsque, modò vellet traijcerere, complanaturum, per commeantium rumores pollicebatur. Reges qui se Ferdinando dedidere, Trimesenius, & Tunezius fuerunt, cumque his Cadihametus, qui licet regium nomen haud obtinebat, libera tamen ditione fruebatur, nulli ex regibus parere addictus. Oranicum commercium per Iudæos interpretes petierunt, muneribus, in amicitiæ signum oblatis. Trimesenius equos decem phaleris puniceis ornatos, cetras, & falcones totidem, vittas Arabicas, & pulcherrimè elaborata tapetia, & pelles equorum ephippijs aptas, vt illi nouerũt perficere. Cadihametus, insignis pulchritudinis cicuratum Leonem misit. De hisce donis in Trimesenij literis, quarum exemplum apud Martyrem est, ad hunc modum dicitur. Sanè munera nostra talia non sunt, qualia ad regem mitti debuissent, cuius nos potestati subijcimus, cæterùm monumenta, & pignora animorum nostrorum accipito, ac veluti quasdam indicaturas, quibus te dominum cæterarum rerum, quæ apud nos super sunt constituimus. Gauisus est antistes ob eam legationem, nam laboris sui fructus in dies magis ac magis elucebat, & trium dierũ supplicationes vt Toleti decernerentur, religiosissimè præcepit. Vrbs verò, quæ ad res huiusmodi celebrandas propensissima est, varijs ludis publicam lætitiam declarauit. Fuit hoc Ximenio gratissimum: nam ad Lupum literis. VI. idus Iulias datis sic ait. Trimesenij nuntium adeo non vulgari, nec mediocri affectu vrbem nostram exhilarauit, vt postquam omni genere lætitiæ exultarunt, quibus promiscuum vulgus sese oblectauit, supplicationes, & conciones capituli consulto decretæ sint, quibus Deo immortali gratiæ sunt habitæ, quòd gens olim spolijs nostris ferox, nunc Hispaniæ vires reformidans, sese regi nostro tam promptis animis, & demissis subijciat. Pluris enim hoc faciendum esse censeo, quam si omnis Africa ferro & cæde superata foret. Algerij regulus idem consilium cum Trimesenio, & cæteris secutus, sese fidei Ferdinandi tradidit, & præsidio Hispano Algerium fuit munitum: quod ingentis tranquillitatis causa littoribus nostris ea tempestate fuit. Ferdinandus, interea, rerum Italicarum, & Gallicæ cum pontifice Romano

Romano simultatis causâ, Burgis vrbe Gallis finitima conuentus publicos habere parat: vbi cùm de rebus maximis tractare vellet, Ximenij præsentiam necessariam esse iudicans, vt Burgos veniat iubet. Quod se libenter facturum Ximenius respondit, sed ob ardentissimos Iulij mensis calores, quo tempore literæ regiæ illi sunt redditæ, moram duntaxat viginti dierum petere, ad recreandas corporis senilis vires, ex peracto Hispalensi itinere fatigatas. Postquam Ferdinandus Burgos peruenit, & nondum Ximenium venisse deprehendit, literis rursus vt maturet solicitat, nam reipub. vehementer interesse, vt primo quoque tempore ad se veniat. Ximenius, vt omnem cessantis, aut parum obsequentis animi culpam à se depelleret, quòd regem, vt scripserat, Burgos accedentem non preuertisset, morbum iliacum sibi familiarem excusauit, quem per eos dies solito acerbiorem expertus esset. Sed cùm iam meliusculè se haberet, daturum operam vt sub Augusti idus, Burgis præsto regi esset. Sed quanuis id facere curauit, extremo Augusto Burgos est ingressus. In ædibus Salinarij comitis hospitium illi honoris causâ datum est: vnde Ferdinandus Caroli frater, migrare à Ferdinando auo iussus fuerat. Id verò neutiquam Ximenius tulit, siue principis pueri dignitati cedens, siue vt ex epistolis eius colligitur, quoniam domos quę circum erant, ad suam familiam excipiendam angustas esse iudicauit: tum etiam quòd ex suis procuratoribus cognouerat, Salinariam comitem fœminam grandęuam ædes illas inhabitare, ad quas & Maria etiam Vlloa eius propinqua quamprimum erat ventura. Nolebat igitur, austerioris disciplinę per omnia cultor, fœmineo contubernio vti, vnde vel sibi, vel familię molestia crearetur. Itaque in amplam Didaci Soriensis domum, ad diui Ęgidij portam concessit. Hîc cùm aliquando Ferdinandum puerum cum Ximenio deambulantem rex è fenestra palatij conspexisset, voce intentiori dixisse fertur. Euge nepos tali comite, à cuius latere, si quid mihi credis, nunquam discedes. Postquam Ximenius in ædem palatinam puerum deduxit, & petita venia discedere pararet, cœpit ille constanti vultu contendere, quasi Archiepiscopum in hospitium esset comitaturus, rege etiam nepotem hortante vt id faceret. Sed Ximenius id vt par erat non tulit, gratias

Universidad de Deusto Biblioteca

cumulatissimè agens, & pueri indolem miratus, domum abijt. Vrbium nostrarum procuratores Burgos iam conuenerant, & publicis conuentibus agi cœptis, multa tractabantur ad reipubli. vtilitatem pertinentia. Rex interdum in propinqua nemora tempestate anni peraccommoda (erat enim mensis October) ad ceruorum venationem qua maximè oblectabatur, prodibat. Solent enim sub Vergiliarum exortum impotenter ad venerem stimulari, cuius vi & cupidine perciti mortem minus cauent, & venatorum insidijs expositi medicatis sagittis feriuntur. Tunc legati à Pontif. Maxi. & rege Gallorum Burgos venerunt. De fœdere cum Venetis aduersus Gallum icto certior Ferdinandus fiebat, qui in partem vocatus, deberet Galli furorem reprimere, & ecclesię laboranti suppetias ferre. Haud erat rerum earum Ferdinandus ignarus: nam aliquot retro mensibus Maximilianum Romanorum regem, & Anglum generum, Venetamque rempubli. aduersus Gallum solicitauerat, quem in Italia dominari æquo ferre animo non poterat, quod proculdubio futurum videbat, si Pontif. Maximus deturbaretur. Totus ergo ille Hispalensis & Gaditanus apparatus magnam inuidiam contra Gallum apud omnes Christianos excitauit, vt qui vires Hispanię à paganorum faucibus in Italiam auerteret. Quod quàm inuitus Ferdinandus fecerit, literæ longissimæ ad Ximenium postridie idus Octobris datæ multis rationibus declarant. Earum autographum exemplum per Almazanum secretarium scriptum, & regis ipsius chirographo notatum, quoniam in manus meas deuenit, compendio inserendum hoc loco duxi. Reuerendissime in Christo pater, Toletane pontifex, Hispaniarum Primas, Cancellarie maxime, & summe Inquisitor aduersus hæreticam prauitatem, qui nobis semper coniunctione amicus, obseruantia parens es habitus. Ipse tu mihi consiliorum meorum particeps abunde testimonio esse potes, quot rationes hactenus inierim, quantamque industriam & cogitationem adhibuerim, vt Bononia, & reliquæ vrbes, & oppida, quibus Romana Ecclesia per regem Gallorum priuata est, Pontific. Maximo restituerentur, ne tumultus & schismata in republi. Christiana acciderent. Id quoniam neutiquam efficere potuimus, Ecclesię clamoribus & querelis concitati auxilium nostrum assiduè implorantis, reuerentia & obsequio qua

omnes reges Christiani in illam tenentur moti, commodis priuatis posthabitis, & expeditione, quam aduersus reipub. hostes parauerat, pretermissa, ad sedis apostolicę immunitatem defendendam, & Christi vicarium conseruandum, nostręque religionis caput tuendum, & in pristinam authoritatem asserendum, Deo Opti. Max. cuius causa agitur, auspice, omnes meas vires conuertere decreui. Ad eam rem ex dignitate nostra gerendam, quarto nonas Octobris, die tibi fausto ob diui Francisci religionem fœdus cum Pontif. Max. & Illustrissima Venetorum rep. pepigimus, quod vt vulgaretur curauimus, locum in eo serenissimis Imperatori fratri nostro, & Anglorũ regi carissimo filio, vt per legatos petierunt, relinquẽtes. Porrò intra vigesimum diuulgati fœderis diem, Raimundus Cardona, qui vices nostras Neapoli agit, Imperator exercitus ad Pontificiam restitutionem per principem fœderis declaratus, extemplo cum mille ducentis cataphractis equitibus & leuis armaturæ circiter mille, & decem millibus peditum Hispanorum, & tot bellicis tormentis, quæ satis ad vsum exercitus sufficiant, iustis itineribus ad quęrendum hostem, & loca per ipsum occupata recuperanda procedet. Hunc sequetur Termenensis dux, cum sexcentis Pontificijs equitibus. Ab altero latere, quod à Septentrione est, Venetæ acies Gallum circunuenient. Mare verò copiosa pariter, & perualida classe occupabimus, quò melius quæ cupimus assequamur. Etenim duo sunt nobis ante omnia curanda, ne quis princeps, aut Italiæ regulus ecclesię dignitatem aduersis armis vllo pacto labefactet: deinde vt cum ijs, qui ecclesiæ loca prętер fas tenent, bonis conditionibus, super eos licuerit, potiusquam cruentis certaminibus rem totam componamus. Quocirca maximo studio, & affectu peto, ad omnes templorum aras Deum immortalem supplicandum cures, vt ecclesię suæ causam tueri, & eius vnionem conseruare, vniuersoque Christiano orbi pacem, & concordiam propitius conferre velit: sic enim ab intestinis dissidijs liberi, aduersus Christianę religionis hostes cuncti vnanimes dimicabimus: quod vt fiat, in concilij Lateranensis indictione Pontifex Maxi. se curaturum pollicetur. Quę omnia cum reuerendo Episcopo Bertonorensi, Pontific. Maxi. nuntio, quem iam Barcinonam appulisse, & ad nos rectà venire scimus, tibi esse communicanda censeo. Dum hæc scribo, ex Gallis allatum est, ad Pisanum concilium, quotquot cõ-

Universidad de Deusto Biblioteca

ueniunt,inuitos trahi: literę postridie nonas Octob.sunt datæ. Ex Anglia serenissimus gener noster eandem nobiscum fortunam fœ deris initi experturum se promittit: eius literæ quarto Calendas Octob.sunt datę. Ab Imperatore Maximiliano omnia secundum nostram voluntatem offeruntur: literæ sunt beneuolentiæ, & optimę spei plenę, ante tertium diem Calend. Octobris scriptæ. Eam principum Christianorum consensionem intuentes,ne quid intentatum relinqueremus, quod maleuoli homines obijcere, aut saltem, quod magis veremur, numina incusare possent, rursus Gallum fratrem nostrum admonuimus, vt ab armis in ecclesiam infestis suos milites discedere cogat: nam si secus faxit, vires nostras nos vniuersas illi oppositurosq, quò ecclesię authoritatem defendamus, & vim omnem & tyrannicum impetum à communi matre propulsemus. Vale Reuerendissime in Christo pater Cardinalis, nobis care, & dilecte amice ac domine.Deus Opti.Maxi. in omne tempus tui curam suscipiat. Datis in oppido sanctę Crucis.xvj.Calend.Nouemb.anno salutis nostræ M. D. XI. Hęc ad Ximenium Burgis agentem tam prolixè scripsit, vt bellum quod parabat, tandem per virum grauissimum vulgaretur,& constaret ratio, cur in Africam apparata expeditio aliò transferebatur: ne quis per leuitatem sententiam mutatam crederet. Solent enim reges quę arcanis consilijs diu occultauerunt, tandem per viros præclaros,& apud populum in pretio habitos enuntiare: vt rebus propositis authoritatem addant,& à se inuidiam depellant. Hoc ipso anno dum mense Iulio Compluti ageret,nuptias irritandas curauit,quas (vt superius retulimus) Ioanna Cisneria cum Petro Gonsalio Mendozio contraxerat: causam verò & rei gestę seriē simplici narratione exponam. Petrus hic Gonsaluius Inachi Infantatus ducis secundi nepos fuit: nam Aluarus eius pater Inachi filius fuerat ex Maria Luna vxore, minor verò natu Didaco fratre ad quem Infantatus dominium deuenit. Hunc Aluarum Maria mater illius magni Comestabilis filia, quòd patris nomen retineret, cuius memoriam quanuis exagitatam aboleri dolebat, gentilitia hęreditate,quam à patre obtinuerat,Inacho etiam marito laudante donat: in qua non ignobilia oppida Turris Stephani,Abrami,castellum Vaiuellæ,Montes clari,& quod à ficu nomen habet cōtinebantur.Aluarus Tharasiam Carrillā, Alphonsi Carrilli filiam, qui

qui Pinti oppidi in Carpetania erat dominus,vxorem duxit: ex qua hunc Petrum Gonsaluium,de quo agimus,habuit. Interim moritur Inachus dux,& non multò post ipse Aluarus fatis quoque concesit. Didacus verò dux tertius,cùm ex Maria Pimentella lectissima fœmina filios quoque iam genuisset,Inachum qui dux quartus ętate mea vixit,vir per omnia magnus,qui post operā reip.egregiè nauatam,se nectam in literarum studijs transegit,& Rodericum minorem natu Mōticlarorum marchionē, dum cupit filium suum potius quàm fratris augere,cum Maria matre contendit,vt mutatis legati tabulis,Petrum Gonsalium expungeret, & Rodericum substitueret: se enim apud regem curaturum,vt simul cum hæreditate marchionis titulo cumularetur.Quare futurum,vt præpotenti & inclytæ familię non mediocre ornamentum accederet,si duo Infantatus ducis liberi,alter ducatum Mendoziæ gentis propriū,alter non contemnendū marchionatum possideret.Nam de Petro Gonsaluio nepote parum anxia,vt esset iubebat,satis enim nummatum socerum,& quiduis facere potentem Archiepiscopū Toletanum habere,cui vellet nollet charissimæ neptis cura suscipienda esset.Mouit his dictis fœminę animum,& vt sententiā mutaret persuasit. Atq; ita quicquid hac de re tabularum apud Tharasiam nurū seruabatur,ruptū fuit. Id postquā Ximenius resciuit,aliquot ex suis familiaribus, homines industrios & prudentes Guadalfajaram mittit,qui à Didaco duce,vt Gōsalui tutore,rationem patrimonij cōmissi exposcerent: neque enim acta cum matre adhuc palàm euulgata fuerant.Didacus verò ad rationē eo tempore non reddendā causas obtendens,Ximeniū eludere conabatur,vt ab ea re prosequenda tędio victus desisteret, & adolescente sponso cōtentus esset,quem tot auorum stemmata commendabant.Sensit Didaci machinas Ximenius,idcirco ætatis infirmitatem in Gonsaluio causatus(neque enim annum quatuordicimū attigerat)nuptias neptis,quę etiam propter ętatē nubilis non erat,irritas fecit.Hoc enim vnū erat,quod in tā manifesta iniuria, aduersus hominē potentē,agere potuit.Bernardinus Cluniensis comes,qui ex eadem Mendozia familia erat,cùm Ioannam Gonsaluio haud dari cognouisset,Ximenij authoritatem apud regem consyderans, qui cū priuatæ quędā Bernardino rationes erant, ob vicini prędulis ad res multas auxilū,sed potissimū ad Belēnę causam,cui' vicos,mōtes,& pascua,dux Infātat' pręter ius in Cluniēsis iniuriā occupāda curabat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alphonso filio comitatus Clunienſis hæredi vt daretur optabat: deque ea re, ita vt ad Ximenium peruenire poſſet, inter ſuos familiares agebat: Conditio erat cum primis Ximenio ambienda, nedum accipienda cum offerebatur. Nam ob nobiliſsimam Mendoziorũ familiam, & opulentum Clunienſem comitatum, à præcipuis Hiſpanię regulis ad filiarum ſuarum nuptias Alphonſus certatim expetebatur. Proinde poſtquam Ximenius intellexit, quanquam hominis animus religioſè timebat, ne propter nobilitatem generis & bene fundatas diuitias, maiorem dotem Bernardinus poſceret, quàm par eſſet à Chriſtiano & pio Antiſtite numerari: cœptæ tamen Academię molem, quam omnibus præſidijs fulcire cupiebat, & cœnobiorum inſtitutiones, atque ſacrarum ædium numeroſa ædificia, quæ ille vt abſoluerentur aſsiduè vrgebat reputans, Deo auſpice eas nuptias oblatas credidit, quibus & ſuæ genti patrocinium, & præclaris operibus defenſionem, & tutelam eſſet relicturus. Neptem igitur Alphonſo collocauit, ſuorum omnium, ſed Academiæ in primis, velut cariſsimæ filię, curam & incrementum Clunienſium fidei commendãs. Ex Ioanna Alphonſus liberos ſuſcepit Laurentium Suariũ, qui nũc Cluniæ dominium tenet, virum honeſtiſsimis rebus deditũ, qui Carolum Cæſarem, & Philippum eius filium aſſectatus, virtutis ſuæ periculum frequenter fecit: & Alphonſum Mendozium alti animi, & ad omnia virtutis ſtudia natum iuuenem, doctorem Theologum, Ildephonſi ędis collegam, qui anno Domini M.D.LXV. ad ſupremũ rectoratus gradum lectus, me animi dubium, & ceſſantem, vt has de Ximenio, qui eius patruus maior fuit, commentationes in publicum darem, compulit. Sunt his alij generoſi fratres, quorum inſignem & pręclaram virtutem, alij ſuis ſcriptis memorabunt. Anno M.D.xij. Ximenius ad Nauarrę regem, ex Iulij. II. Ponti. Max. & apoſtolicę ſedis authoritate, regno priuandum, Ferdinandum ſecutus eſt: erat enim ſchiſmatis Piſani, & belli aduerſus Pontif. & apoſtolicam ſedem ſuſcepti vnà cum Gallo Nauarrus fautor. Ante tamen quàm Burgis rex moueret, ſub reſurrectionis dominicæ feſtum Ximenium Complutum redijſſe inuenio, & Toleti celebrationi dominicę paſsionis adfuiſſe, vt rebus in diœceſi compoſitis, ad bellum paratior proficiſceretur: vbi cùm ſępe numero annonę caritate inopem plebeculam in vrbe noſtra premi videret, & publicanorũ iniquitate apud paucos frumentũ recondi, cum vrbis

præfecto egit, vt horrea publica, more Romano, Toleti inſtitucrentur. Nam Romani, vt erant mirabili prudentia, non vno tantum loco, ſed ſingulis vrbis regionibus conſtruenda curarunt. Primus Ximenius frumenti nonaginta mil. mod. populo Toletano donauit, nouis granarijs aſſeruandos, & quotannis in reipub. vſus diſtrahendos. Hanc curam ſenatus Toletanus ſuſcepit, qui vt ſe haud ingratos Antiſtiti ſuo bene merenti oſtenderent, pridie nonas Octob. altero poſt feſtum diui Franciſci die, Ximenij manes anniuerſario ſacro, in ſacello Mozarabum, vniuerſi congregati expiant. Concio per Franciſcanum monachum è cœnobio regio de eius laudibus & geſtis habetur, quam quotannis repetitam cupidiſsimè ciues noſtri, qui frequentiſsimi conueniunt, auſcultant. Durarunt hęc frumenta in horreis, maximo cum reipub. emolumento, vſque ad xxij. eius ſeculi annum, quo popularibus tumultibus exortis, & effręni licentia ignobiliſsimis quibuſque cuncta per ſeditionem diripientibus, magna ex parte perierunt. Sed nemo hactenus ex præſulibus noſtris fuit, qui rẽ cumprimis ad miſeros inopes ſubleuandos neceſſariam, reparare vel denuo adaugere curauerit. Noſter tamen Senatus, quod prædonum manuseo tempore effugit, diligenter collegerunt, & in præſentia, vt eſt grani pretium, ſummam quinque mil. aureorũ nummũm conficit. Quòd ſi quis ad calculos reuocet, annonam illius temporis non minorem ſummam eſſe intelliget, quæ nunc in publico vrbis ærario ſeruatur, quàm quæ olim à Ximenio eſt data. Hoc ergo remedio in cæli ſqualore miſeris ciuibus ſubuenitur, non ſolùm Toleti, ſed Compl. etiam, & Turrilacunę, & Ciſneris, vbi huiuſmodi horrea ex Ximenij liberalitate incolumia durant. Et in ſumma frumenti difficultate, cùm in alijs locis magno pretio ſtatim numerato, vix è priuatorum granarijs extrahitur, in his de quibus diximus, quinque denarijs tres tritici modios (tanti enim Ximenius vendi voluit) licet ciuibus emere. Sed quanuis Toleti ea direptio frumenti accideret, vrbs beneficium collatum anniuerſario celebrare non ceſſat, atque in huius rei monumentum in medio vrbis prætorio, vbi ſenatus de more habetur, inſcriptio eſt, qua Ximenij liberalitas declaratur: idem Complutenſes pręſtiterunt, inciſo epigrammate ad forum olitorium, quod ſic habet.

A Ethere ſeu largus, ſeu parcus decidat imber,
Larga eſt Compluti tempus in omne Ceres.

Universidad de Deusto Biblioteca

Dum annonæ tam piè & liberaliter Ximenius prouidet, Talabricæ Toletanorum Antistitum celebri municipio, monumentum marmoreum à rustico terram altius moliente repertum est, literis Romanis hoc exemplo insculptum.

✠
LITORIVS FAMVLVS DEI VIXIT ANN.
A PLVS MINVS LXXV. REQVIEVIT IN Ω
PACE DIE VIII. KALENDAS IVLIAS
AERA D.XXXXVIII.

Id cùm Ximenius resciuisset homo pietatis eximius cultor, cùm ex epitaphij serie, & literis A. & Ω. atque ex crucis imagine Christianum esse Litorium intelligeret, eius ossa & cippum, in Deiparę sacellum, quod extra oppidum est, sub mensem Maium deferenda curauit. Si æræ ratio attētius subducatur, Christianam religionem in Hispania longè ante mille & quinquaginta annos floruisse reperiet: cū sepulchralia Christianorum marmora Romanis literis publicè notarentur. Mense Augusto redijt Ximenius ad regem, rebus Nauarræ Locronij intentum. Certè semper fuit tāta Ximenio boni & ęqui cura, & tam accurata religionis obseruantia, vt iustam belli causam fuisse ex sola eius viri pręsentia credi possit. Diu enim regem nostrū est moratus, suadens vt omnia prius tentet, quàm ad arma descēdat: fieri enim posse, vt Nauarrus interea saniorem sententiam capesseret. Sed postquam Michael Pompelensis sacerdos legatis nostris scripta quædam tradidit ad Ferdinandum deferenda, quę ille in nummaria secretarij regis Nauarri crumena inuenerat, quem rex ferro domi confoderat cum concubina deprehensum, visum est Ximenio bellum non esse vlterius differēdum, & regem ad illud conficiendū, libero impetu ferri permisit. In illis quę diximus secretarij scriptis hęc ferme capita fœderis quod cū Gallo Nauarr° percusserat recēsebātur. Ferdinādo Pōti. Max. suppetias ferenti transitū in Italiā vterq; denegaret. Item quotiescunque Gallo visum fuisset, Nauarrus Hispaniam infestaret. Gallus Nauarro Fosseiorum patrimoniū, quod dux Nemorensis, Germanę reginæ frater possidebat, restitueret. Omnia quę à parente suo Alebritensi principe per reges Gallos ablata essent, Nauarro restituerentur. Gallus stipendia Nauarro conferat, qualia regiam personam decent, qui tanto cum regis Hispani odio Gallico sceptro sese subijciat. Gallus vniuersis regni sui viribus contendat,

tendat, vt ea loca quæ à Nauarræ limitibus Gamonalum vsque duobus millibus passuum citra Burgos sunt, vxori suæ Catharinæ reddātur: quod olim maiorū suorum possessionem fuisse ex antiquis monumentis constaret. His itaque apud regem nostrum & Hispanos principes lectis, cùm omnia iniurię plena per nefariam cupidinem, tanto cum reip. nostræ, & apostolicę sedis detrimento geri palàm esset, Ximenius regi socium & belli participem cum suis copijs se dedit. Dum Ferdinandus Locronij ageret, & tristior esset, quòd exercitus noster in angustijs quibusdam teneri nunciaretur, Santillum ad regē Ximenius cū mandatis misit, vt hac occasione regem exhilararet. Erat Sātillus Complutensis ciuis, homo dicax & vrbanus, qui tamen salibus candidis semper est vsus, ob quod apud Ximeniū gratiosus erat, & regi non ingratus. Hic ad regem ingressus, facultatem sibi dari postulabat Pampelonem eundi: se enim Gallorum exercitū in fugam posse conuertere. Rege dissimulante cum Santillus instaret, atque magnifica & gloriosa de se promitteret, rex aliquanto hilarior, si tu Santille (inquit) me vt iactas amares, iam oportebat Pompelonem venisse, & ducem Albanum, cęterosque qui obsidentur egregios milites, ab hostium incursu, manu ista pugnaci defendisse. Proceres omnes qui apud regem aderant, eum sermonem, non tam ad Santillum, quàm ad se dictum interpretati, inde discedentes tanto ardore aduolauerunt, vt postero die se omnes ad vnum, apud Pampelonis muros, in auxilium suorum armati sisterent. Tantum regis vocula efficit ad nobilium pectora excitanda. Quocirca quoties huiusmodi pericula ingruunt, solent reges ad eorum locorū cōfinia proficisci, in quę belli tempestas superuentura creditur. Nam illò regem cuncti sequuntur, & præstantissimis quibusq; ad eum confluētibus, pręsentiamque eius necessariò reuerentibus omnia è reip. vtilitate fiunt. Quod neminem Ferdinando rege diligentiùs, & crebriùs fecisse ex eius actis satis constat: vnde pleraque ex animi sententia confecit. Valdesij prętorianę cohortis præfecti, cuius cùm de Africano bello ageremus, mentio facta est, egregium factum memorię mandare operę pretium erit. Nam cętera quæ ad bellum Nauarrę pertinent, & quemadmodum illud regnum Castellæ cesserit, quoniam à viris disertis scripta sunt, non est cur actum agamus, denuo repetētes. Ergo Valdesius, cùm paucis aliquot antea mensibus, à rege Ferdinando ad Raimundum Cardonam cum mandatis missus esset, ne apud Ra

Universidad de Deusto Biblioteca

uennam cum Gallis confligeret,& quanuis magnis itineribus profectus fuit,eo peruenire nõ potuit ante prælium commissum,in quo fortissimè etiam dimicauit.Post verò ad regem reuersus,quo in statu res esset indicauit,& suę festinationis rationem exposuit,vnde celeriùs tantum viæ confici non potuerit constaret.Rex ob cladẽ præsentem grauiter commotus,nę tu(inquit)Valdesi,tibi prospicere nosti,qui ex tam ancipiti dimicatione incolumis ad nos venisti. Id dictum adeò Valdesium,nullius ignauię,aut timoris sibi cõscium,pupugit,vt dissimulato pro tempore opprobrio, hoc ipso de quo agimus Nauarrensi bello Lacedęmonio Leonida nequaquam inferior, in Roncalionæ vallis faucibus,cum quadringentis tantummodo militibus,vniuerso Gallorum exercitui se constanter opposuit. Palliza Gallicarum legionum imperator, qui cum olim Valdesio amicitia intercesserat,eum obnixè deprecabatur,vt pręsidio quopiam occupato cederet nęcessitati,neque vim vniuersam Germanorũ, & Vasconum,in se ac suos irritaret:nunquam tamen potuit à proposito diuelli,donec ad vnum cuncti interempti sunt,non sine magna Gallorum cęde:adeò excelsi animi viri contumelias ferre non possunt. Interea nostri dum Valdesius hostes moratur,Loberium,& Tafallã, munitissimas arces,ad deditionem compulerũt. Intercluserat enim Fonseca,quo duce hęc gerebantur, omnes vias, ne quid de subsidio Gallorum aduentãte sciri posset,& Nauarris spes omnis auxilij adimeretur. Successit annus.xiij.cuius principia Iulij.II.Pontif. Maxi. morte,& Ferdinandi regis lethali morbo lugubria fuerũt.Duo quidam Franciscani sodales pietate & literis præclari, Gallorum legati venire dicebantur,Anna eorum regina,fœmina religiosissima, pacem curante:quamobrem Ximenius apud regem maiorem eius anni partem fuit.Pintiam sub mensem Augustum sodales Franciscani Iacobo quodam Hispano reginę Gallicę familiari comitati,ingressi sunt,nec planè quid attulerint,quidúe postea cum illis actũ sit, in monumentis nostris reperio.Post legatorum discessum aulica iuuẽtus quò regem graui morbo affectum exhilararent, ludos militares (quos vulgo Iustas appellant)sumptuosè,& splendidè apparat. Qui ad huiusmodi ludos cęteros prouocant,solent libellos publicè affigere,quibus ludorum conditiones continentur.Hos prouocatores pręsto adesse oportet cuicunque illos in certamina poscenti,vnde Manutentores à nostris vocantur,qui & armorum splendore,& ornamentorũ

mentorum opulentia atque elegantia pręstare solent.Hi tunc quinque fuerunt,inter quos eminebat Alphonsus Mendoza Cluniensis, qui partim noua Antistitis affinitate,partim Ioannę sponsę amore exultans,sumptuosiùs quàm Ximenius vellet,se in diem ludorũ ornauit:nam septies millia nummûm aureorum ab Alphonso feruntur impensa,qui elegantis & sciti cultus pręmium tulisset,nisi manu multò cęteris promptior & alacrior per ludorum iudices esset iudicatus.Idcirco elegantię Ioanni Velasco Bernardini comestabilis nocho tributum fuit. Acti sunt hi ludi idibus Augusti in Germanæ reginę conspectu, loco Pintiæ celeberrimo, quem Rinconatam appellant.Ludos quoque regi proximus Ximenius spectauit, coactus nimia Alphonsi Cluniensis efflagitatione. Didacus Lupus Mendoza rationum Ximenij magister,dum Ximenij chirographo pecuniam impensam ad ludos quos diximus de more signari posceret,indignũ esse dixit tantum sumptum in re ludicra fecisse. Cui Ximenius postquam,inquit,hunc generum suscepimus,ad nostram magnificentiã pertinet,vt suę personæ splendidè subseruiat, aliôqui sordes nobis obijceretur,à quibus lõgè abhorremus:pręsertim cùm sumptus nec nimius fuerit,nec omnino perierit,sic enim regem morbo afflictum oblectare curauimus.Dum hæc Pintię gerebantur,Ioannes Camperus architectus,cui ędis Turrilacunitanę curam,Ximenius ad regẽ discedens commiserat,eo absente contra pacta conuenta Salmanticam ad templi maximi structuram abierat,operis diuturnioris illecebra,& spe maioris mercedis inuitatus.Ximenius,cui omnis mora interposita grauissima erat,crebrò enim solebat vsurpare fallacem esse senis sponsionem,Petrum Gonsaluum Valeram, virum probũ & prudentem misit,qui vi stipulationum Camperum vinctum perduceret.Camperus,qui robustum Ximenij animum nouerat, intra templi penetralia latuit,canibus etiam,qui dormienti excubias agerent,comitatus. Sed fide à Ximenio data fraudi non futurum eius aduentum, Madritum venit ad rem componendam, nam rex illuc discedere ob salubritatem cæli Carpetani decreuerat. Quærebatur Camperus ex pactis initis iacturam non mediocrem sibi obuenire, cui quadragies mille nummûm vltra pactam mercedem addidit,vt statim Turrilacunam ad cœnobium ædificandum rediret.Camperus dum nimis festinat,parum attentè ad perpendiculum parietes exegit:quare necesse fuit omnia ad iacta vsque fundamenta demoliri.

Universidad de Deusto Biblioteca

ri. Tolerauit id æquiori animo Ximenius, qui sciebat quàm facilè homines etiam periti labantur, atq; ob id erratum commodiore deinceps Campero vti potuit. Absolutum est id opus magnis impensis: nam cùm in patriæ suæ gratiam præclarum, & magnificum esse vellet, præter sumptuosam ædificij molem, aquę etiam perennis largissimam venam, è vicinis collibus magno labore deducendam curauit. Rupes durissimę malleis sunt fractæ, montes cauati, & aquę ductus validis fornicibus constructi, quibus aqua ad castella profluit, vnde in cœnobio purgatissima recipitur. Decies centenis millibus nummûm aquę duntaxat deductio Ximenio constitit. Vasa verò tã ad vsum sacrorum aurea & argentea, quàm ad cœnobij ministeria ænea, & figlina Talabrica aduecta, quę mirabili tectorio obducta, & varijs picturis decorata ęneis non cedunt, permulta dedit. Indumenta etiam, quibus sacerdotes in sacris vterentur, & stragula tapetiaque altaribus, & pauimentis exornandis, ex auro, serico, & lana nobilissima confecta, benignissimè tribuit. Visum etiam est domum Ioannis Ximenij fratris, quòd in ea natus esset, & puer reptasset, ędificio multò ampliori augere, & Benedicto nepoti addicere. Prędia itidem fraterna reparauit: & antiquũ Hispanię morẽ secutus, ea vt alienari nõ possent cauit, in perpetuum suę familię monumẽtum. Reip. etiam ter decies mille frumenti modios facili opera perpetuò adseruandos, in publicos vsus largitus est. Quo vnico præsidio ad hunc vsque diem, in annonę caritate Turrilacuna multum iuuatur. Sub hęc tempora Leo. X. Pontif. Maxi. qui Iulio. II. successit, vir excelsi animi, & bonorum ingeniorum fautor, sanctorum apostolorum Petri & Pauli ædem, quæ palatio Pontificio Romę coniuncta est, temporis vetustate collapsam, & rudis secli inscitia prauè ædificatam, Iulij. II. exemplum secutus, qui primus id est aggressus, in meliorem formam redigere decreuit, optimis quibusque architectis, sculptoribus, & pictoribus conquisitis, ad eius operis molem illustrandam. Sed quoniam non mediocris pecunię summa ad tantam rem necessaria erat, priuilegia quędam, quas Bullas vocant, in Hispania fuerunt, rege nostro annuente, promulgata, quæ certam stipem tribuentibus dabantur. Ximenius, vt erat priscę religionis tenacissimus, laudabat quidem eos, qui in templi apostolici constructionem suas pecunias largiebantur, sed priuilegia ob id dari, cõtra vetustos ecclesię ritus, nunquam probare voluit: & quid de hac re

sentiret

sentiret ad Pontif. Max. prudentissimè scripsit, & regi Ferdinãdo in priuatis colloquijs, sine vllo fuco declarauit. Anno decimoquarto insequente, dum rex morbi grauitate & fastidio afflictus, varia loca Hispaniæ pererrat, Ximenius Complutum ad opera sua vrgenda reuertitur, & duo cœnobia Ioannis cognomento pœnitentis, alterum Toleti, Compluti alterum, quæ iam diu (vt diximus) ædificari cœperant, tandem absoluta sunt: quanquam Complutense, ob assiduam Ximenij præsentiam, à virginibus ante hoc tempus inhabitabatur. Toletanum certè hoc anno dedicatum fuit, & totius vrbis applausu delectę fœminæ in Francisci normam iurarunt, & puellæ quæ post aut nubere, aut in cœnobio manere deberent, earũ magistrę sũt traditę, vt piè & sobriè educarẽtur, instituerenturq;. In hac sacra ęde Franciscus Ruizius Ximenij sodalis, Episcopus Abulensis, humari voluit, monumento è marmore candidissimo, à Panormo Sicilię allato, quod ob mollem signorum cęlaturam, mirè laudatur. Auxit etiam, in patroni benemerentis gratiam, illud cœnobiũ, additis sex sacerdotibus ad rem sacram quotidie faciendam, & perpetuis reditibus, ad aliquot puellas dote cassas quotannis collocandas. Cõpluti quòd Ximenius peculiari studio illud oppidum ornare curabat, rem vtilẽ, & iã diu excogitatam facere adgressus est, quę tamen nõ successit ex voto. Habet Complutum à meridie vltra flumẽ, quo alluitur, perpetuos colles, qui nonnunquam in montes assurgunt, nullis tamẽ dumis, aut arboribus vestitos. Hoc verò non tam soli sterilitate, quã negligentia incolarum euenire existimabat: dedit igitur operã, vt diligenter plantę ponerentur, & multi glandium modij, in scrobibus emollitis seminarentur, nam ilices quauis tellure prouenire audierat, & vtilissimas fore sciebat tum pecori alendo, tum lignis cędendis, quorum inopia Complutenses laborant. Sed fuit vt diximus irritus labor, occulta quapiam locorum ratione: aut quod verò similius est, quia illi montes herbam pecori sufficiunt, & non ea cura fuerunt custoditi, qua oportebat, ne tenerę plantę, aut semina latentia passim conculcarentur, præsertim totius territorij incolis reclamantibus, in quorum damna seminabantur, oportuisset enim per complures annos compascuis agris caruisse. Interea Leo Pontif. Max. Lateranense concilium, quod Iulius. II. indixerat rite inceptum perficere curabat: multaque apud Ximenium de rogationibus, & concilij decretis, partim literario conflictu, partim familiari

sermone

Universidad de Deusto Biblioteca

ſermone agitabantur. Grata permultum Ximenio fuerunt quę de magiſtris ſcholarum, & adoleſcentium inſtitutoribus à concilio præcipi audiuit. Nam cùm eo tempore ſuę Academię infantiam generoſo, & nulla prauitate infecto lacte imbuere, & alere curaret, dici non poteſt quanto applauſu decretum illud complexus ſit, quo ſancitur, vt non ſolùm iuuentus, in liberalibus diſciplinis erudiretur, ſed in ijs etiam, quæ ad religionis Chriſtianę notitiam pertinent: qualia ſunt præceptorum diuinorum, fidei articulorum, hymnorum, pſalmodiarumque cognitio, & quicquid de vitis ſanctorum per probatos authores ſcriptum habetur. Hęc omnia feſtis potiſsimùm diebus, nulla aliorum ſtudiorum intermiſta commentatione, prętérquam quę de moribus eſt, in gymnaſijs tradi iubebantur. Quo etiam tempore non ſolum miſſarum ſacrificijs, ſed concionibus ſacris, cæterisque de rebus diuinis officijs, quantum fieri poſsit vt intereſſent admonebantur. Illud in primis collaudatum ab eo audiui, quòd ſacrorum ordinum initiatis ſeuerisſimè demandabatur: vt poſtquam grammaticæ, & dialecticæ iuſtam operam impendiſſent, rebus philoſophicis, & poëticis, quinquennio duntaxat in publicis gymnaſijs incumbere liceret. Quod ſi eorum ſtudiorum amore capti, longiorem moram in ipſis ponere concupiſcerent, id nullo modo per Academiarum præfectos permitteretur, niſi iuri etiam Pontificio, aut ſacrę Theologiæ, aliquid quoque laboris quaſi in antidotum impartirentur. Dicebatur etiam Pontif. Maxi. ſedulò conniti, vt faſti noſtri, ob ſolis curſum à tempore Iulij Cęſaris nonnihil variantem, in ordinem redigerentur. Nam vt ex vetuſtis annalibus conſtat, ad Pontif. Max. pertinebat anni rationem exactè tenere, & faſtorum dierum rationem rite promulgare. De hac igitur re cùm apud Ximenium inter viros doctos ſermo haberetur, aliusque aliud pronunciaret, Antonius Nebriſſenſis dixiſſe fertur, id ſibi omnino ſimile videri antiquę fabulę, qua narratur quemadmodum dijs conſiliantibus, de orbis tumultu, ob mortalium bella ſedando, Iupiter habere ſe dixerit rem magni momenti, ad quam eorum conſilio opus eſſet, cui ſi vt ſperabat, ſubuenirent, ſtatim de cęteris orbis incommodis agēdum foret. Inſtare cęlites, vt tandem id proderet, ſe enim opera ſua iuuaturos. Succurrite (inquit) miſeris agricolis, quibus non ſat eſt cum raſtris, ligonibus, & aratris perpetuò contendere, ad exercendam

cendam tellurem, ſed nouus etiam labor multò moleſtior additur, in cucurbitis quotannis expurgandis ab interiore illa medulla, & fœcundiſsimo ſemine, quod ni ſedulò faciant, vaſis vinarijs ſint carituri, in magnum agriculturæ detrimentum: res ergo digna eſt in quam omnes incumbamus. Quare dijs viſum ſuperis vt cucurbitæ vacuo ventre poſtea naſcerentur. Næ tu (inquit) Ximenius, Antoni ſalſa ſimilitudine es vſus, ſed hęc res eſt, de qua priſci & ſanctiſsimi patres, ſummi quoque orbis Monarchæ ſtudioſè & ſolicitè, publicis concilijs, & priuatis congreſsibus egerunt. Mittam ad te Pauli Epiſcopi Foroſemproniensis volumen, ad me nuper ex Italia allatum, vbi errores qui ab huius rei ignoratione proueniunt panduntur, & Iudęorum riſus, & cachinni, oſcitantiam noſtram cauillantium, quòd Paſcha domini, & Dei noſtri in ſecundo menſe immundis (vt illi aiunt) deputato, ſæpe numero celebremus. Hæc cùm Ximenius dixiſſet, Nebriſſenſis gratijs pro tam beneuola obiurgatione actis, vera ea omnia eſſe faſſus eſt, ſeque magis ad eum oblectandum fabellæ meminiſſe, quàm quòd aliter ſentiret. Eſquinas Abulenſis canonicus literas, quas breues vocant, à Ponti. Maximo obtinuit, quæ menſe Decembri Abulæ ſunt publicatæ, quibus emolumenta, quę tribui ſolent canonicis, qui horis diuinis adſunt, vt abſens etiam perciperet concedebatur. Huic rei ſeſe Ximenius oppoſuit: & ad regem ſcripſit incommoda, quæ inde eſſent prouentura, niſi in tempore cauerentur. Tunc per regias literas iuſsi ſunt vrbium pręfecti, vt diplomata quæ Roma afferrentur, ad ſupremum regis tribunal mitterentur: Eſquinas etiam perterrefactus regis nomine, ni ab huiuſmodi priuilegijs petendis abſtineret. Annus iam quintus decimus eius ſeculi numerabatur, quem Ferdinando fatalem eſſe plerique exiſtimabant. Frequentes ergo literę ad Ximenium dabantur, tum regis, tum eorum qui illi à conſilijs erant, quibus vt ad publica negotia animum conuerteret, & regi ęgrotanti curarum partem detraheret, rogabatur. Neque enim ſuis priuatis rebus agendis, rege conualeſcente tempus defuturum. Ximenius, qua erat prudentia, facilè animaduertit laborioſum admodum ſibi futurum, ſi regem nuſquam quieſcentem, per ſaltuoſa loca aſſectaretur, tam imbecillo corpore, & valetudine parum firma. Videbat etiam regem permoleſtè ferre, ſi quis de rebus ſerijs

ad

Universidad de Deusto Biblioteca

ad remp.pertinentibus ſecum ageret, qui tantum erat in morbo de pellendo attentus. Quare conſultius ſe facturum, ſi valetudinem ſuā curaret, & vires ſeruaret in tempus opportunius, & multò reipub. neceſſarius, quod propediem futurum coniectabat. Decreuit itaque Complu. commorari, & res propoſitas de villis in vſum Academię conſtruendis, ad coronidem perducere. Dixi mus in Butragiorū mō tibus, qui in confinio Vacceorum ſunt, ędem ſacram in remoto ſeceſ ſu eſſe, vndiq; nemoribus & montibus cinctā, prorſus muſarum ſtudijs, & diuinarum rerum cōtemplationi aptam. Diui nomē cui eſt dicata, ex antiquis quę apud Academiam Compl. aſſeruantur monu mentis, Auditum eſſe liquidò conſtat, quanuis eius memoriam in fa ſtis ſacris nullibi reperiam. Vulgò à noſtris Sanctoid appellatur ma niſeſta ab auditi nomine deriuatione. De primis cōditoribus, nil cer ti quod ſcribam habeo, locus canonicis ſacerdotibus videtur extructus: nam & chorus eſt pſalmodijs dicendis, ſedilibus diſpoſitis conſtructus, & triclinium (quod refectorium vocant) peramplum, cęteraque multa ad vitam promiſcue degendam neceſſaria. Fons eſt in proximo prædiolo, qui Domini Sāctij appellationem ſeruat. Quin eius oſſa ligneis loculis ſerico panno contectis in choro aſſeruabantur, donec Chriſtophori Petrij doctoris Theologi opera, qui diu ibi priorem egit, monumento è gypſo iuxta aram ſunt cōdita. Sed quis ille Sanctius fuerit, aut quibus ortus parentibus, quoúe ex loco ad eos montes venerit, neque ex inſignibus inſculptis, neque ex vllis monumentis, aut hominum memorijs aſſequi potui. Fama tamen quædam eſt, regis fuiſſe filium, qui ad ea loca, dum Barbari miſerè Hiſpaniam vaſtarent, cum multis ſanctorum reliquijs ſeceſſerit. Has poſtea Ximenius, pręſentibus Franciſco Ruizio Abulenſi Epiſcopo, & nonnullis alijs, è thecis detractas meliori in loco repoſuit. In antiquis membranis, quæ in Academiæ ſcrinijs aſſeruantur, inuenio nemus ſancti Auditi, de quo nunc agimus, canonicorum ſacerdotum poſſeſsionem fuiſſe, qui ędem diuæ Leocadiæ dicatam ad Toletum colebant. Arquillinum verò abbatem de ſodalium Leocadiæ voluntate, & Archiepiſcopi Toletani iuſſu, ac patrum eccleſiæ Toletanę conſenſu, nemus illud regi Alphonſo octauo conceſsiſſe, qui tertius vocatur in membranis, quòd ab Alphonſo, qui Toletum cepit, eſſet tertius. Hunc poſtea Ferdinando Didacio ſancti Iacobi militiæ magiſtro, quem dile-

dilectiſſimum ſibi virum, & omni religione præditum ibi vocat, cœnobium ſancti Auditi (nam ita in membranis habetur) cum vicinis nemoribus liberaliter donaſſe. Quis deinde cœnobij ſtatus fuerit, quiúe homines ipſum habitauerint, mihi planè incognitum eſt. Igitur hanc ædem cùm à Priore de quo libro proximo diximus, Ximenius extorſiſſet, theologis doctoribus, qui ſcholaſticam palæſtrā abſoluiſſent ſeceſſum eſſe voluit, vt nonnulli dicunt: vbi curis omnibus vacui, ſacros authores per otium euoluerent. Certè patres, academiaq; Compl. cùm hanc fuiſſe conditoris mentem arbitrarētur, de eiuſmodi ſodalitate Compluti creanda ſępenumero ſermonem contulerunt. Sed ſiue publica rerum cura Ximenium ab hac cogitatione dimouerit, aut loci rigor nimius, ob Boreæ aſſiduos flatus ſententiam mutare coegerit, certè potius id vulgo iactatum, quàm vlla Ximenij certa deſtinatione agitatum fuiſſe, par eſt credere. Sunt etiam nunc, qui Ximenium dicentem audiuerint, tres villas amœnitate, & ſalubritate notabiles ſe ædificaturum, ad quas ęſtiuo, aut peſtilenti, aut turbulento tempore ob populares motus, Ildephonſi collegæ migrare poſſent. Harum vnam diui Auditi ædem fuiſſe, quā in locis multis ſumptuoſè conſtruxit, additis molis frumentarijs, quæ à proximo riuo verſarentur, non ſine magna vtilitate tum villæ, tum finitimorum agricolarum. Alteram non longè ab agro Turrilacunitano, quam Aldehuelain (quaſi viculum dixeris) appellant. Vbi ædem diui Ildephonſi, quæ Complutenſis æmula videri poterat, eiſdem prope partibus, & membris diſtinctam, à primis fundamentis exædificauit, aptiorem tamen hyemali tempori quàm æſtiuo, ſed prædio vini optimi, & frumenti feraciſsimo ornatam, vnde maximum emolumentum collegæ capiunt. Tertiam verò Anchuelli agro Complutenſi, erigere cœpit. Sed cùm parum ex animi ſententia ſurgentem cerneret, demoliri protinus iuſsit, neque amplius de reficienda cogitauit. Verùm duæ, quas diximus, villæ, ſatis ſunt ad prædicta incommoda euitanda. Tædiū certè aſsiduitatis & diuturnæ in Compluti ædibus habitationis, villarum præſidio abunde diſcutitur. Ximenius poſtquam Anchuēlli villam demolitus eſt, ſanctum Torquatum Compluto proximū, & ſuæ ditionis oppidū venit, vbi arcem, quę vetuſtate collabebatur, tā firma ſtructura & decora reparauit, vt pontificibus Toletanis haud aſpernāda habitatio habeatur. Hoc igitur propoſito, & incredibili

Universidad de Deusto Biblioteca

animi præstantia,& celeritate,tot præclara opera cõstruxit, quæ nõ solùm vrbem aliquam,sed totam Carpetaniam,imò vero totã Hispaniam illustrant. Auget hanc magnificentiam tenuitas prouentuum,& vectigalium archiepiscopatus Toletani, sicum opulentia & summa fructuum copia nostri temporis conferantur. Multis morbo ædificandi laborare, alijs rerum bellicarum studiosior, quàm antistiti conueniret,visus est. Nonnulli literarum,& doctorum hominum fautorem mirum in modum fuisse,cætera verò nõ natura sed consilio procurasse. Hæc tam varia de illo iudicia,non aliunde nata esse constat,quàm quòd in rem semel susceptam, adeo gnauiter incumbebat,vt illi solùm natus,in eamq; tantum ingenio ferri videretur. Sub mensem Iulium rursus literis regis Arandã euocatur,quæ ad flumen Duriam sita est:quò Augusto mense, qua potuit festinatione,contendit. Nam rex cùm Burgis ageret,à cubiculi custodibus animo defectus, & toto corpore tremebundo repertus est,qui eius gemitu,& rhonchis excitati adcurrerunt,& vix frigida adspersa, membrorumque confricatione,in sese vt rediret effecerunt. Creditum est id regi accidisse,quòd per æstiuos calores,fenestris cubiculi apertis,& leuibus stragulis tectus, noctu dormiens aura frigidiore & tenui, qualis Burgensis est, afflatus fuerit: vnde illæ corporis motiones & torsiones oculorum prouenerunt. Hoc casu rex perterrefactus, Burgis relictis Arandam profectus est: Ximenium statim ad se venire iubet, de reipubli.statu cum eo acturus. Nam cùm ineunte anno, Germanam reginam in Aragoniam ad conuentus faciendos misisset,quoniam ipse ad alteros Burgis celebrandos procuratores Castellanos conuocauerat: regina rursus in Castellam reuocata ad Aragonios absoluendos proficisci meditabatur. Acciderunt autem nonnullæ res,quæ regiam maiestatem offenderant,& magis arcano beneuolentium hominum consilio,quàm publica seueritate animaduertenda erant. Vt ergo Ximenium venire nouit,ad pontem eius oppidi,obuiam illi lectica processit,magna omnium admiratione,qui regem se quoquã ob ægritudinem difficulter mouere nouerant. Id enim rex perpetua quadam religione obseruauit,vt Ximeniũ,ad regiũ comitatum veniẽtẽ honoris gratia extra oppidi mœnia salutaturus, pgrederetur, quod me aliàs annotasse memini. Vt rex ad põtẽ peruenit,lectica descẽdit qui dũfluuiũ magni in Hispania nominis,rapido alueo fluẽtẽ spectat

Ximenius adfuit,& post mutuas salutationes in oppidum colloquẽtes processerunt. Post aliquot dies Antonius Augustinus,regnorum Aragoniæ vicecancellarius reipub. malè actæ insimulatus,in Septimancam arcem,graui custodia seruandus,missus est. Sed hunc anno insequenti,iam Ximenio regni summam moderãte,quòd aliàs reipub.esset multis in rebus vtilis,vadibus datis,custodia abire permisit. Inde rex sub finem Augusti Segobiam cõcessit:nam partim ob temporis calorem,partim ob ægritudinem in dies ingrauescentem in Aragoniam iturus non credebatur. Sed extemplo,quæ est animi ægrotantis inconstantia, quanuis cunctis proceribus diuersum suadentibus,Aragoniam proficisci statuit, reipub. cura Ximenio demandata. Vt Rex Bilbilim peruenit,ibi proceres Aragonios allocutus de rebus quæ vrgere videbantur,statim Madritum redijt. Sed cùm nullibi satis commodè consisteret,Placentiam in antiqua Lusitania vrbem, ex medicorum sententia, quòd mitius cælum ad hyemem transigendam habere credatur, sub Nouembrem mensem contendit. Haud diu ibi commoratus, in Albani reguli amœnissimum prædium,quod Abbatiam vocant,ad ceruorum venationem discessit. Sed neque hoc illi ex animi sententia fuit,adeo cuncta quæ quondam placuerant fastidio erant. Omnia sibi angusta & arcta in vrbibus esse clamitabat, & sub dio velle vitam agere,vbi latè paterent campi,optabat: tanta erat mentis anxietas, & præcordiorum æstuatio. Dum hîc per mensem Decembrem immoratur, Adrianum Traiectensem Louanij decanum,qui à Carolo nepote legatus venerat,honorificè recepit. Sed rege negotia vniuersa fastidiẽte,Placentiæ vbi regius comitatus degebat,aut in Guadalupi cœnobio,donec vocaretur expectare iussus est. Hic rursus Ximenij præsentia desideratur:nã Segouia Cõplutũ migrauerat, de suis ædificijs solicitus,quæ quò magis ad coronidẽ perducta videbãtur,tãto plus manum extremam illis imponere,quod & fecit,cupiebat. Igitur rerum subindè pullulantium molem adillum reijcere Ferdinandus desiderans,crebris literis ad se vocauerat. Ximenius verò, quanuis nihil magis per id tempus concupisceret,quã regi laboranti, & ferme extremum halitum ducenti adesse,recusabat tamen eò venire: ne si se præsente,quod postea euenit,regnorũ moderationi præficeretur, non tam regis de se iudicio,quàm ambitione sua factum esse videretur. Tum etiam verebatur,ne si cum rege in Bæticam secederet, vt

Universidad de Deusto Biblioteca

vulgò iactabatur,Reguli interea,qui toties in Ferdinandum conspi rauerant,& quibus eius dominatus grauis erat,aliquid noui molirẽ tur:præsertim cùm Belgæ,in quorum potestate Carolus puer erat, nihil magis quàm imperium optarent.Itaq; regi ad hunc modum respondit.Se quidem omni cura & diligẽtia ad iter parasse,sed im brium immodicè superuenientium tempestate retardatum fuisse: nam ea rapidorum torrentium inundatio nunciabatur, vt omnis transitus esset interceptus:post serenitatem verò redditam nihil cer ti habuisse de regis mansione, quam subinde mutare intellexerat: quamobrem decreuisse tantisper immorari,donec certior de ea re fieret.Quòd si in eo Lusitaniæ tractu,qui propinquior Tarraconensi est,eam hyemem transigere statueret,se quamprimũ ad ipsum ven turum,atq; ea de causa simulatq; epiphaniæ festum celebrasset, ad Talabricenses venturum,vt in extremo ad occidentem diœcesis suę limite,regis mandatum opperiretur. Quòd si in Bæticam ire ani mus esset,& Granatam,Malacam,cæterasq; eius orę vrbes peragra re,sciret multas ob causas,de quibus latiùs aliàs scripserat,Ximenij pręsentiam in Tarraconensi tractu necessariam esse.Quòd verò co miter & amicè Adrianum nepotis legatum suscepisset, id ex regia dignitate factum esse:custodes tamen(quod ex aliorũ literis cogno uerat)illi palàm appositos,vt nemo eum adiret,qui regi ingratus aut suspectus haberetur,sibi non prabari.Neque enim cum viro probi tate,aut doctrina singulari,& qui pacis in remp. inducendæ causave nerat,vt cum sed itiosis,& prauis ingenijs agendum esse. Postquam hæc ad regem scripsit,quod de Bætica non adeunda significauerat, adeo firmiter seruandum proposuerat,vt Alarconio,quem hospitij parandi causa,ad comitatum regium præmiserat,per Didaci literas iusserit,vt si Hispalim rex proficisci tandem decernat,ipse extẽplo Complutum redeat.Ad Adrianum verò literas humanitatis ple nas dedit,quibus de eius in Hispaniam aduentu gratulatur, & per molestè tulisse ait,quòd eo tempore à comitatu regio abesset,in quo Adriani conspectu,& consuetudine tãta cum animi voluptate frui potuisset,quem cuncti in omni virtutum & doctrinarum genere virum summum prædicarent. Cæterùm simulatq; de regis in loco certo mansione cognouisset,illuc festinaturum. Nãdum per incer tas sedes rex vagaretur,ætati suæ,aut valetudini tutũ non esse,regem assectari.Interea regina cùm ab Aragonijs conuẽtibus redijsset, Cõ plutum

plutum diuertit,vbi regiè & lautissimè acceptã,Ximenius omni of ficiorum genere prosecutus est.Illa verò in amplissimis Compluten sis palatij ædibus animũ relaxabat,& choro suarum puellarũ sine fa stu intermista,negotiorum molestias quas apud Aragonios cõtra xerat,deposuit.Ibi Ximenius de regis valetudine,de propositi sui ra tione,& de dilatione suę profectionis ad regẽ,deq; multis alijs reip. reb⁹ cũ regina egit.Illa rursus de iliorũ dolore,quo rex in abbatia ve hementer laborauerat,& de lapide pręmagno per viscera eiecto,cũ maximo totius corporis tremore,quemadmodũ ex regis literis intel lexerat,Ximenio exposuit. Quocirca citatis ad eum itineribus pro perare,foreq; sibi oppidò quam gratũ si ipse se viæ comitẽ daret.Cæ terùm quando ea impedimenta,quæ dixerat obstabant,id (inquit) facias,quod magis è rep.futurum arbitraris.Nã ego regi pro dignita te causas omnes quas retulisti ob oculos sum positura. Sed id vt pol licita fuerat perficere regina nequaq̃ potuit:nã fata regem importu nè affligebant,& quanuis omni festinatione noctu diuq; iter suscep tũ vrgeret,Matricalioli iam iã moribundũ offendit.Quare eũ allo qui,aut priuatim de reb⁹ suis agere nõ potuit.Tertio postq̃ regina ad uenerat die,rex Ferdinãdus inter viuos esse desijt:quibus diebus tãta rerũ moles instabat,tot negotia peragẽda se offerebãt,vt nihil aliud quã flere,per id tempus reginæ licuerit.Nam cùm ante aliquot dies rex Ferdinãdus Abbatia discessisset,totamq; illam Lusitaniæ apri cam regionem, quæ Areuatum prouincia includitur, pererrando æger circumiret, aliquot dies Trugilio immoratus,quæ antiqua tur ris Iulij à nonnullis creditur, inde in vicum ignobilem, Guadalupi ni cœnobij magna ex parte prædium, cui Matricaliolum nomen est,locum sibi fatalem,venit: Nam vt audio,iam illi olim prædictũ fuerat,vt Matricalium sedulò caueret.Quod quanuis rex religiosissi mus idemq; magni animi semper spreuisset,nihilominus humanũ aliquid in ea re passus,Matricalium Vacceorum non longè a Pin tia oppidum, ob nobile vinum memorabile vitabat,sed longè memorabilius quòd Alphonsi Tostati episcopi Abulensis natale so lum fuerit,viri multiscij,cuius numerosa & varijs de rebus cùm sa cris, tum profanis edita volumina,Didymo illi Alexandrino parẽ faciunt.Ergo tandem in Matricaliolum incidit,vt verè dictũ esse cõ stet,quid quisq; vitet non satis cautum est in horas.Multa huic am bagi similia traduntur non solũ gentium historijs,sed Christianorũ

Universidad de Deusto Biblioteca

etiam vt de Annibale pœno, & Athenienſibus,illo Libyſſam fatalē ſepulchro fugiente,his ſiculam terram quærentibus:& de Federico II.imperatore,qui Florentiam aſtrologi monitis euitabat,& Florentiolæ obijt.Sed hæc omnia meræ ſunt hominū impoſturæ,qui poſt rerum euentum huiuſmodi fingunt oracula,quę incerto authore in vulgus ſparguntur . Sunt etiam mulieres phanaticæ,quæ ſimulata quadam ſanctimonia ſe futura nouiſſe prædicant,& principibus nimium credulis, de rebus quæ vt eueniant miſerè optant,facilè imponunt. Sic Ferdinandus Rex quanuis morbo multum præualeſcente, fœminæ, quam Beatam Abulenſem vocabant, prædictionibus deceptus, quaſi multò diutius eſſet victurus , neque Adrianum, qui vt hæc cognouit, Guadalupo Matricolialum venerat, ad ſe recepit,quòd non tam de rebus reip.acturus,quàm de eius valetudine,& vita ſermones captaturus aduenisſe diceret,neq; Matiēzum franciſcanum ſodalem,qui illi à confeſsionibus erat,tempore maximè neceſſario admittere voluit.Aiebat enim nō pietatis cauſâ , ſed potius libellorum ſignandorū,& peculiari ambitione impulſum venire,vt regē obtunderet : tanta erat viuēdi cupido,&adeo inſederāt fanaticæ mulieris promiſſa.Sed cū aliquot ſupremi ſenatus iudices qui regē comitabantur,aliquotq; etiā inſignes medici ei blādis alloquijs,& beneuolis ſermonibus finē inſtantē denuntiarent, & vt ſibi ac reip.quā tanta caritate hactenus cōplexus fuiſſet cōſuleret,adhortarētur:tandē illorum precibus,viq; morbi victus,Adrianū ad ſe vocari iuſſit:& poſtq̄ humanè ſalutauit,vt Guadalupū rediret mādat, quò ſi viueret,quā primum ſe iturū dixit,ad publicas res cū Adriano cōponendas.Cū Matienzo etiam,per aliquot horas ſemotis arbitris collocutus,& cōſcientia more Chriſtiano expiata,atq; venia eratorū à Deo opt.max.ſuppliciter petita,ad reip.curam,Matiēzi cōſilio conuerſus,teſtamenti tabulas,quas nō ita pridē Burgis condiderat,intimis amicis,& regijs ſenatoribus,qui illic aderant inſpiciendas,& retractandas tradidit.In eis Ferdinandum puerū Caroli principis fratrem,gubernatorem horum regnorum,conſtituebat,& illa tria militarium ordinum magiſteria,ſancti Iacobi,Oretani,& Alcantarenſis, iure hęreditario donabat.Illi ergo, multis rationibus adductis,vtrunq; reprobarūt,vnde teſtamentum Burgenſe irritum eſt factum,& alterum denuo compoſitum & obſignatum.De Ferdinando gubernationi non præficiendo , & ſi rex ſibi perſuaſerat,

Caro

Carolum Belgicis moribus innutritum,in Hiſpaniam nūquam vēturum,facilè acquieuit.Nam quanuis Ferdinandi indoles nihil ſiniſtri ſuſpicari de ſe permittebat,tamen rex prudentiſſimus facilè intellexit,non defuturos peruerſos homines,qui mentem pueri ob priuatas ſuas rationes immutarent. At de magiſteriorum legato mutando,non libenter audiebat:quòd Ferdinandus,quem vnicè dilexerat,patrimonio regio deſtitutus,vitam inopem acturus videbatur. Sed cùm fideles conſiliarij monerent vt quid faceret attentius inſpiceret:nam ſi experimento pernicioſo cognitū abunde fuit,vel vnius ordinis magiſtrum regi ſæpius negotium faceſſiſſe:quam diſcordiarum materiam ſe ſubminiſtrare credibile erat,tribus magiſterijs in vnum Ferdinandum Collatis?Præſertim cùm nullas maiores diuitias poſſet nepoti relinquere,quàm Caroli fratris beneuolentiam: quare & hoc etiam legatum inductum eſt.Carolus ergo regina matre viuente,gubernationi reip.præficitur:quod ob patriam in Ioannam poteſtatem regi facere iure licuit.Habita illico cōſultatio fuit, de viro magnanimo ac prudente,cui cura regnorum abſente Carolo cōmitteretur.Anceps erat ea deſignatio:nam neq; ex regulis tutum erat conſtituere,ob antiquas inter ipſos ſimultates:neq; ex hominibus mediocris fortunæ,ob ingenia Hiſpanorum , qui minorū imperia pati neſciunt:& quòd rariſſimum ſit,virum inuenire paruis aſſuetum,qui perſonam tantæ rei aptam ſubitò induere valeat. Laurentius Galindus Carauaialius,iuris cōſultus,& regius ſenator, qui iſti deliberationi aderat,Franciſcum Ximenium Archiepiſcopum Toletanum eum eſſe quem requirebant,dixit.Sed rex vultus auerſatione,qui animi motus plerunq; indicat,ſibi non placere oſtēdit:quod verbis etiam ſic confirmauit.An vos(inquit) ingenium ſeuerum Ximenij non cognoſcitis,hominibus tractandis in tāta morum varietate haud accommodum?Sed cùm ad hanc vocem conticuiſſent omnes,rex quaſi diuinitus mutata ſententia,ſic ait.Si hominem effingere pro votis liceret ad rem de qua agimus,tractabilio rem Ximenium voluiſſem:mores enim hominum quotidie degenerantes,ad priſcum illum honeſtatis rigorem,quē Ximenius profitetur,exigere,magnas in rep.difficultates excitare ſolet. Sed vt veſtram ſententiam probem,facit in primis hominis integritas , animusq; ſemper recti & iuſti appetens:poſt hæc quòd nulla propinquitate regulorum cuiquam coniunctus,nihil priuatis amicitijs eſt da

T 4 turus

Universidad de Deusto Biblioteca

turus.Porrò beneficia,quæ ego & Isabella regina in illum contulimus,nostrarum rerum studiosissimum fecerunt,atq; in nostro (vt sic dicam)ære est,quod quotidianis exemplis haud obscurè declaraui t.Ad hos regis sermones plausus adstantium est secutus : qui regi pro Ximenij designatione gratias agentes, eius sententiam vehemẽter collaudarunt.His atq; alijs prudenter curatis,rex se morti proximum intelligens,sanctissimæ Eucharistiæ viatico suscepto, & oleo sacro vnctus.XIIII.calendas Febr.antequam illuxisset , religiosissimæ vitæ cursum clausit,dignus qui inter reges præstantissimos adnumeretur.De quo,in scholasticorum frequenti consessu , Ciruelus Darocensis theologus,vt illa ferebant tempora memorabilis,in oratione funebri,vnum inter reges Ferdinandum fuisse dixit,qui regnãdi rationẽ posset instituere: & ob insignem prudentiam, cum longa rerum experientia coniunctam,de recta principum gubernatione, non vulgaria pręcepta tradere.Extemplo Carauaialus,& Vargas inter regios senatores primarij, ad Adrianum qui rerum euentũ Guadalupi expectabat,sunt missi,& iam Matricaliolum properanti occurrerunt.Postquam igitur ad vicum accesserunt,vbi Federicus à Toleto dux Albanus,& Bernardinus Rogius Dianiensis marchio,& Fadricus Portugalius Seguntinus episcopus,& Ioannes Fonseca Burgẽsis antistes,cum multis alijs viris primarijs aduenientes pręstolabantur,Regis testamentum eo ipso die ante meridiem,apertum & euulgatum est:atque eius exemplum,quod ad Belgas Carolo transmitteret,authoritate publica,Adriano qui id iure flagitauerat , traditũ fuit.Ximenius regij senatus literis Compluto Guadalupum continuò accersitur,simulq; illum certiorem faciunt,regis testamento,ad remp.gubernandam,donec Carolus princeps in Hispaniam veniat declaratum.Rex Granatam tumulandus effertur .Gonsalus Guzmanus Oretani magisterij clauiger,Aluarus Osorius Asturicẽsis antistes,Ferdinandi pueri custodes,qui Guadalupi rerum successus , vt cæteri omnes suspensi expectauerant,ob irritas Burgenses tabulas, vana spe quam conceperant delusi , tacitis animis indignabantur. Sed actorum ignorantiam simulantes,Ferdinandum alumnum impulerunt,vt iure tabularum Burgensium quibus gubernator regnorum,absente fratre constituebatur, authoritatem regiam vsurparet:& libellos de more ad senatores regios,aliosque proceres,qui cõuenerant mitteret,quos ad se Guadalupum vocaret. In libellorum capi-

capitibus infantis nomen(sic enim principis fratres appellant)inscriptum erat,ea forma qua soli reges in Hispania vti solent.Eius rei insolentiam cùm singuli ad quos dabantur iniquo animo suscepissent:vnus ex regijs senatoribus fidei publicæ,regiæque obseruantiæ studiosus,renuntiato(inquit)infanti,nos Guadalupum iamiam festinare,vbi officij nostri memores debitam reuerentiam exhibebimus: regem tamen nisi Cęsarem habemus neminem. Quæ vox postquã Carolus Rex Romanorum est designatus , & non multò post Cæsar factus , prouerbij loco iactabatur, quasi certissimum imperij omen fuisset.

Universidad de Deusto Biblioteca

LIBER SEXTVS.

EXTREMVS rerum à Ximenio geſtarũ actus ſupereſt,in quo fatis eum ad maximum faſtigiũ, & amplitudinem ſupremam ſubuehentibus,quẽ admodum Hiſpaniæ ſceptra abſente Carolo biẽnium ferme moderatus fuerit,& quanta authoritate & imperio,motus qui eo tẽpore in rep.exorti ſunt,aut repreſſerit,aut ſuſtulerit ſumus tradituri.Nam cùm regulorum noſtrorum vires formidabiles perſæpe regibus extiterint,magnopere Ximenio laborandum fuit,vt eius perſonam indueret,& maieſtatem referret,cuius vicarias vices habebat,& animos noſtrorum excelſos,& elatos deprimeret. Hoc autẽ ab homine nullis natalibus,aut præclaræ familiæ gente numeroſa & illuſtri ſuffulto,fieri non potuit ſine maxima prudentia,ſumma fortitudine,& magnanimitate.Sic ergo procerum ſpiritus fregit,vt tunc primum reſp. viderit plebem cum nobilibus ex æquo agere,& regia mandata ſacro ſancta haberi.Nã homo priuatus regio nomine in viros ſummos animaduertit,lites & controuerſias,in quibus ingẽtia emolumenta vertebantur,& ob cauillationes tergiuerſationes & ſtrophas aduocatorum remp.perpetuis ſimultatibus erant leſurę,diremit.Magnorum patrimoniorum,& cenſuum poſſeſſionem,velut Herculis clauam,è potentiſsimis manibus ablatam ad veros dominos tranſtulit.Omnibus reip.ordinibus,magna religione & potentia ſuum ius æqualiter diſtribuit,neq; vnquam pacatiora tempora multis ante annis in Hiſpania ſunt viſa,& id circo multò plus difficultatis,& laboris duobus his annis,quã viginti prioribus,qui ab eius in archiepiſcopum creatione computantur,ſubeundum illi fuit. Mihi verò res ipſas ſcribenti via multò ſalebroſior, & impeditior ineunda eſt. Nam velut vaſtum ſpecum ingreſsi quò magis à luce luminis recedunt,tenebris vndiq; craſsioribus cinguntur,ſic mihi ad metã properanti extremus hic labor longè difficilior videtur,ob res grauiſsimas,& multiplici negotiorũ diuerſitate implicatas. Igitur poſtquã de morte Ferdinandi Ximenius per literas regij ſenatus certior eſt factus,ſeq; ab eo,ad reip.gubernacula teſtamento deſignatum eſſe, vene-

venerunt in mentem non ſolum beneficia maxima,quæ Ferdinandus illi contulerat,& honores quos ſemper Ximenio detulerat,ſed ſors etiam humana moriẽdi,quæ æquo pede ſumma & infima conculcat.Obortæ ſunt ſtatim lachrymæ homini aliôqui ſeuero & grauiſsimo:tantique regis morte,magnam infligi plagam dixit vniuerſo orbi Chriſtiano,ſed Hiſpaniæ in primis.Ergo ne reip.deeſſet, quam ſtatim nouis turbationibus concitandam nouerat, Guadalupum ad ſenatum properat.In mandatis quæ Didaco Lupo ad Chebrium Caroli nutritium dedit,potiſsimã feſtinationis cauſam fuiſſe inuenio,ne Ferdinandum puerum aliquò abducerent eius cuſtodes,& motus tempore maximè incommodo excitarent.Vt Guadalupum peruenit,infantem Ferdinandum quamprimum adduci curauit,quem deinceps à ſe diuelli quandiu vixit paſſus non eſt. Germanam reginam,atq; eius fœmineum comitatum omni obſeruantia,& cultu proſecutus,vt omnia ei quàm largiſsimè ſuppeterent,donec negotia componerentur,pecunia ſua ſtatim cauit.Cùm ex teſtamento rerum ſummam vellet capeſſere,Adrianus Caroli mandata protulit,quibus ſi quid humanitus Ferdinando auo accidiſſet,Adrianum gubernatorem declarabat,& eius nomine vt poſſeſſionẽ regnorum caperet iubebat.Ximenius ſe id permiſſurum negabat: vnde non nihil controuerſiæ inter eos ortum eſt.Sed cùm vterq; rei pub.cauſa id agitaret,& pari conſenſu ad Caroli obſequia eſſent animati,facilè omnis contentio fuit ſublata.Nam cùm ex regis Ferdinandi teſtamento Ximenius eſſet rebus præfectus,Caroli mandata expectanda eſſe videbantur,vt quid faciendum eſſet poſt eã Ferdinandi regis voluntatem,conſtaret.Porrò cùm ex Iſabellæ Reginæ teſtamento,Ferdinando marito reip.moderatio relicta eſſet,donec Carolus nepos ad.XX.annum peruenirẽt,isq; è vita diſcedens Ximenium ſuo loco inſtituiſſet,quicquid Ferdinando viuẽte ſuper hac re Carolus feciſſet,irritum ex iure eſſe à nonnullis affirmabatur:præſertim cum ex Hiſpaniæ legibus, atque antiqua morum conſuetudine,nullus poſſet externus legi,qualis Belga Adrianus erat. Placuit Adriano Caroli ſententiam ea de re expectare,& interea partitis curis regni molem ambo ſubierunt,publicis tabulis, & quibuſuis libellis,vtriusq; chirographo ſignatis.Ferdinandi regis morte,& Caroli principis abſentia,procerum Hiſpanorum animi ad res nouas concitandas parabantur.Nam Petrus Portocarrerius cognomento Surda-

Universidad de Deusto Biblioteca

Surdaster, Ascalonij ducis frater, cuius successores nunc Marchiones sunt Villanouæ, cùm inter Lusitanos, qui trans Anam flumen sunt, & potentia & opibus valeret, ad Magisterium Sancti Iacobi occupandum, quod morte regis vacuum esset factum, Areuates solicitans, aspirauit. Is ergo prior cœpit res nouas in Hispania moliri. Sperauerat eam dignitatem magnus Gonsalius, sed post eius mortem Portocarrerius pontificis Romani diplomata comparauerat, quibus continebatur vt si is superstes Ferdinando Regi esset, iure sibi illud magisterium vendicaret. Sed Carolus diplomata etiam à pontifice maxim. Bernardino Caruaialo curante obtinuerat, ad tria quę diximus, magisteria possidenda, vt regi catholico concessum fuerat. Cuius auxilio id fecerit incertum, certè Ferdinando Rege inscio factum esse, vel illud satis apertè declarat, quòd is Ferdinando puero (vt diximus) legauerit. Cùm ad Ximenium de Portocarrerij conatibus delatum esset, qui per tumultum & militarem apparatum conuentum commendatariorum ad se eligendum congregabat, de Adriani & senatus sententia, Villafannam quatuoruirum ad eum cõprimendum, regijs tabulis & militari manu munitum, mittit: cuius aduentu, vt erat Villafanna vir industrius & sagax, Areuatum prouincia à nouis rebus tentandis quieuit: & Portocarrerius sanior effectus melius sibi consuluit. Post hunc tumultum sedatum, Ximenius & regij senatores, de loco deligẽdo in quo domus palatina & comitatus regius consisteret, varijs sententijs egerunt. At Ximenius, qui nihil vnquam rectè fieri posse sciebat, nisi vnius arbitrio cuncta cõponerentur, suas partes esse videns, vt diuersas voluntates & parũ firmos animos, paulatim ad vnitatem reduceret & confirmaret, sic in omnium consessu dixit. Videtis viri summi, in quàm ancipiti periculo pariter cum rep. versemur, nisi ad locum aliquem commigraueritmus, in quo liberè munus nostrum exequamur. In principio obstãdum esse vel leuissimis incommodis scitis: ne è parua scintilla, maxima (vt fieri solet) crescant incendia. Quare si nunc ista negligimus in tam præcipuo rerum cardine, vereor ne nostrum principem, & rempub. deseruisse videamur. Video plurimis ex vobis transmontanam regionem placere, quòd propior Belgis sit: nã ita à regibus nostris factitatum esse dicitis, qui quoties Gallici motus acciderent, aut alia externa negotia tractanda erant, illuc regium comitatum transtulerint. Rectè illi quidem & prudenter, qui cùm regia maiestate prædi-

prædi̇ti essent, vt rerum domini ad se potentiores alliciebant viarũ comites, & nihil erat quod aliunde vererentur. Nobis tamẽ, qui hoc præsertim tempore dum res sunt ambiguæ, nihilq; adhuc à Carolo sit mandatum, precario regimus, longè aliud faciendum esse cẽseo: locumq; eiusmodi deligendum, in quo liberè ius nostrum exercẽtes, reip. commodis prospiciamus. Quòd si in vltramontanam proficiscamur, præterquam quòd multi reguli in ea sunt, quorum potentiæ, si nouum quid moliri studuerint, pares esse nequaquam poterimus: videtis totam meam ditionem cis montes cõstitutam esse, vnde quam serò subsidia sint illuc peruentura neminem vestrum ignorare existimo. Carpetani, Bætici, & Lusitani absentia nostra abutentes, difficulter in officio continebuntur. Porrò rebus etiam meis consulendum esse duco: est enim mihi simultas cum viro principe, qui vt est celsi & erecti animi, vereor ne quid mihi absenti incommodet. Ob quas causas, viri sapientissimi, oppidum in hac nostra Carpetania ad eam rem assumendum esse iudico, vbi & mihi paratissima sint omnia ad cuiusuis contumaciam & insultum coërcendum: & vobis nil defuturum, vt pro dignitate agatis, & me vt rectum clauum teneam, vestra prudentia adiuuetis. Vicit prudẽs Ximenij sententia: oppidum nullum quod Madrito esset commodius, aut magis aptum inueniri potuit, quò statim profecti sunt. Interea Petrus Cãpus regius veredarius ad Belgas mittitur, cum literis ad Carolũ principem, omnia quæ post Ferdinandi mortem accidissent, & quo in statu vniuersæ res essent, quidq; ille moriens mandasset continentibus. Hunc est subsequutus iustis itineribus Rengifus Abulensis, vir ad res gerendas strenuus. Petit hic locus, vt quo pacto Belgicæ res præsente Carolo se haberent, quorumúe consilio, aut arbitrio regerentur, exponamus: nihil enim posthac de Ximenij actis dici potest quin de Carolo, & Belgis qui eius curam, & custodiam gerebant, sit dicendum. Ergo Carolus princeps Gandaui apud Belgas natus, & educatus fuit: Ferdinandus verò eius frater, qui infans Hispaniæ dicebatur, Compluti. Quare in natali solo vterque ad hæc vsque tempora perseuerans, alter Belgicis moribus, alter Hispanicis est imbutus. Vnde Ferdinandus Rex maiori hunc indulgentia, & caritate prosequebatur, nec Ferdinandus modò, sed cuncti ferme Hispanorũ principes. Carolum enim longè sepositum, & alieno cælo, alijsq; viuendi institutis assuefactum, nunquam in Hispaniam venturum esse, multi

Universidad de Deusto Biblioteca

ti ex nostris,sed ante omnes Ferdinandus auus credidit. Quare ad Ferdinandum puerum,regnis vicaria potestate præficiendum, atq; omni ratione adaugendum & cohonestandum,in primis incitabatur.Erant in Caroli familia multi ex principibus Belgarum,sed hi potissimùm ob nominis claritatem, & Caroli fauorem notissimi. Ioannes Saluagius Burgundij senatus præses,qui magnus postea cãcellarius fuit:Hontenius Cusius,& Roesius consiliarij:Chebrius, Armastophus,& Laxaus cubicularij:Laurentius Gorrebotus domus regiæ præfectus,Carolus Lanoius hippagiorum administrator. Erat illi medicus,Bartholomæus Marlianus Mediolanensis,suæ artis peritia clarus,qui symbolum illud PLVS VLTRA inter Herculis columnas adscriptum,in Caroli gratiam excogitauit,& Tudetẽsis episcopus fuit creatus,inuito & reluctante Ximenio.Chebrius inter omnes Caroli fauore excellebat,neq; id immeritò:nam & à puero illum enutrierat,& prudentia ingenioq; ad omnia versatili,mirè erat præditus.Huic tamen ob certas rationes Ferdinandus rex infensissimus erat.Certè in fœderibus quæ morti proximus cũ Adriano iniuit,ante omnia cauit,vt Chebrius cubiculo cui præerat, pelleretur,neque quicquam quod ad remp. pertineret tractaret. Hoc quanuis Chebrio ingratissimum accidit,atq; ea de re seuerissimè cum Adriano expostulauerit,nihil tamen potuit tempori accõmodatius ab Adriano fieri,vt Ferdinandi animus, qui Carolo aliquot de causis infensus erat,placaretur.Ex nostris Ioannes Emanuellus eminebat,qui inter Ferdinandum & Philippum generum lites diffeminauerat:& cùm viuente Ferdinando rege,à Margarita nuru Belgarum præfecta,in custodia detentus fuisset,post eius mortem à Carolo nepote liberatus,& in honore habitus est. Antonius etiã Astuniga Beiaris ducis frater,qui cum Didaco Toleto ducis Albæ filio, de prioratu sancti Ioannis contẽdebat:& Petrus Portocarrerius surdastri,de quo diximus,filius:& Ludouicus Corduba,qui ob morum elegantiam,Carolo iucundus acceptusq; erat:& Alphonsus Manricus episcopus Pacensis,qui postea archiepiscopus Hispalensis factus fuit:Petrus etiam Mota egregius concionator, Carolo ab epistolis, Chebrio ob morum facilitatem,& eruditionem carus, & Carolo principi non vulgariter commendatus. Quanta ingenij solertia is fuerit vel ex hoc patêre potest.Cùm variæ epistolæ ex Hispania, facta atq; infecta canentes (vt optimus poeta dixit) adducerentur,erãt

apud Belgas Hispani,qui domi suæ literas scribebant, afflictis etiã amicorum subscriptionibus,& ab Hispania allatas iactabant, quibus quæ ipsi nuntiata cupiebant,continebantur,& in vulgus spargebant.Ex horum fasciculis vnas aliquando literas nactus,rebus malè cohærentibus inspectis,confictas esse suspicatus, chartæ nota attentè consyderata,Bruxellis scriptas esse liquidò deprehendit. Hic ergo erat aulæ Belgicę status,quando Petrus Campus,& Rengisus ad Belgas profecti sunt,Ferdinandi regis mortem Carolo nunciaturi, & Ximenium cardinalem eius testamento ad reip.gubernationem designatum. Multa doloris indicia Carolus dedit,rectore optimo post homines natos se priuatum esse dicens, suique amantissimo, & qui rudi eius ætati erat pernecessarius.Iacturam tamen hãc quãuis incomparabilem,non mediocriter farciri aui sui cõsilio,qui Ximenium cardinalem præfecisset,cuius sapientiam multo vsu limatam,& mores grauissimos ex multorum relatione cognouisset:quãquam postremum aui sui de eo iudicium summæ commendationis instar apud se erat. Hæc ergo literis ad senatum regium datis, verbis amplissimis declarauit.Scripsit etiam ad Ferdinandum fratrem,ad Reginam Germanam aui defuncti coniugem,ad Ximenium gubernatorem,ad episcopos & ad Hispanos regulos, quibus omnibus se propediem,sub primam scilicet æstatem vẽturum promittebat.Interim sibi gratissimum futurum, si libenter Ximenio, & senatui,perinde ac sibi ipsi parerent:se enim certum esse omnia quæ ad reipub.commoda,& ad regiam dignitatem tuendam pertinerent,illos esse curaturos.Ad ea senatus,& reliqui omnes summa cum reuerentia cuncta pollicentes,officiosè responderunt:quorum exempla cum alijs nonnullis,quæ ad Ximenium summi viri,& grauissimi scripserunt,Complut.academia seruat. Interea Carolus apud Belgas funeris exequias multis æquis phaleratis,qui regnorum insignia præferebant,præcedentibus, & magistratuum ordinibus, & nobilitate subsequente,more patrio celebrauit. Visebantur vexilla,& rerũ gestarũ monumenta,quę speciem potiùs maximi triũphi, ni oĩa atris vestibus tegerentur,pręseferebãt.Erectũ etiã fuit Cenotaphium,multis facibus per tabulata dispositis,sceptris & coronis regijs ornatum.Literæ consolatoriæ intermistis ob tam amplissimã hæreditatem gratulationibus,vndique ad Carolum quotidie mittebantur,quibus rex salutabatur:sed præcipuè Leonis.X.Pontifi.max.

Universidad de Deusto Biblioteca

& Maximiliani Cæsaris, qui illi auus paternus erat epistolis: ipseque iam eo se nomine appellari, ex Belgarum familiarium consilio, quorum authoritati permultum (vt diximus) tribuebat, destinauerat. In literis quas ad Ximenium & senatum dedit, Adriano quidpiam arcani, idque magni ponderis scripsisse se dixerat, de quo cum ipsis erat acturus. Expectare ergo se responsum auidissimè: quare operam darent, vt quamprimum quid de ea re sentirent, certior fieret. Id autem erat, vt quoniam viuente matre ad quam regnorum possessio pertinebat, regium nomen à summis principibus, per publicas literas, & legatos iam ante tributum, assumere decreuisset, ipsi liberè sententiam suam dicerent: & quid leges patriæ, & maiorum instituta decernerent. Nam apud Germanos & Italos, nulla vtique religio erat, liberos paternarum dignitatum appellationem vsurpare, parentibus etiam viuentibus. Ea consultatio insolens Ximenio, & senatui visa fuit: nam præterquam quòd superstite matre, regis nomen legibus patrijs Carolo interdicebatur, multæ aliæ causæ se offerebant, propter quas principi heredi eo nomine abstinendum esset. Nam ob regis catholici mortem nihil iuris amplius acquisierat, neque eo in statu reginæ morbus erat, vt mentis inops omnino censeretur. Quare iterum, atque iterum videndum esse, ne ea festinata regij nominis præoccupatio, in re aliôqui tranquilla & quieta, principi molestias, aut negotia compararet. Nam parum, vt ipsis quidé videbatur, ad principis verè regiam potestatem intererat, hoc aut illo nomine vocari, si cuncta eius nutu moderanda erāt, & nihil prorsus impedimenti ex matris præsentia, aut mandatis esset habiturus: cùm præsertim rerum nouarum cupidis, nō mediocris occasio præberetur, ad motus in rep. concitandos. Neq; enim alius pretextus seditiosis hominibus cōquisitus semper fuit, quo speciosius suorū principū imperia detrectarent, aut Remp. seditiosè læderēt, quā alterius regis, q̄ iure meliore se regnaturū cōtēdat. Que cū ita esse vniuersi cōprobassent, de omniū sentētia cōmunes literas quarto no. Martij ad principē dederūt: quibus reuerēter, vt par erat, admonebatur, ne matre incolumi id facere tētaret. Sed Carolus, qui non tā sibi consiliū eo in negotio dari cupiebat, quā senatus suffragationē habere, difficultatibus quæ proponebātur posthabitis, ex aulicorum quorundā consilio quibus id cōueniens videbatur, regiū nomē sibi vindicauit. Quod vt faceret, pont. max. & patrum purpuratorū, Maximilianiq; Cæsaris

Cæsaris authoritate, atque principum necessariorum efflagitatione, se propemodum coactum fuisse, ad Ximenium & senatū scripsit: id circo curarent, vt id apud suos ratum haberetur. Ximenio verò priuatim mandat, vt quoniā sententiā mutare integrum iam non erat, suamq; in eo authoritatem verti sentiebat, daret operam, vt absq; vllius intercessione ea res cunctis probaretur. Igitur cùm necessariò parendum esse Ximenius videret, ne ipse solus rei insolitæ author esset, Adriano, & Senatoribus regijs ad auxilium assumptis, Antistites & regulos, qui eo tempore Madriti aderant, ad Lassianas ædes, in quibus ipse & Adrianus habitabant, ac Senatus quotidie cogebatur, ceteraque omnia palatij munia, more regio administrabantur, per sceptriferos, & accensos conuocat. Conuenerunt autem ex regulis, Anricus Almirantus, Fadricus Albanus, Paciecus Ascalonius, Rogius Dianensis. Ex præsulibus Rogius Granatensis, Senatus regij præfectus, Fonseca Burgensis, Fadricus Seguntinus, & Franciscus Abulensis, aliquotque alij, qui tunc in regio comitatu aderant. Postquam Ximenius Caroli mādata coram omnibus exposuit, proceres rei magnitudine perspecta, quid responderent dubitantes, Laurentium Galindum Carauajalium, virum rerum antiquarum, & legum nostrarum cumprimis peritissimum, qui vnus è Senatu palatij causis, & cubiculi regij cognitionibus præerat, vt quid super ea re sentiret ingenuè exponeret, rogarunt. Ille verò qua erat in sententijs dicendis securitate, ad hunc modū disseruit. Neminem vestrûm Illustrissimi principes, in hoc amplissimo consessu esse arbitror, cui si res pro arbitrio gerenda fuisset, non vehemēter principem adhortaretur, vt quemadmodū leges diuinæ & humanæ exposcunt, reginæ matri spiritum ducenti, honorem omnē & reuerentiā exhiberet: & regis nomen tantisper differret, donec dies ipsa quod proximū futurū est, vltro id quod modò efflagitat, offerret. At cùm post eam admonitionem, qua illum ne quid huiusmodi in præsentia conaretur obsecrauimus, palàm sibi nomen, & regiam dignitatem desumpserit, maxima cura dispiciendum nobis est, quo pacto id, quod multi inflexum & insolens esse censuerunt, rectū & fieri solitum ostendamus. Nam eo in statu negotia esse constat, vt sine dignitatis principis nostri imminutione, atque totius reipub. damno, infecta fieri non possint. Hoc in primis mihi, & omnibus vobis verissimum esse constat, principem nostrum inuitum id

 fecisse:

Universidad de Deusto Biblioteca

fecisse:nam ab eius miti ingenio,mansuetis & religiosis moribus, ni hil est magis alienum,quàm vis & tyrannis.Sed cùm matris morbus apud omnes mortales notus sit(neque enim regum casus vllo modo in occulto esse possunt)duo reip.Christianę culmina,Pontif.Maxi.& Romanus imperator,vt regis nomen vsurparet monuerũt:sic enim publica negotia poscere.Non potuit Carolus tantis principibus nõ parere:nec nos quidem debemus principis nostri iussa,in re præsertim non inhonesta neque insolita,vt mox ostendemus,quanuis multis aliter videatur,recusare aut deprecari.Quod vt planius intelligatur,primũ aliqua mihi de causis ipsis,deinde quod nihil noui fiat,dicendũ est.Si Ioãna regina Caroli mater,Dei immortalis voluntate, suę mentis & iudicij compos, ditionem Hispanam gubernare idonea esset, ea est imperij nostri amplitudo,ea maiestas,& prouinciarum regerendarum moles,vt in consultationem & dubium vocaretis, an tantarum rerum consilia tutò fœminę, quanuis illa capacissima esset, tutò committerentur. Nunc verò in tam manifesta mẽtis offensione, in tam claris animi emoti iudicijs, ei consortem dare dubitabimus? Nihil earum rerum quæ per nos geruntur, qui principe hærede tanto inferiores sumus,ad eam deferimus,& Carolum imperio eius parere,& principis nomine contentum esse volumus?Non hęc sanè cohęrẽt,aut honestam aliquam excusationem habent. At si quod omnes sentimus,dixeritis nomen tantùm illi denegari,rerum summam,atque adeo imperiũ vniuersum concedi, in errore versaremur:putantes regio nomine illi denegato, quicquã gestuiũ,quod vel reip.vtilitatem,vel sibi decus aut gloriam comparare posit:quicquid enim tentauerit,precariò obtinebit. Quod si precibus agendũ est,magno quicquid impetrauerit illi cõstabit.Principis nomẽ iure nostro,priuatum quid sonat:& quandiu hæredis spẽ tantũ habet,nescio quo pacto eius mãdata vel serui negligẽtius peragunt. Nomẽ illud regis,totaq; illa palatina cohors,& imperium nõ aliũde pendẽs,humanos animos tacita quadã reuerentia afficit,& ad debitum cultũ & obsequium inducit.Iam verò,vt demus subditos imperata facturos,cum externis regibus,qui eum ad tot regnorum imperium vocari taciti dolent,nihil ex ęquo aget,neq; illis titulis & honoribus Carolũ prosequentur,quibus ipse in mutuis officijs,illos vtpote reges,decorauerit.Neq; enim alterius dignitatis ęmulus aliquid cupidiùs,aut studiosiùs captat,quàm in re minima superiorem censeri:

seri:vt eo saltem prętextu vel suam causam æquiorem esse probet: vel illum alterum,vtpote imparem,sibi neqquaquam opponendum esse efflagitet.Videtę igitur inclyti procęres, ne dum nimium ręgij nominis cultores esse vultis,atque id in regina mentis & consilij cassa conseruare contenditis, maiestatem reip.nostrę minuatis. Et hoc quidem de causis satis esse arbitror:neque enim omnia in sapientissimorum virorum consessu, qui ea quàm ego multò melius nouistis importuna oratione sunt dicẽda.Illud,quod magis vrget,& quod rerum antiquarum imperitos insolenti nouitate perturbat,filiũ regnorum hæredem futurum,regij nominis consortem fieri,& imperiũ cum matre ex æquo moderari,si vos paulisper attentos prębeatis externorum exẽplis præteritis, quę ex priscis historijs apud omnes resp.sed præsertim in Romana sese offerunt, ex annalibus nostris solenne esse declarabo.Primùm enim Gotthorũ tẽporibus,quando res Hispanę frequentibus Episcoporũ coactis synodis sunt stabilitæ, Cindasuindum regẽ,quẽ Cisnãdum nõnulli vocãt, post rẽp.religiosissimè moderatam,post cõcilium septimũ Toletanum celebratum, post legationem ad summũ Pontif.missam,qua beati Gregorij moralium opus,in Hispaniam deferendũ curauit,& post mille alia optimi & sanctissimi principis exẽpla edita, quatuor annis antequam moreretur,Recinsuindum filium regni participem assumpsisse legimus,atque cum eo communicata potestate nihil id facere formidauisse.Sed hæc nimis vetusta mittamus.Post miseram illam vastationem,quã Hispania Iuliani proditione à Maũris pertulit,Veremundus diaconus patrio Mauracato tyranno mortuo,cùm anno à partu virginis DCCLXXXIII. rex electus esset, ac duobus annis rẽp. strenuè administrasset,recolens se olim sacris ordinibus initiatũ esse, Iurelione vxore dimissa,quã prolis quæ in regno succederet suscipiẽdę cãusa procęribus ac populis adhortantibus duxerat, Alphonsum consobrinum cognomẽto Castum ex Nauarris, ad quos Mauracati timore confugerat, reuocatum,regem secũ pariter cõstituit:& nullis seditionibus intercedẽtibus vitam dulcissimã, & tranquillitatis plenã,quatuor & amplius annos cum eo traduxisse historiæ nostræ referũt.Huic Alphõso qui vitã cęlibem & purã egit,Ranimirus Veremũdi filius successit: qui ex Iurelione, quã diximus, cum fratre Garsia olim susceptus,sub Alphõsi tutela parvulus relictus,cũ iã adoleuisset, Alphõso id in primis curante,regno pręficitur.Hic Ranimirus inter cętera

Universidad de Deusto Biblioteca

cætera virtutis suæ præclarā documētā,tāta fratrem Garsiā beuolē-
tia cōplectebatur,vt siue pacē siue bellum gereret,nullā sibi gloriā si
ne eo cōquisuerit:& tandem eius fide & amore perspectis,regni gū-
bernaculis admouerit:atq; ita imperij cōsortem effecerit,vt rerū no
strarum annales dubitent,an & is quoq; inter reges habeatur. Sed nē
dum omnes enumero orationem in immēsum producā,vnū aut al-
terum addam. Cū matre Vrraca parum ad rem p. moderandā apta,
Alphonsus Raimundi Tolosatis filius regnauit. Ferdinandus, Hispa
lensis vrbis recuperator,quem res pię,& præclarè gestę diuorū adseri
bunt numero,& cælo asserunt,post patris Alphonsi mortē, in Legio
nensem regem assumptus,cū matre Berēguella fœmina alioqui pru
dentissima,regio nomine, & paribus sceptris, possessionē maternā
(hoc est) Castellę regna,annuentibus populis rexit. Igitur cū tot exem
pla viri principes adducta videatis,quibus non modò nō nouum &
insolens,sed cōsuetum,& penè patrium esse demonstrauimus, & ad
regni cōmunionem,nō modò filios heredes,sed fratres,aut fratrū fi-
lios assumi:nō est cur trāquillitatem reip. frustra perturbare velimus.
Nam nec Carolus regis nomē dimittet,nec si ille,quod optimo cōsi
lio vsurpauit,mutare vellet,nos eramus vllo modo permissuri: ne
in rege nostro vlla inconstantię nota hęrere posset. Porrò hęc suma
ma est, non petit Carolus à vobis consilium, sed causas cur id fe-
cerit,his literis declarat: atque eam ob rem ad nos scripsisse dicit,
vt postquam suam sententiam viderimus,de nomine regio susce-
pto nobis gaudeamus,& illi gratulemur. Hęc cùm dixisset, literas
regias è sinu promit,quas omnibus audientibus recitauit, gratitate
& imperio plenas. Diu intra silentium principes viri se continuerūt:
nam quanuis Galindi oratio eos acriter pupugerat, priuatę volun-
tates,& concepta semel,ob seditiones quas futuras putabant, emolu
menta,aliud prorsus faciendum subdebant. In duas ergo partes sunt
diuisi:nam Ximenius cum senatu,& qui aderant Antistites, aliquot
que item ex minoribus principibus, Galindi sermonibus statim
assenserunt. Anricus almirantus, & Fadricus Albanus in contrā-
rium sententiam inclinantes, minimè id conuenire clamarunt: ne-
que enim exempla à Galindo adducta aliquam vim ad præsen-
tem consultationem,aliquodū momentū habere. Quando multos
ex illis quos cōnumerauerat,nō tam veros reges,quā vsurpatores, rē
necessariā & iustā fecisse, imperio ad proprios dominos delato. Vla

timos verò,qui magis ad rem propositam videbantur pertinere,ob
exiguam regum nostrorum ea tempestate potentiam,facilè à princi
pibus qui tunc in armis erant,potuisse cogi ad res nouas moliendas,
ob præsentem vtilitatem. Nunc tamen cùm Dei Opti. Max. benefi-
cio,tantum Hispani sceptri maiestas creuisset,& res omnes trāquil-
læ & pacatæ viserentur,non esse legum sanctiones immutādas, neq;
ius aliquod,in re pręsertim tam graui violandum. Esse enim omino
sum,regni ineundi exordium facere à legum irritione, quas cūcti re
ges illis initijs sacrosanctas habent,idq; verbis conceptis, sacra Dei
mysteria tenentes,& sibi dira increpando si secus fecerint,aut tētaue
rint iurant. Idcirco satis esse principi nostro,si matre viuente,guber
natoris nomen obtineret. Omnes ad Ferdinandi memoriam cōuer
si,eiusq; in reip. maiestate conseruanda solicitudinē & curam laudā-
tes,quanuis Galindi dictis peropportunè prius videretur cōfirmati,
Caroli tamē factum non admodū probabant:adeò vt Paciecus, qui
Ferdinandi rebus infensus,Caroli partes defensurus credebatur,mul
tò magis in Almiranti & Albani sententiā declinans,cùm quid sen-
tiret efferre cogeretur, effugiū potiùs quæsijsse, quàm sententiā vllā
apertè dixisse visus fuerit. Quandoquidē(inquit) Carolus à me consi
liū,vt dicis Galinde,nō petit,neque ego importunus dabo. Murmur
illico per omnes cùm cœpisset oboriri,veritus Ximenius ne inde re
infecta discederetur,indignabundo & seuero vultu & voce vehemē
tiùs & acrius intenta. De re(inquit) minimè dubia,neq; suffragiū ve-
strum exposcente,in pręsentia principes agitur:neq; enim subditorū
cōsensu Carolus rex ad vota sua eget: sed idcirco huc à me cōuocati
estis,qui commodis vestris semper studui, vt regē gratissimo officio
demereremini. At vos homines agrestes imitati,leges parū vrbanas
attendentes,quod ex comitate quadā datū fuit,iure vobis deberi exi
stimatis. Hodie Madriti sine vlla mora,publica solennitate fiet,vt re
liquę vrbes exēplum id sequantur. Vocemq; illā præclarā edidit:cui
ego regiū,quod assumpsit nomē negarē,nec parere quidē in animū
induxissem. Atq; illico cōcilio dimisso, Petrū Correā Madriti pręfe
ctū ad se vocauit,& vt Carolū de Hispanię more,in prætorio primū,
deinde per oppidi vicos gratulabundus & exultans regē proclama-
ret,decurionibus pręeuntibus,& vexillis sublatis,iubet. Tubarum &
præconū strepitus exaudiri cœpit,cūctiq; proceres ad vnū cōgregati
præfectum certatim comitātur,& cūctis mortalibus acclamātibus,

Universidad de Deusto Biblioteca

Carolus rex Castellæ vocitatur. Facta est Madriti ea proclamatio, sub extremum Maium. Postridie eius diei ad conuentus Pintianum, & Granatensem, & ad alias Castellæ vrbes, ad regulosque omnes publico sigillo literę sunt missę, quibus quid Madriti per Ximenium & regium Senatum gestum esset, declarabatur: iubebãtq;, vt exemplũ hoc secuti, ipsi quoque Carolum principem statim regẽ proclamarent. Sententia autem literarũ hęc fuit. Carolum regem Pont. Max. & aui sui Imperatoris suasu, regnorum Castellę, & Hispaniæ possessionem simul cũ regis nomine, matre Ioanna serenissima superstite, ob causas maximè conuenientes, de quibus ad Ximenium Cardinalem, & ad regium Senatum scripsit, suscepisse: quod in totius reipu. commodum cessurum nihil dubitabãt. Quare ea reuerẽtia à se suscipi, quę subditos decebat: vt matris reginæ nomen omnibus regijs tabulis, officij debiti, & obseruantiæ ergô prænotetur: neq; in his solùm, sed vbiq; in regijs muneribus, reginę tanquã prestãtiori, omnes honores & obsequia deferantur. Nam tantũ Carolo cordi esse, eius imbecillitati suppetias ferre, & aliqua parte laboris, quã in tãta mole regnorum sustinebat, subleuare. Igitur quod faustũ felixq; esset, nomen regis, quod iustis de causis & consilio excellentium virorum sibi assumpserat, Dei numine primum inuocato, deinde Iacobi apostoli tutelaris diui, lætis vocibus passim personarent: nam regem ipsum primo quoque tempore adfuturum, cuius pręsentia, & optata voce pleniùs eius propositum essent intellecturi. Cuncti protinus obtemperarunt, tantumque habuit Ximenij seueritas momenti, vt sine vlla populorũ cunctatione, id ab omnibus approbatũ sit. Reguli qui Madrito aberant, Ximenij & regij Senatus authoritatem veriti, nihil moliri sunt ausi. Sed ante omnium procerum & ciuitatum officia, Toletanę ciuitatis studium enituit. Nam simulatque literas Ximenij, & Senatus regij accepit, incredibili ardore, & veluti quodam numine afflata, maxima omnium gratulatione, & insigni pompa, vexilla per pręfectum & Senatum sunt sublata, primarijs equitibus, & nobilibus, cęteros ciues egregiè cohortãtibus. Aragonij legum suarum obseruantissimi, quibus ex Ferdinandi catholici testamẽto, Alphonsus Aragonius Cęsaraugustanus Antistes pręerat, cõtrariam omnino sententiã secuti, Carolo regiũ nomẽ denegarũt: atq; in eo perseuerarunt, donec Ioanna è viuis discessit. Dũ hęc à Ximenio Madriti gerebãtur aliquot regulorũ tumult', primò Bæticã,

vbi exorti sunt, deinde veluti pestifero contagio Tarraconensem omnem peruadebant. Nam statim vt regem Catholicum obijsse fama vulgauit, Petrus Gironius Vrrennatũ comitis maior natu filius, militum manu non ignobili coacta, in Assidonensem ducatum irruens, Luzerum maritimũ oppidũ occupare conatus est: vnde si prosperè succederet, ad reliquam ditionem capiẽdam procederet. Causam huius seditionis hanc fuisse inuenio. Ioannes Guzmanus Assidonensis dux, duas sorores diuersis temporibus duxit, Astunicæ ducis Bejarensium filias: ex quarum prima Enricum, & Metiam, ex altera Aluarum liberos suscepit. Gironius Metiã viuente Enrico vxorem habuit: at quòd Enricus frigida corporis constitutione (vt apparebat) natus, sterilitatem perpetuam pręse ferret, Ferdinandus rex Annam Aragoniam, ex Alphõso Antistite neptem, Aluaro Ioãnis ex secunda vxore filio, tantum principatum habituro, collocauit. Interea Enricus absq; liberis è vita discessit: atque Ferdinando patrocinium & fauorem prębente, Aluarus dux Assidonensis sufficitur, quanuis multùm Gironio reclamante, qui Aluarum spurium esse contendebat, & ad Metiam eius vxorem principatum pertinere. Nã diuinis legibus, & pontificijs decretis vetari aiebat, ne quis duas sorores duceret. Quòd si aliquando summi Pontifi hoc condonauissent, id ob maximum reip. emolumentum fuisse factum: in præsenti tamen negotio, nulla in huiusmodi facultatem à summo Pontif. Ioannem impetrasse. Sed quoniam regis potestas Aluarum tuebatur, & diplomata Pontificia ostendebantur, quorum authoritate secũdum Ioannis matrimonium celebratũ fuerat, Gironius parum intercessione sua profecerat. At Ferdinandi morte vulgata, sperans se armis superiorem fore, & quod iure nequiuerat per vim obtenturũ, ad Luzerum oppidum obsidendum se parauit, suis incœptis ob vicinum mare cumprimis opportunum. Sed Pontius Arcobricensis dux, electo præsidio oppidum pręoccupans, & Gomẽtius Solisius sancti Iacobi commẽdatarius, qui regis iussu arcẽ oppidi custodiebat, quod in maritimis priuatorum principum locis, Hispano more fieri consueuit, Gironij impetũ strenuè propulsantes, ne oppidum eo tempore caperetur effecerunt: & Ximenio, quid Gironius tentauisset, nuntiarunt. Qui de Senatus regij consensu, Hispalensibus, & Corduben sibus finitimis populis, vt Pontio & Solisio pręsto sint iubet: & paulò post Antoniũ Fonsecam, militarem virum, cum exercitu aduersus

Universidad de Deusto Biblioteca

Gironium mittit, atque cum eo Cornelium Quatuoruirum, qui sontes, more Hispano, ob læsam maiestatem, securi, aut laqueo plectere. Horum aduentu Gironius perterritus obsidionem deseruit, & sic illi motus consopiti tunc fuerunt. Postea tamen simulatque hæc quę de titulo regio diximus, rursus Gironius tumultuari cœpit, & Velasco comestabili auunculo vindice, quem alię quoque priuatæ causæ stimulabant, sese Ximenij potentię opponere, & cognatos regulos conuocare, iuuenili ausu non dubitauit. Qua de causa è Betica in Tarraconensem veniens, ad eius prouincię principes omni conatu solicitandos, per Madritum, vbi Ximenius cum regio senatu erat, iter faciens, à publico abstinens factionis suæ proceribus conueniendis moratus est. Vbi parum reuerenter & ciuiliter egisse, vel amici eius fatebantur, qui cùm eum adesse cuncti resciuissent, ad Ximenium salutandum non accesserit, regis personam eo tempore gerentem. Quinimo hoc non contentus, nuntium ad Ximenium misit, qui se illac venisse certiorè faceret, ad suos amicos & cognatos visendos, quasi palàm illi simultatem indiceret, & Tarraconenses principes in eum concitandos minaretur. Ad quod Ximenius nihil aliud respondisse fertur, quàm vt bonis quibus iter illud officiosum faceret. Sunt adhuc alia in Ximenij epistolis, quę iuuenilem Gironij temeritatem, & parum sana consilia declarant. Nam Madriti à viris probis & prudentibus rogatus, cum dam seditionem tam manifesta Ximenij, & regij senatus contumelia moueda tentaret, quoniam (inquit) nullam gratiam nobis rex, quòd illi paremus, est habiturus, si eo absente, eius vicarijs ex æquo paruerimus. Quæ eo magis vana censebantur, quoniam nec pecuniarum, nec militum præsidijs, aut ipse, aut regulorum quisquam cum Ximenio erat consequendus: qui suis duntaxat primatus opibus iustum exercitum alere poterat. Ille tamen in proposito persistens, ad Inachum Velascum nunculum est profectus. Nam Velascum iam dudum malè habebat, quòd Ximenium meditari audierat, vt quicquid primates sine titulo manifesto in regij census præiudicium possiderent, regis fisco & patrimonio cederet. Nam cùm ipse ex maritimis vectigalibus non mediocres reditus perciperet, timebat ne Ximenius quoque eą rem conuellere vellet: quare eius potentiam imminutam cupiebat. Ne hanc rem temerè aggrederetur, regulos omnes, qui priuatis de causis Ximenio infensi erant, conuenire statuit, vt coniunctis opibus &

viribus, in perniciem Ximenij coniurarent. Præcipui inter hos fuerunt, quos facilè in eius sententiam venturos arbitrabatur, Pimentellus Benauentanus, qui Cigalijs præsidium extruere prohibitus, cuius opportunitate vniuersam Campensem regionem quoties liberet, facilè infestaret, iniquo erat in Ximenium animo: & Cueua Alburquecius, & Cerda Metinensis: qui Vrenati affinitate ac cognatione proximi, censibus item temporarijs à regibus donati erant: & Portugalius Seguntinus Episcopus, qui capitis suo timebat, ne si locus Ximenio daretur, Carauajalium quod iam dudum agebatur, in pontificatum Seguntinum restitueret, & ipse rursus in ordinem cogeretur, facilè in suam sententiam pertrahendos confidebat. Sed ante omnes Mendozium Infantatus ducem, ob Velennatum cum comite Clunienſi controuersiam, indignatum esse sentiebat: quem si vnũ ad partes suas pellicere posset, facilè Ximenium è tam lata, & ampla potestate deturbandum sperabat. Igitur literas statim ad Pimentellum dat, quibus se Guadalfajaram ad Mendozium proficisci scribit de reip. commodis cum eo tractaturus: quare aut ipse protinus, quod consultiùs esset, ad eos veniat, aut si causis necessarijs impediretur, fidelem aliquem ministrum prosemittat. Interea Velascus nulla mora interposita, primùm Cuellar oppidum ad Alburquecium, deinde Buitracum ad Mendozium properat. Gironius aduerdã Medinensem accersendum, cum mandatis regulorum perrexit. In epistolis, quæ per arcanas notas ad Carolum dabantur, scriptum inuenio, Mendozium ad regulos venire recusasse: simulque interuentijs dixisse, in his quę ad reip. negotia pertinerent, nihil se aduersus Ferdinandi testamentum, aut regis Caroli voluntatem tentaturum: in alijs verò paratum sanè esse ad necessariorum iniurias vindicandas. Ob quod Guadalfajarium Velascum, & qui cum comitabantur profectos, illic cum Mendozio rem disceptauisse: vbi Velascus multa de Ximenij insolentia, multa de eiusdem temeritate egit: nec tolerandum vllo pacto esse, vt moui hominis & nobilitati infensi, inimica gubernatione Hispani principes regeretur: quibus ęquius multò & decentius erat, vt Cucullatus homo pareret, quàm vt ipse potentia abutens, optimatus per ludibria agitaret. Quòd si Ferdinandi regis testamento ad regni moderamen relictus dicebatur, fut se futuris Ferdinando viuente, se peritulisse: desinerent tandem, vana mortui imperia pertimescere. Quare facultatem quam à Carolo suscepisset,

Universidad de Deusto Biblioteca

Ximenius ostenderet, aut se ei aliter nequaquam pariturum. Hæc cùm Velascus repetendo exacerbaret, cuncti aduersus Ximenium fremere. Mendozius, qui tunc inter eos authoritate præstantior habebatur, sunt mihi non mediocres (inquit) aduersus Ximenii odiorum causę: nam & per summam fidei violationem, pactũ cum fratris mei filio neptis suæ coniugium irritauit, & nunc demum patrimonio meo, ne quid grauius dicam, malitiosè insidiatur. Sed illud priuata res est, ipseque suas excusationes obtendit: hoc verò regij Senatus iudicio inter me & propinquum Cluniensem diriimetur. Atque ita apud me statui, nihil turbarum, quandiu abest rex noster, mouere. Noui ego vt pote vicinus, Ximenij huius, magis quàm vos naturam & ingenium: nihil cuiusquam gratiæ, aut authoritati dat, neque vllius terroribus mouetur. Amplã, vt videtis ditionẽ possidet, amplissimam potentiam resp. illi dat. An existimatis ignauius quàm solet in pręsentia se gesturũ? Non arbitror: imò multò acriùs in nos populi vires excitaturum, cui iam diu odio sumus. Quare aduersus remp. nil esse tentandum censeo: eam autem necesse est lædi, si Ximenium offendamus. Aliam vos rationem cogitate, qua causas nostras apud omnes probemus: & tunc gloria maiorum nic indignum iudicate, si non me primum nobilitatis vindicem aduersus huius contumaciam præstitero: & vos propinquos, affinesq; meos omnibus meis viribus protexero. Id cùm Mendozius grauiter simul, & prudenter dixisset, illorum impetus nonnihil infracti sunt, & mitiùs aliquid consultare cœperunt. Visum est Aluarum Gometiũ Mẽdozij generum, Atanzonis & Piozij oppidorum dominum, virum prudentem, & studijs literarum amœnioribus deditum, cum mandatis ad Carolum mittere: qui illorum principum quos recensuimus nomine, Ximenium munere commisso priuari peteret, & causas apud eum eloquenter & copiosè exponeret. Interea Mendozius eos splendidè, lauteque tractare: & quæ est eius gentis principibus, veluti quodã hęreditario iure, magnificentia insita, omni genere ludorum oblectare, variaq; illis spectacula exhibere. Ximenius qui vires eorum abunde nouerat, terrores Panicos illos vocitabat: nihilque idcirco magis mouebatur, quã si homines aliquot priuati cõuenisset, quorũ nulla ditio, nullaq; authoritas aut facultas esset. Nã luxu semper nobilitatis comite, alijsq; minimè necessarijs sumptib^, adeo eorũ census exhaustos esse dicebat, vt solùm voces posset, & minas inanes

spargere. Sed cùm publicam quietem nonnihil turbari priuatis regulorum consilijs animaduerteret: dedit operam, vt à certis hominibus monerentur, in rem illorum esse ab incœpto desistere. Quòd si persisteret, se quidem posse, nullis regijs siue pecunijs, siue militibus, sed proprijs duntaxat auxilijs, facilè ostendere, quantò eo inferiores essent futuri, si manu aliqua, aut militari exercitu agendũ esset. Cùm verò legibus ac regis in primis imperio parendum esset, viderent in quę pericula se conijcerent. Sensim igitur conuentus est dimissus, ne quid tentasse videri possent, quod regis animum offenderet. Paulò post vt se in Ximenij amicitiam insinuarent singuli curarunt. Nam Mendozius literas ad Ximenium dedit officij plenas: Velascus intimos suos, qui illum eius verbis salutarent, à Rexis oppido misit, causatus etiam valetudinem, quominus id præsens faceret. Frequentissimus nostrorum sermo est, post Mendozij orationem, proceres illos constituisse, vt à Ximenio facultates peterentur, quas post regis Ferdinandi testamentum à Carolo ad remp. gubernandam habere se dicebat, atq; ea de re legatos fuisse missos: quibus Ximenius, vt postero die ad se venirent, iussit: & duo millia armatorũ hominum, quos per vicos Madrito proximos simulatq; illuc venerat, in stationibus cõtinendos curauerat, multiplices bellicorum tormentorũ machinas, ingentem pecunię tum priuatę, tum regię vim, stupentibus ostendisset: & vt suis renunciarent mandasse, se nullas alias facultates pręter illas à Carolo habere. Sed cùm nihil tale in epistolis inueniã, vbi de Velasci conatibus, & de Mendozij responso agitur, potiùs hoc vulgo iactatum crediderim, & effictum ad simile Scipionis responsum in Hispania, vt tradunt Romanarum rerum scriptores. Quanquã eo tempore Didacũ Lupũ ad Belgas missum esse sciã, qui de his omnibus Carolũ certiorẽ faceret: & facultatem quã amplam ab eo peteret, qua ab huiusmodi ausis regulorũ animos, quoties opus esset, deterreret. Ipsi etiã reguli ad Carolum suos nuntios miserũt, qui mores Ximenij grauibus verbis criminarentur: & reipub. interesse dicerent, ne ille rebus moderandis pręfectus esset: quòd homo cõtumax & vniuersæ nobilitati infestus, semper nouas contentiones & lites concitaturus esse crederetur. Sed his cauillationibus pero opportunè paulò ante regius Senatus occurrerat: longa epistola ad Carolũ missa, de tumultibus in Bætica, magno regij Senatus contẽptu, & regiæ maiestatis offensa, ac totius reip. turbatione, à Petro Gironio factis:

Universidad de Deusto Biblioteca

vbi multa quoque obiter sunt dicta,de regulorum consilijs. Ximenius,qui si Carolus aduentum differret,sepe ad eundem lapidem offendendum esse præuidebat,neque enim in tam latis regnis, varijs negotijs subinde exorientibus,occasiones regulis defuturas aduersus eum coniurandi,vt nouas turbas quotidie concitarent:cœpit secum attentè inquirere,quonam pacto eorum motus & tumultus cohibere posset. Erat(vt diximus)Ximenius natura ad res bellicas propensus:vnde si quãdo sermonibus militarib⁹ intererat,studiosè magnos duces percontabatur,qua ratione populus in officio cõtineri faciliùs posset:qua re milites melius cogerentur,& allicerẽtur. De castrametationibus,expugnationibus etiam, & oppugnationibus oppidorũ libentissimè audiebat. Igitur cùm aliquando de his rebus cum rege Ferdinando priuatim ageret,qui tum prudentia,tum rei bellicæ cognitione & laude,inter ætatis suę principes excellebat:regi in animo esse intellexit,militarem exercitum quem semper ad manum haberet,ex cuiusq; ciuitatis incolis comparare,& instruere. Dicebat enim experientia bellorum edoctus,delectus qui ex ignotis,& vagis hominibus,more maiorum haberentur,perniciem potiùs,quàm vtilitatem in remp. inducere. Nam obscuri illi,& immodesti,atque impuri homines,pessimisque exemplis famosi,quocunque accederent ex rapto viuere:vicos & agros miserè vastare:infimam plebem & rusticos homines affligere,milleque alia scelera patrare. Quòd si per singulas vrbes certi quidam ciues nomina sua ad militiam sacramẽto darent,qui quotiescunque à rege vocarentur,bellica supellectile instructi,ad omnes casus prompti,& præsto essent, innumera incõmoda cessatura. Hos enim meliùs & liberaliùs educatos, atq; morib⁹ ciuilioribus pręditos,liberis,vxoribus,& penatibus timẽtes,nihil indignum,aut atrox ausuros,sed potiùs totis viribus,pro focis,& aris depugnaturos. Quin commentariolos,quibus rei gerẽdæ forma tradebatur,aliquando per otium Ferdinandum scripsisse aiebat: & singula capita,per partes digessisse:sed molestijs & ęgritudinibus subinde obortis impeditum,efficere non potuisse quod tantopere molieba-tur. Quæ ne fortè aliquis in re ancipiti & à multis improbata, ad Ximenij sententiam confirmandam conficta putet,hęc eadem Ximeniũ ad Carolum scripsisse inueniet,literis quas hoc de quo agimus, anno pridie idus Decemb. Madrito ad eum dedit,quarum autographum Compluti asseruatur. Hæc igitur cùm Ximenius in memo-

riam reduxisset,& pręter reliqua emolumenta, summũ inde præsidium parari animaduerteret,quod reip. securitatem adferre,& præsentem rerum statum mirum in modum recreare posset,de huiusmodi instituenda cœpit illico acrius cogitare. Nam nullam fortiorẽ aut potentiorem machinam esse intelligebat, ad omnium animos sedandos,& in officio continendos, quàm huiusmodi exercitum ex proprijs ciuibus & incolis constantẽ, per ciuitates singulas dispositũ. Sed priusquã rem vniuersis proceribus inuidiosam,populis verò nouam attẽtaret,Didacum Lupum Aialam,virũ experientẽ & strenuũ cuius fidissimã operam in negotijs quę cum rege Ferdinãdo tractauerat semper expertus erat, ad Belgas transmittere necessarium esse duxit,vt Carolũ de omnibus quę in Hispania gererẽtur, assiduis Ximenij literis admoneret:& vt eadem opera,regia diplomata publico sigillo,& proprio regis chirographo notata,à Carolo peteret,quibus facultas remp. moderandi Ximenio confirmaretur. Nam quãuis per priuatas epistolas,id iam Carolus abunde declarauerat,tamẽ in re tam graui,& proceribus odiosa,necessarium cũ primis erat, vt omnia ritè & ex maiorum instituto,prout leges nostræ exposcũt, gererẽtur. Hunc ergo Lupũ de rebus quæ cũ Carolo essent agẽdæ probè & diligenter instructũ,ineunte Aprile proficisci iubet. Mirari Lupus,quòd nihil de literis gubernationẽ regni cõfirmaturis cũ eo egisset,cùm id maximè ad omniũ animos cõprimendos, & ad res quas parabat cõficiẽdas pernecessariũ esse videretur. Sed prudẽtissimus senex,ad Lupũ qui pridie Madrito,pfectus fuerat,cursorẽ itinere citato mittit,qui hanc ei epistolã propria manu scriptã tradat. Ximenius Cardinalis Didaco Lupo Aialę.S. Quod lõgi istius itineris pręcipua causa fuit,& cuius ante omnia monitũ te esse oportuit,tot negotijs & curis districtus oblitus fui. Sic est profectò,quod maximè meminisse volumus,solicitudine ipsa impediẽte,primũ memoria elabitur: atq; interdũ nimia sedulitas & importuna cura,plusq; ignauia aut socordia nocẽt. Facultatẽ perquam latã,ad cũcta reip. munera per me obeunda,à rege Carolo in primis petas volo:in qua nominatim ab eo declaretur,nõ modò ad regnorũ moderationẽ cõcedi, sed ad tribunalia,& vrbanas præfecturas,iuridicos cõuentus,& ipsũ adeo regiũ senatũ,pro volũtate mea cõponendos,& immutãdos:ad fiscũ & cẽsum regiũ explorandũ,atq; omniũ pecuniarũ,quę per præfectos cogũtur ad obolũ rationes exigendum. Nam quãuis hæc omnia parcè à me,

Universidad de Deusto Biblioteca

& non nisi summis de causis tentabuntur, huiusmodi tamen facultatem penes me esse, permultum ad reip. commodum & quietē interest. Hanc ergo vt erit impetrata, primo quoque tempore ad me mittes. Nihil enim interea, siue publicum siue priuatum à me posse fieri, regi indicabis, ad quod non statim velut validum arietem, diplomatum de hac facultate solennitatem abesse, regij nominis aduersarij non opponant. Quòd si quid hactenus egisse videor tantæ moderationis præfecto dignū, non tā epistolis translatitijs tribui potest, quas facili opera à regibus obtineri intelligunt, quàm nostræ authoritati & dexteritati: me enim infensum habere reformidant. Nolim hanc nostram petitionem Caroli familiaribus ambitiosam videri: nā ea de causa Deum obtestor, qui cuncta nouit, diu ac multum dubitaui, an mihi esset postulanda huiusmodi facultas: nihil enim æquè odi, atque huiusmodi res quæ ambitionem olent requirere, quantumuis ad publica negotia sint necessarię. Sed quid agerem, cùm ad id curandum, diuina me primum instituta, regiæ deinde maiestati debitum obsequium, & reipub. tranquillitas, quę hac potissimùm ratione stabilitur, prorsus dubitantem & inuitum cogerent? Vale Madrito. iij. non. Aprilis M.D.XVI. Sic ergo animos eorum, qui parum beneuoli erga ipsum erant, suspensos & dubios per id tempus tenuit: qui dubitare poterant, an ille tędio negotiorum correptus, reip. curā deponere meditaretur. Quòd si hac de re coram cū Lupo egisset, vt sūt homines in rebus alienis curiosi, facilè diuinasset, & re patefacta, omnes adhibuissent machinas ad huiusmodi cōcessionē impediendā aut retardandā. Nā vt Caroli adolescētię pręfecti, quid cōducibile esset diutius cōsultarent, facilè effecissent: atq; interea reip. tumultibus vexata, multū detrimēti capere potuisset. Qualiter in eo negotio Lupus se gesserit, Ximenij testimonia partim ad Carolum, partim ad alios scripta declarant. Nam cùm secundam legationem anno xvij, sub mensem Augustum, Ximenius per Baracaldum instituisset, isq; vt erat ingenio vafro & parum syncero, clancularijs sermonibus nō nihil Lupi fidem apud regem, de pensione Pontificatui Cauriensi in gratiam Episcopi Abulensis imponenda, labefactasset, idque tandē Ximenius ex Lupi relatu cognouisset, literas ad regem commendationis plenas, & perquam honorificas dedit, vt ita se rem habere crederet, quemadmodū ei Lupus dixisset: ijs enim maioribus prognatū esse, vt nihil eorū claritate indignū vllo vnquā tempore cōmissurus foret:

foret: quare non minorem eius sermonibus fidem habere posset, quàm si à Ximenio coram dicerētur. Memini me in Oranicis schedis epistolam quandam deprehēdisse, in qua hæc ad verbum Ximenius ad Lupum scribit. Quòd verò excusas, quorūdam sermonibus ad me delatum, hæc negotia parum diligenter à te curari, equidem quantum ad hanc rem pertinet, talem te semper iudicaui, vt vel rerū tuarum negligentem esse potius existimem. De alijs verò, hoc est, fide, & taciturnitate, atque honoris mei perpetua obseruantia, caue dubites quicquam alicui me crediturum, quod nostram erga te caritatem labefactet: eademque prorsus de Petro Aiala Canariensi Episcopo Sentio, quem meo nomine multum salutabis. Quanquā ni ego fallor, id est Ferdinandi regis ingenium, vt nullius vnquam persuasione egeat, ad id quod semel proposuit agendum: quemadmodum nullis vnquā verbis moueri solet, vt quod semel animo nō sedit, rursus probet. Hæc omnia declarant, quanti Lupi fides apud eū fieret, quoúe in pretio, & opinione hominē haberet. Sanè ijs negotijs gerēdis apud Carolū prætectus fuit Lupus, isq; ad eū quotidie aditus, vt si morū seueritati, potiusquā genio, vel ad tēpus studere maluisset, proculdubio honoribus auctior locū in rep. haud obscurū tenuisset. Verū sua vnumquenq; voluptas trahit: & modò animo suo mos geratur, reliqua omnia à plerisq; cōtemnuntur. Ergo Ximenius cui omnis cūctatio in rebus propositis molesta semper fuit, minimè ad id quod animo cōceperat, Lupi responsum, aut Belgarum decreta expectare visum est: sed exercitum, quem parare instituerat, quanā ratione cogeretur, meditari cœpit. Igitur post diutinam consultationē quam partim in Senatu, partim cum viris earum rerum peritis habuit, edictum ad omnes Castellę ciuitates misit, vt quicunque ex earum incolis, pręsertim qui ius ciuitatis & penates haberent, nomen ad delectum quem parabat darent, multis immunitatibus fruerentur. Hi milites reip. futuri erant, & quotiescunque necessitas ingrueret, ad eam protegendam pręsto cum armis futuri, & singulis quibusque dominicis diebus aciem bellico procinctu sub populorum conspectum exhibituri, quā transuectionem vocant. Duces se illis, & qui lituis canerent, ac tympana pulsarent, reliquosq; exercitus ministros pecunia publica exhibiturum: militibus verò peculiaria priuilegia iure susceptę militię concedi, vt ab exactionibus & tributis, quibus pēdēdis plebs, & pagi circūuicini obnoxij sunt, putà hospitijs regio comi-

Universidad de Deusto Biblioteca

comitatui pręstādis,& de multis alijs oneribus,& angarijs ſubeūdis, ad quæ vectigalis cōditionis homines tenētur,immunes eſsēt. Nihil principio eo edicto plauſibilius,aut gratius vniuerſę plebi memoria noſtra accidit. Nā ea ratione facilè ad nobilitatēviam ſibi paratā ſentiebat,cùm pręſertim tam paruo labore,intra proprios penates, cū filijs & vxoribus ea ſe munera obituros intelligerent,& nō ſolū reip. ſaluti cōſulturos,ſed hoſtibus cunctis formidini futuros. Itaq; paruo temporis ſpatio,pluſquā triginta millia ſelectorum militum,ex ſingulis vrbibus coacta ſunt: qui per omnes bellicas artes ſeſe in oculis ciuiū quotidie exercētes,iucundo ſpectaculo erant. Rurſus iuuentus, quæ niſi rebus honeſtis occupetur,cōtinuò voluptatibus diffluit , à quibus plus periculi quā ab armatis hominibus imminet , vt facilè parentū exemplis incitatur,curſu & ſaltu,& miſsilibus iaciendis , omniq; armorum genere,& pedibus & equis mirum in modū exercebatur. Deniq; ludus quidam militaris aperiebatur,quo nihilo optabilius,aut iucūdius Ximenio vnquā potuiſſet accidere: qui eo olim instituto,fortiſsimas nationes à viris nō perinde validis ſuperatas & domitas nouerat. Nunc verò priuatim ſua permultū referre videbat huiuſmodi exercitū ad omnes caſus,nullo regis,aut reip. impēdio in procinctu paratum habere. Cùm Madriti,per portam quę Maurorū appellatur,Ximenius,& dux Aſcalonius ad aciem inſtructā viſendam egrederentur, & extemplo milites bombardis & ſclopetis , fumum ſulphureum & fragorem concitaſſent, ab Aſcalonio ciuili & benevolo ſermone monitum ferunt,caueret tetrum fumum,tonitruaq; illa ſulphurea,ne ſubita rerū parum aſſuetarū incurſione, noxam aliquam contraheret. Cui Ximenius,pone metum (inquit) ô dux,hic enim fumus & ſulphurea nubes, iucundiùs mihi & gratiùs olet,quàm Arabum pretioſiſsimi odores. Huius militię notitia poſt quā ad finitimos reges,& remotiores nationes peruenit,cūcti Ximenij cōſilium magnificare,& prudentiam viri ante omnia admirari, qui mirabili inſtituto Hiſpaniā nō modò ab externis incurſionib⁹ tutā reddidiſſet,ſed cūctorum mortaliū facilè dominā poſſet cōſtituere. Certè regi Gallorū Hiſpanæ potētiæ æmulo,nihil ingrati⁹ per id tēpus accidit,quā de huiuſmodi militibus,nō quidē ignotis,aut collectitijs,ſed ex ipſis ciuitatū ordinib⁹,ſine vllo reip. ſumptu alēdis,à Ximenio ſuſceptā curā. Vincer⁹ Guiſę Cardinali,qui apud Carolū erat propinquitate cōiunctus,mēſe Iunio ad Ximeniū ſalutandū Madritū diuerte-

diuerterat: qui totius reip. Chriſtianæ nomine,pro ea cura & inſtituto,gratias illi egit,atq; ſponte currentem incitauit,vt tali diſciplina & rei bellicæ ſtudio Hiſpanos populos in officio contineret,quò hoſtibus perpetuò eſſent formidini. Erat Vincerus militarium rerū peritus & Maximiliano imperatori à conſilijs,qui tunc Bauariæ principatum æqua cū duce poteſtate regebat. Qua de cauſa eo tēpore in Hiſpaniā venerit,nihil certi quod affirmē,in epiſtolis vbi de eo agitur,inuenio: ſed creditū eſt,à Maximiliano imperatore diſſimulāter ad nos miſſum,vt quid in Hiſpania per Ximeniū gereretur cognoſceret: aut ipſum noſtrę regionis luſtrandę ſtudio iter tā longū ſponte ſuſcepiſſe. Illud certè cōſtat, Ximeniū eius pręſentia impenſè oblectatū, omne genus lautitiarū,& omnē comitatem illi exhibuiſſe. Dici nō poteſt, quantū hæc noui exercitus inſtitutio, ſeditioſos homines, & rerū nouarūm cupidos malè habuerit: qui omnē aditū ad tumultus excitādos ſibi interclusum videbāt,atq; illam quā ex regis abſentia viuendi licentiā præſumpſerant hac potiſſimū ratione euanuiſſe. Id circo omnibus machinis & cōſilijs,ſi quomodo eā labefactare poſſent,aut calūnijs & criminationibus inuidioſam & ingratā facere,laborarunt. Illico hęvoces ab incertis authoribus ſpargi ſunt cœptæ,acerbitatis & odiorū ſeminaria. Quorſum hæc inſolēs exercitus forma? Quid hęc noua armorū oſtētatio? An tędebat Ximeniū pacis? an homo ſanguinarius & Martē ſpirans,tantā concordiā & tranquillitatē iniquis oculis cōſpiciebat? hoc vnū nēpe abſente rege defuiſſe,vt populus ignobilis authoritate publica armaretur,ad nobilitatē euertendā & vaſtandam . Videret quid faceret homo ceruicoſus,& propriæ ſentētiæ tenax,qui vulgo ferocis nationis tantā vim tribueret, vnde eas turbas propediē erat excitaturus,quas nulla induſtria coercēre poſſet. Addebāt etiā,hac militia factū eſſe,vt florentes ciuitates & ſuis munijs ea potiſſimū ætate intentæ deformarentur,& ad priſcū ſqualorē redirent,quādo incultis & barbaris moribus palātes homines viuebant. Omnes enim opifices (vt ſunt homines à labore ad libidinē naturā procliues) deſertis officinis in quibus ſeſe exercebāt, militaribus ſtudijs intēti,id vnū tantūmodo erant curaturi,quod illis licentiā quiduis faciendi indulgebat. Quare rebus ad vitā neceſſarijs ciuitates ſenſim priuatas,tandē inopiam ſenſuras,& vix ad priſtinum ſtatum multò poſt tempore redituras eſſe. His atque alijs ſermonibus aduerſus Ximenij conat⁹ paſsim iactatis, Legio Burgi, Salmantica,

Universidad de Deusto Biblioteca

mantica,Metina Campensis,Arcualum,Matricalium,& Olmetũ, vltramontanæ vrbes,delectus qui fiebant impedire tentarunt. Sed quæ magis acri & pertinaci animo,atque maiori cum tumultu & seditione,Ximenij imperio sese opposuit,neque à vocibus etiam petulantibus temperauit,Pintiam fuisse,tam Carauajalij annales, quã Ximenij epistolæ produnt.Nam cùm Tapia Segouiensis ad delectũ faciendũ illuc venisset,Pintiani contumelijs affectum in vincula cõiecerunt:& vt in rebus humanis fit,vbi error errori succedit,ita paulatim animi eorum exacerbati sunt,vt nulla Ximenij ratione habita,sese præsidijs omnibus,tanquam contra hostes munierint,vallum & fossam circũ vrbem duxerint,excubias etiam de nocte & vigilias fecerint,palamq; Ximenio restiterint,vt libertatis oppressori, & res perniciosas per vim tentanti.De his omnibus quæ Pintiæ gerebantur,per aliquot ciues regij nominis studiosos Ximenius certior subinde fiebat,sed potissimũ Zaratensis & Leguizami nuntijs, qui cũ Pintiani conuentus quatuor viri essent,dum Ximenij mãdata studiosiùs exequuntur,grauia perpeti sępe sunt coacti. Duæ potissimũ causæ hanc Pintianam seditionem concitarũt,altera quod Antonius Rogius Granatẽsis antistes,qui senatui regio pręerat,aliquotque item amici senatores,peculiari quadam contentione gubernatori Ximenio infesti,quicquid ab illo fiebat calumniabantur. Hi si quando Pintiani ad senatum legatos mittebãt,priuata colloquia& clancularios sermones,cum illis habebant, & Ximenium tyrãnum appellabant. Quòd si hoc de viro iustissimo minus credibile legatis futurum putabant,dementem illum esse & temerariũ,nihilq; pensi in rebus habentem asserebãt.Ea enim omnia nulla senatus regij authoritate,qui rem non modò inutilem,verum etiã perniciosam,eas militares cohortes videbat,sed Ximenij solius voluntate geri. Quæ cùm à legatis apud suos nuntiarentur,animi ad Ximenio resistendũ augebantur.Nã virorum,qui regiæ maiestatis assertores videbãtur,testimonijs audacia cõfirmata,effræni quadã libidine crescebat. Non ergo ignobile documentũ illud fuit:vnde quãtũ noceat gubernantũ diuisio,& in reip.rebus tractandis priuatarũ simultatũ causa,diuersas partes & sententiã tueri,planũ fuit. Altera porrò causa ab vltramontanis regulis data est,qui omnem sibi potentiam,per circunuicinã regis ditionẽ,in qua paulò ante regnabant, auferri dolentes,simul etiam ne quid inde licentiæ ad propria oppida dimanaret timen-

timentes,assiduis dictis & cohortationibus Pintianum senatũ instigarunt,ne vllo pacto apud se permitterẽt delectus illos seditiosos fieri:non enim eos ad aliud armari,quàm ad reip.vastitatem & perniciem.Quare si saperent,suis vxoribus & virginibus prospicerent,& suis facultatibus & peculijs cauerent,quorum nihil tutum aut certũ, inter milites armatos possessuri essent. Qui id maiori sedulitate apud Pintianos egerunt,Anricus Almirantus,& Osorius Austuricẽsis episcopus fuisse dicuntur.Habebat Almirantus Pintiæ ius ciuitatis,vbi ob antiqua & peruetusta maiorum merita,quibus oppidum vniuersum Almiranto deuinctum est,authoritatem minimè vulgarem,veluti hæreditariam habet.Is cùm fortè per id tempus apud Ximenium Madriti ageret,cuius amicitiam semper coluit, vbi Pintiæ delectũ esse faciendum intellexit, posthabita amicitiæ necessitudine,priuatis commodis consulendum ratus,se id minimè permissurum dixit:atque extemplo Pintiam profectus,fratribus & propinquis conuocatis,eos motus authoritate qua pollebat,excitauit.Osorius verò,qui parum æquo in Ximenium animo erat, postquam à Ferdinando puero,cuius ipse pueritiam instituebat,Ximenij diligẽtia & cura nihil sperare potuit, simul etiam vicinis Pintiæ municipijs,quæ partim propinqui,partim ipse possidebat timens, prætextu oppidi emendi Madrito discedens,clandestinis concilijs Pintianos etiam irritauit:quorum exemplum Burgenses,Legionẽses, ac reliqui omnes,quos paulo ante diximus,vicinis regulis curãtibus,sunt secuti.Hæc Ximenij animum acriter angebant:nam quanuis in cismontana regione omnia ex eius voluntate gerebantur,& in Bætica Hispalis,Corduba,Giennium,Vbeda,Beatia,aliæq; itidem non in celebres vrbes,in Carpetania verò Toletum & Madritum, atq; ijs ipsis subiecti populi(nam Guadalfaiara Mendoziorum domiciliũ, eorum tunc imperio obtemperabat)In Celtiberia Seguntia, Oretum,Villenates,& Murgitani,ac tota demum trans Anam prouincia,promptissimis animis delectus fecissent:quin apud transmontanos ipsos Zamorenses,Taurini,& Abulenses, cismontanos imitati Ximenio parucrant: multi quoq; ex campensibus secuti essent, ac propemodum præter illos paucos, vniuersa Castella:tamen quandiu Pintiani,ac Burgenses, atque cæteri coniurati populi in sententia diuersa persisterent, vt sunt incerta multitudinis studia, perseueraturos Ximenius non putabat.Nam quoties aliquid quod pu-

Universidad de Deusto Biblioteca

blico imperio & authoritate iubetur,à nõnullis quãlibet paucis im
punè contemnitur,cæteris quoq; occasio datur,in eãdem partẽ pau
lò post peccandi.Quade causa Ximenius omnia cum Pintianis mã
suetè agere,& ne sibi in re cũprimis vtili & necessaria impedimẽto
essent admonere.Quòd si concessiones regumúe priuilegia, quibus
ab huiusmodi mãdatis immunes esse iuberẽtur,apud se haberent,cu
rarent vt in publicum ederentur:nihil enim se per violentiã,sed om
nia ex æquo & bono facturũ.Illi tñ elatis animis, vicinorũ regulorũ
patrocinio confisi,nihil ex æquo velle agere respõdent,parumq; cu-
rare quid ipse faciat.Nam Pintiana ciuitas pro virili conatura erat,
libertatẽ suam tueri aduersus eius manifestã tyrannidẽ,donec Caro-
lus in Hispaniã veniat . Porrò in ea sententia,cũ Ximenius nihil ex
summo iure agere decreuisset,donec quid Carolo sederet intelligeret,vsq; in annũ sequentẽ durarunt.Ex Nauarra iã pacata octingen
tos equites accersit,eosq; ad Pintiã in proximis locis circũcirca collo
cat.Sed ne Pintiani contra se vocari existimarẽt,Nauarræ recreãdæ
prætextu,quæ incursionibus exhausta erat,ad Cãpẽsem regionẽ trã
stulisse,iactatũ est:in qua ob rerum omnium abundantiam,annona
multò erat vilior.Lupum verò per literas monet,vt regia, quã dixi-
mus,facultas,hæc etiam quæ ad tumultuantes ciuitates pertinerẽt
cõplecteretur,& primo quoq; tempore ad se mitteret.Rẽ enim ante
omnes necessariã impediri:quã si regis approbatio nõ firmaret, ne-
cesse erat,vt suę existimationi cõsuleret,gubernatoris munus depo-
nere:quod se facturũ non dubitaret.Porrò,quoniã inuidiosæ regulo
rũ legationes ad Carolum,&Chebrium,reliquosq; principes,missas
esse cognouerat:quibus delectus nouitatẽ,& militarẽ licentiã crimi
nabantur:ad Carolum scribit,vt de delectibus quæ per Castellã fiũt,
nihil grauius propter quorundam calumnias existimaret: nil enim
magis è reip.vtilitate vnquam in Hispania fuisse constitutũ,vt leges
seruarentur,& magistratus legum ministri colerentur , & regia ma-
iestas nulla ex parte minueretur.Nam quòd maleuoli dicerẽt, rem
esse nouam & insolentem,non ob id esse reijciendam. Quanquam
si quis nostrorum regum annales euolueret,à Gotthorum tempo-
ribus ad regem Enricum quartum, longa & perpetua quadam se-
rie, duo millia equitum cataphractorũ apud se reges tenuisse,quos
custodiæ cohortem vocabant,reperiret:vnde regium nomen terro-
ri fuit,& nihil indignum per seditiosos vnquam est tẽtatũ. Postquã

verò Enricus,aut animi socordia,aut potius procerum vafritie,eam
custodiam,vt parum necessariam,dimisisset,illis miserijs & ærum-
nis,quas eius historiæ produnt implicitus,potestatem omnem ami-
sit.Igitur morem illum aliquanto copiosiorem , quòd ita tempora
exposcerent,à se reuocatum esse,quò ipse citra vllas impensas regnũ
auitum,quietum teneret:& hostibus formidini & terrori esset.Cura
ret igitur ne vllis factiosorum hominum dictis auscultaret,& se to-
tum Ximenio permitteret,cuius fidem & voluntatem tot in rebus
haberet exploratam.Suam verò sententiam esse,vt ad ciuitates quæ
iussis minus parentes fuerunt, literas quamprimum mittat, sic acri
aceto adspersas,vt posthac suas res quietè agant,desinantque quid-
quam noui in rep.moliri: nunquam enim leue accipiendum esse, si
subditi uel in re minima facere imperata nolint.Et quoniam ob bel
lorum desuetudinem,post Granatense & Africanum bellum rara
erant arma in Hispania,petit vt è Belgarum officinis magnam vim
telorum,& thoracum ferreorum,primo quoq; tempore trãsmitti
iubeat.Persuasit fidelibus consilijs Ximenius,& omnia ex eius voto
sunt facta.Vt regis mandatum cum literis quas diximus,delatũ est,
rebellantium populorum tumultus quieuerunt:& Pintiani,qui per
tinaciùs & duriùs resistebant,positis armis,& portis apertis Xime-
nij fidei se commiserunt.Ximenius,vt illis gratificaretur , concessit
vt populus Pintianus publicos quosdam procuratores haberet , qui
quoties senatus cogeretur adessent:& ne quid aduersus regis,aut rei
pub.emolumentum à senatoribus fieret,vetarent: quòd si persiste-
rent,illico regem admonerent.Hoc Pintię maximè necessarium es-
se Ximenius duxit,quoniam multi tam ex decurionibus , quam ex
ciuibus primarijs,Almiranto & Beneuentano familiares & clien-
tes erant,quorum industria,& consilio multa interdum parũ reip.
vtilia in patronorum gratiam fiebãt.Plusquam quatuor millia Pin-
tianorum ciuium chirographa de huius rei petitione ad Ximenium
feruntur missa.multa item sacerdotum ac cœnobitarũ,& eorũ præ-
sertim sodalium,qui delicta desertis in locis commissa puniũt, quo
rũ sodalitas vulgò fraternitas appellatur.Hũc exitũ delectus habue
rũt,quibus adiutus,munus rẽp.moderãdi susceptũ,quãuis acerr mis
aduersarijs reluctãtibus,sine reip.offensa obire potuit.Nostra ætate
rex Philippus,huiusmodi delectus & cohortes Ximenias,de summi
senatus consilio instaurauit,vt sibi & reipub.vtiles.Nam & duces in

Universidad de Deusto Biblioteca

singulis vrbibus constituit, & immunitates militibus concessit, anno huius seculi M.D.LXV. mense Octobri. Sed quoniã frustra exercitum terra parat, qui mari etiam vt sit potẽs nõ laborat, triremibus quas eo tempore resp. obtinebat, viginti adiungendas curat: atq; ita classem instruxit, maritimis regionibus benignè quę ad eã armãdã necessaria erant suppeditantibus: qua à littoribus nostris hostiũ arma, & piratarum incursus depulit. Nã statim sub mensem Iuliũ, cũ prope Alicantum, ad insulam nõ longè in eo littore sitam, quinq; lõgas Turcarum naues classis nostra obuiam habuisset, acri prælio cũ illis commisso, sexcentis hostibus fortiter occisis, fusæ captæq; sunt, & ad Alicantum captiuæ remulco ductæ. Qua de re Leonis. X. põt. max. gratulationes ad Ximenium sunt missæ, animi præstãtiam, & singularem prudentiam, qua in his rebus vtebatur, commendantis. Est apud me epistolæ autographæ exemplum, Cardinalis sanctæ Mariæ in porticu, in qua hæc verba leguntur: Superioribus diebus, cũ à magnifico D. Benedicto Hurtado sanctissimus. D. N. literas vestræ reuerẽdissimæ dominationis recepisset, eumq; diligenter ac copiosè, mãdata quæ ab eodẽ tulerat exponentẽ audiuisset: libẽtissimo animo eius sanctitas intellexit, tã Christianas, tãq; dignas viro principe cogitationes, animo vestræ reuerẽdissimæ dominationis insistere: scilicet quo pacto & ædificari, & armamentis instrui, & cõtinẽter teneri classis necessaria posset, cõtra acerrimos Christi nominis hostes: summoq; opere eius beatitudo vestrã reuerẽdissimã dominationẽ cõmendauit, quòd ad tã egregia & gloriosa opera animum adiecerit. Quæ vt sunt maximè principibus christianis digna, maximeq; pro fide Christi necessaria, ita etiã nõ mediocre parituta sunt nomẽ vestræ Reuerẽdissimæ. D. cui nec tenuis à summo Deo est expectãda ex hac re merces: sed quemadmodũ ex ea summũ percepit, ita etiam ei minimè deesse vult, quantũ in ipsa erit, quin ad optimũ finem deducatur: vt vestra reuerendissima dominatio poterit explorate iudicare ex breui quod ab ea scribitur eidẽ. Inuenio etiã in epistolis, anno insequenti antiquũ apud Hispalim nauale (quod nostri Atarazanã vocant) incuria temporũ deformatũ & neglectũ, à Ximenio instauratũ, armamẽtisq; iterũ refectũ fuisse: ne fortasse nauiũ apparatarũ inopia, nostri ad littora cõseruanda imparati essent, sed potiùs omniũ animi ad naualia munera alacriores, vt solebãt, efficerẽtur. Sed hãc solertis & prouidi hominis curam, posteri studio incredibi-

bili adauxerunt, tam latè patentibus terris trans Atlanticũ Oceanum continenter adinuentis: in quarũ regionum semotas gentes, ne quid ad Ximenij magnitudinem deesset, eius quoq; imperium pene trauit, atq; ipsius prudentia & industria, rei necessariæ & pietatis plenæ, de Insulanis in libertatem asserendis, principium datum est. Per hæc tempora Didacus Columbus, Oceani maris Almirantus, Madriti morabatur: qui anno antea cto, ob graues æmulorum accusationes, à rege catholico fuerat in Hispaniam accersitus. Post regis autem mortem, reip. gubernatione ad Ximenium deuoluta, eius decretum & imperium expectabat. Fuit is Didacus Christophori illius Columbi filius, qui magis diuina voluntate & consilio, quàm vlla hominum diligentia aut peritia, nouum illum orbem patefecit, qui tot innumeris gentibus habitatus, tot latissimis fluminibus irriguus, tot animantibus à nostris dissimilibus, tot plantarum generibus nunquam in orbe nostro visis refertus, tot metallis & gemmis ditissimus, alijs deniq; syderibus, alioq; cælo suppositus, per tot annos latuerat. Igitur cùm crebris, tum Almiranti, tum insulanorum petitionibus Ximenius compellaretur: videretq; vir prudẽtissimus, ad eas lites trans Oceanum componendas homines aliquot integerrimos mittendos, qui non tam auri & argenti cupiditate, quàm religionis & reipub. studio ad eum laborem capessendum inuitarentur: nullibi eos commodiùs posse reperiri existimauit, quàm in monachorum cœnobijs, sed potissimùm Hieronymianorum, quos rei priuatæ tractandæ industria, & negotiorum agendorum prudentia, inter cæteros pollere palàm erat. Ergo Ludouicum Figueroam, & Alphonsum sancti Ioannis, illum Melioratæ apud Olmedum, hunc Ortegæ apud Burgos administrationi præfectos, & tertium cum his Bernardinum Manzanedum qui olim magnis muneribus perfunctus, tunc emeritus erat, viros probitate & prudẽtia insignes, vocari iussit. Habere enim se nonnulla reip. negotia, quæ illorum consilio essent peragenda. Hosce igitur tres, post multos cũ illis habitos sermones, de magnitudine rerum ad quas destinabantur, & communi vtilitate reip. Christianæ è sua opera emanatura, si vt sperabat se gererent, cũ summa potestate ad Lucaiorum insulas mittit, sed potissimũ ad Haytinã, quã alij Hispanicã, alij sancti Dominici promiscuè appellãt, ab vrbis nomine quã Colũbus in ea cõdididit, quę sola per id tẽp° imperio nostro cesserat, ad Almirãti & hispanorũ

Universidad de Deusto Biblioteca

controuersias cognoscendas,cæteraq; omnia,quæ ad indigenarum quietem,& vtilitatem necessaria forent,perspicienda. Post diligentem verò cognitionem habitam,cuncta ex bono & æquo componenda,omni vi nostrorum militum & tyrannide inprimis sublata, sed ante omnia vt rudibus illis populis doctrinam Christianam syncere exponerent,maximopere commendauit.Datus est illis comes ad sontes puniendos,& reliqua munia obeunda,Alphonsus Suazus, ob vitæ sanctimoniam & iuris peritiam Ximenio notus: cuius excellentem virtutem,ærumnosum illud naufragium,quod anno eius seculi.M.D.XXIIII.apud insulas Scorpionum fecit,abunde demonstrauit.Igitur Hispali soluentes,ad sancti Dominici vrbem sub extremum Decembrem monachi peruenerunt,Suazus verò sub primum Aprilem insequentis anni.Hieronymianis apud Frãciscanos diuersari placuit:qui dũ pridie natalis domini horis matutinis cum hospitibus Franciscanis intersunt,eo calore ex regionis situ, quæ nõ longè à circulo æquatore distat,correpti sunt, vt sudare & æstuare cogerentur:quo die vuæ è vitibus recens demessæ,atq; itidem maturæ ficus primis mensis fuerint appositæ.Horum imperio cùm multa sint prouidenter facta,illud potissimùm memorabile est. Insulani,quos rex Ferdinandus quibusdam qui in Hispania degebant,veluti patronis protegendos commendauerat,vnde & commendatarij vocantur,Ferdinandi actis rescissis,prorsus sunt absentibus ablati.Erat enim omnino iniquum,vt homines absentes,otio & delitijs in Hispania dediti,potiores haberẽtur,quàm fortissimi viri,qui post vastum mare emensum,magnos labores in armis tolerarunt,ob religionis & Hispani imperij prorogationem. Itaque Insulani veteranis militibus pro cuiusq; labore & meritis sunt attributi.Tunc vulgò pro certo habebatur,Insulanos iure belli seruos esse:quare non solùm illis imperabant vt mancipijs, sed ad onera vehenda,vt iumentis,vtebantur.Hieronymiani Christiana pietate id indignum & alienum esse intelligentes,quanuis non omnino in prima illa censura opinionem inueteratam abstulerint, tamen vt Insulani in vicos redigerentur,atq; vt oppida incolerent effecerunt.Nam prius nullũ illis municipij ius,nullum coloniæ,aut priuatarum legum concedebatur:sed dominorum tantùm voluntate aut stabant, aut cadebãt. Curatum est ergo,vt diuinis mysterijs,& Christianæ religionis documentis per sacros ministros probè imbuerentur,& tyrannica militum

seruitute qua oppressi tenebantur,nonnihil liberati, quoquo modo tandem respirarent.Actum id fuit magnis contentionibus, & vt in rebus nouis & incertis contingit,non adeo claro & euidenti operæpretio.Nam cùm aliq; Insulanorum diuisiones,partim per Columbum Almirantum,partim per regios ministros iã olim factæ essent,atque nunc idem per Hieronymianos nouam hanc tẽtari nostri milites intuerentur,cõiectantes quod postea fuit, alias atq; alias superuenturas,dõnec Insulani solida libertate donarẽtur,multi malis animis & mentibus præditi,immodicis laboribus Insulanos diuexantes,è vita tandem migrare coegerunt.Horum patrum potissimùm industria artem arundinum mellitarum, totamq; illam sacchari conficiendi rationem mirum in modum creuisse aiunt.Quare in Hispaniam reuersi,magno in pretio,& honore sunt habiti, vt multarum rerum vtilium authores.Sed quoniam ad dulcium arundinum officinas robusta seruitia necessaria erant,nam mollia Insulanorum corpora labori cedentia prorsus fatiscebant:nonnulli ex nostris inscio Ximenio,sequenti anno à rege Carolo apud Belgas impetrauerunt,vt ex Ethiopicis mancipijs,quæ ex Nigritarum regione à Lusitanis in Hispaniam aduehuntur,quadringentos aut aliquãto plures ad nouas insulas traijcere liceret.Id postquã Ximenius resciuit,rem esse perniciosam palàm dictitauit:atq; illico ad Carolũ fucum illi factũ in ea re scripsit:neq; satis à Belgis animaduerti potuisse,quantam seditionis materiam & tumultus,nouis illis regionibus dedissent.Esse enim Ethiopes illos bellicis studijs aptos,neq; omnino animis destitui ad egregiè plerunq; dimicandum.Sciret itaque scelerum ministros trans Oceanum misisse,à quibus rudes populi gladiatoriam audaciam condiscerent:& qui aduersus Hispanorum imperium seruile bellum aliquando concitarent. Neglexit prudens cõsilium eo tempore Carolus,aut Chebrius potius,per quẽ omnia gerebantur:& non tam ad reip.commodum Ximenij monita spectare existimauerunt,quàm ad tacitam aliquam querelam aut dolorem,quòd eo inscio ad quem reip.cura pertinebat,traiectio illa Ethiopum esset facta. At post eius mortem, anno eius seculi M.D.XXII.in hac ipsa Dominici de qua agimus insula,quadraginta Ethiopum conspiratione,bellum seruile excitari cœptũ est.Quod nisi diuina ope,atq; duorum fortissimorum militum, Melchioris Castri & Francisci Abulensis præstantia, sub primis initijs repressum

Universidad de Deusto Biblioteca

ſum & extinctum eſſet,ingentes motus & ſtrages edidiſſet. Nam cũ Caſtri villam non longè à ſancti Dominici vrbe Ęthiopes primo incurſu inuaſiſſent,eamq; hoſtiliter deprædati,vltra animis ferocibus procederent,ferrum & ignem Hiſpanis minitantes,ſibiq; alios ex conſeruis adiungerent:Caſtrus quem damni ſuſcepti dolor premebat,non expectato Almiranti aduentu,qui lentis itineribus, vt Caſtro videbatur,aduerſus Ęthiopes cum exercitu veniebat, vndecim equitibus,quos ſex pedites comitabantur,noctes diesq; feſtinãs rebelles ſeruos ad Ozoam Suazi prædium cõſecuti ſunt,qui infeſtis mucronibus noſtros expectabãt.Sed equitum impetu bis aut ter diſperſos,atq; rurſus coëuntes,tandem fugere ad montes compulit:in deq; Almiranti aduentu deiecti,furcis ad vnum ſuſpenſi ſunt. Quòd ſi fortè Caſtro Almirantum expectare libuiſſet,Suazi villã ſerui proculdubio expugnauiſſent, & centum alios Ęthiopes,qui in operis illic continebantur,ſibi adiunxiſſent. Deinde Azuam oppidum properare, & vi captum,quod feciſſent,præſidijs munire conſtituerant: indeque bellum aperto marte dominis indicere, deque inſulæ imperio cum Hiſpanis contendere. Sed nunc in Hiſpaniam redeamus: vbi cùm Alebritenſis Nauarra pulſus, auiti regni cupiditate teneretur,ſimulatque regem Ferdinandum obijſſe cognouit, occaſionem peropportunam ad Nauarram recuperandam (vt arbitrabatur) nactus,Gallicis præſidijs & militibus fretus, per valles Pyrenæorum Roncalem,& Iſannam inſtructo exercitu Nauarram ingreditur. Id non mediocriter Ximenij animum, quanuis intrepidum & conſtantem,perculit. Nam rebus, propter recentem Ferdinandi mortem nondum planè vt oportebat conſtitutis, imperium planè exercere non poterat,& regulum aliquem in Nauarram mittere, qui prouinciam illam teneret,& Alebritenſi ſeſe opponeret. Nam Fadricus Acunius Bondiani comitis frater, qui Nauarris eo tempore pręerat,impar ſanè eſſe credebatur,ad Gallorum impetus comprimendos & propulſandos. Non quòd animi robur,aut militaris induſtria ei deeſſet,ſed vnus aliquis neceſſarius erat, qui patrimonij & propriæ ditionis viribus,hoſtium ferociam ſuſtinere poſſet:ſed nemo ſeſe offerebat ad rem difficilem adeo ſubeundam. Tandem Antonius Manricus Naiarenſium dux ad eam prouinciã tuendam ſeſe obtulit, vir conſilio & manu ſtrenuus, & qui ſuam ditionem finitimam Nauarris, loco ſatis idoneo ad commeatus

& auxi

& auxilia comparanda habebat. Id Inachum Velaſcum,Caſtellę comeſtabilem,propter antiquas cum Naiarenſi ſimultates,Agramontẽſium factioni timentẽ, quibus cũ ſibi apud Nauarros neceſsitudines multæ intercedebant,malè habuit. Quocirca recuſationibus ſolenniter apud Ximenium interpoſitis,& impedimentis obiectis, adeo res protrahi cœpit,vt parum abfuerit,quin Nauarram Alebritẽſis præoccupauerit. Quod proculdubio euenisſet, niſi Ferdinandus Villalua Placentinus,qui tunc tribunus militaris cum pedeſtribus manipulis in Nauarra erat,incredibili vigore & præſtantia hoſtes interea irruentes fregiſſet. Nam cùm eos in montium anguſtijs eſſe cognouiſſet,vbi vepribus & rubis,atque præruptis ſaxis,ſemitæ fallentes & impeditæ erant,locorum difficultatibus,& ſuorum virtute militum adiuuantibus,Gallorum cohortes profligauit. Ex Nauarris verò omnes principes viros,qui exercitum Gallorum ducebant,Alebritenſis neceſſarios & fautores,pauciſsimis exceptis qui per loca inuia euadere potuerunt,captiuos duxit. In ijs fuerunt Petrus Nauarræ Marcalcus,& eius frater Didacus Vellez,qui apud Alebritenſem rebus incolumibus in magna quondam æſtimatione fuerat:Garri prę terea,& Gamboæ,& Vicani oppidorum domini:qui omnes Ximenij iuſſu ad Atienzæ præſidium,arcta cuſtodia aſſeruandi, ſunt abducti. Inde Marcalcus, qui inter reliquos principem locum tenere videbatur,ad Simancæ arcem tranſlatus,vitæ captiuæ tędio,cùm nihil rebus ſuis bonæ ſpei affulgeret,in grauiſsimum mœrorem incidens,anno M.D.XXIII.vitam exoſam abrupiſſe ferunt. Alebritenſis,qui dum Marcalcus cum Gallorum exercitu per ſaltus pyrenęos in Nauarram ingredi curabat,Sancti Ioannis oppido,quod in citeriori Pyrenæorum radice eſt,per vim capto,arcem obſidebat, cùm ſtragem ſuorum reſciuit. Ergo Hiſpanum militem in arce defendẽda conſtantem videns, ſpe omni abiecta de Nauarra capienda, in Galliam eſt reuerſus,obſidione arcem liberans. Præfectus arcis à tergo recedentem vrgens,extremos malè multauit,& oppidum receptum foſſa & vallo muniuit His de rebus Ximenius certior factus, Villaluæ per literas gratias agit,quòd cùm res ſub nouacula eſſe videbantur,tam fortiter & ſtrenuè operam nauaſſet:& illum deinceps beneuolentia non vulgari complexus eſt. Quare ſi quid grauius in rebellica accideret,eius etiam abſentis ſententiam requirebat. Huius conſilio & perſuaſione,aliquot Nauarræ præſidia, & nonnullorum

rum

Universidad de Deusto Biblioteca

rum oppidorum muros Ximenius diruit,vt nonnulli affirmãt. Certè nil potuit aptius & vtilius pro tempore excogitari. Nam cùm Nauarri,regem suum omni studio restituere vellent,aut singulis in oppidis præsidia militaria erant imponenda , quod infiniti sumptus fuisset,& nostris littoribus noui milites quærendi ad hostes Africanos propulsandos,aut muri solo æquandi,quod factum est:sic enim indigenę faciliùs cohiberi poterant,si res nouas molirentur:& Galli non erant in apertis vrbibus duraturi contra nostrorũ vim,& impetum,quem quotidie à munitis oppidis erant facturi. Hoc Nauarri ægerrime tulerunt,quibus miserrimum spectaculum fuit,in eorũ oculis oppidorum muros euerti,& arces validas ac præsidia,quæ aliquot in locis rebus nostris incommoda habebãtur,à fundamentis omnino exscindi. Nam tunc se debellatos,& omnem rebellandi occasionem amisisse intellexerunt. Igitur siue à Villalua incitatus, siue suopte ingenio ductus,vt erat consilij semel probati tenacissimus, rem arduam & difficilem,dicto citius confecit. Marzilla fortissimũ & arte & natura præsidium,altera ex parte Aragone flumine ambiente,& muris latissimis vndique,nõ sine profundis fossis cinctũ, & spatiosa in planitie collocatum,sine ullis tumulis aut monticulis quibus hostes occultari,aut machinæ imponi possint,hanc cladem prudentia & virtute Annæ Velascæ euasit:quæ absente marito Falcensi Marchione,cuius id præsidium erat,mœnia ne diruerẽtur curauit. Nam cùm Ximenius huic rei conficiendæ Acunnium præfecisset,& is à Velasca regis nomine,præsidium illud posceret, ponte ligneo sublato,aditum Acunnio negauit:& se optima m præsidij custodem,donec Carolus rex aliud iuberet,futuram proclamauit:quare Acũnius infecto negotio discessit. Datus est locus Ximenij æmulis obloquendi,quem præcipiti & temerario iudicio,siue potiùs animi furore,ad res perniciosas patrandas actum esse dicebant. Accedebant Nauarrorum querimoniæ oppida sua deformata contemplantium,quæ non secus ac trunca cadauera iacere dicebant. Onerabatur etiam violatæ religionis calumnia:cui non satis fuisset vetustis & nobilibus oppidis eam cladem intulisse,nisi etiam sacram diuo Francisco cum cœnobio ædem,multos per annos religiosissimè ab indigenis veneratam,quæ apud Olitum oppidum erat,solo quoque vt cætera exæquasset. Tot denique ea de re ab inuidis & maleuolis,in peiorem partem cuncta rapientibus,sunt iactatæ calumnię

vt post Ximenij mortem,colorem aliquem quærentes ad pecuniã Vzedanam occupandam,eam dixerint rege iubente intercipi ad Nauarræ mœnia instauranda. Sed hæc omnia euanuerunt, & quãtũ ea Ximenij prouidentia vtilitatis & quietis attulerit, suis primũ temporibus cognitum,qui eo admirabili stratagemate Gallũ coercuerit , & postea eo mortuo , populis in Hispania seditiones concitantibus,prorsus Nauarra ad Gallos defecisset,nisi murorum præsidio destituta,nihil noui moliri ausa esset. Audiui aliquãdo Nauarros aliquot primarios viros de hac re disputãtes,quibus Ximenij factum partim laude,partim reprehensione dignum videbatur. Nam Tafallam,Olitum,Tudellam,& si quas alias ad Aragoniæ, atque Castellæ confinia sitas,& à Gallis semotas, potuisse saluas manere, quæ facili opera à nostris defendi poterant . Et quanuis Pompelo vrbs Nauarri regni caput,quam vnam Ximenius & præsidio militari firmandam,& muris,& fossis muniendam curauit, in potestatem hostium venisset,hinc nostri resistere,& hostes profligare potuissent. Non enim aliam ob causam Viannæ præsidium, quod non Longè à Lucronio est incolume esse relictum affirmabant. At Lumbierum,Mendigurriam,Hirundinãzum,aliquotq; item in eo situ arces,prudenti quidem consilio dirutas,quod nimirum pyrenęis montibus vicinę facilè capi ab hostibus poterant,nec tam paratis auxilijs defendi. Sed nonnulli qui in sermone aderant,mihi postea declararunt,hos Viamontensis factionis odio , harum quas diximus euersionẽ collaudasse, quòd Viamontensibus dominis parerent:illarum verò quod Agramontensium possessiones essent,quorum illi partes tuebantur,culpasse. Nam in has duas factiones , Nauarræ regnum odijs admodum inueteratis diuisum esse,res notior est quàm vt in ea declaranda immoremur. Non multò post Alebritensis fatis concessit,non sine suspicione veneni,Gallorum rege, post spem Nauarræ capiendæ depositam,ne assiduis Alebritensis flagitationibus vexaretur,cui se obnoxium esse videbat,id procurante. Sub idem tempus Ferdinandus Villalua. XI. Calend. Augusti, domum ad prandium reuersus,subitò quodam stupore sensuum correptus,quem apoplexiam medici appellant,in gremio vxoris animam efflauit. Creditum fuit,& hunc veneno interijsse. Nam ob consilium de muris diruendis Ximenio datum,maximo odio apud Nauarros laborabat. Ximenius rerum ab eo gestarum memor,Stellæ oppidi in Nauarra

Universidad de Deusto Biblioteca

percelebris præfecturam,atque cum ea arcis custodiam, & vrbis Placentinæ decurionatum,quæ singula regis Ferdinandi beneficio Villalua obtinuerat,in eius filium transtulit. Quod vt ratum & immotum haberetur,ad Carolum scripsit: & inter alia regum nostrorum eam semper consuetudinem memorabilem fuisse dicit,vt quę inclytis factis beneficia parentes meruissent, ea quoq; illis decedentibus ad eorum filios transferrentur,præsertim si dum regi seruirent morerentur,quod Ferdinando Villaluæ contigerat. Nam ita homines alacriores ad munera commissa fideliùs obeunda redduntur ,si suæ quoq; virtutis præmia ad liberos esse trasferenda intellexerint: quos naturali quodam affectu quam maximè ornatos,& prouectos cupiunt. At cùm ea quæ diximus Ximenius filio cōtulisset, tribunatū conferre noluit. Erat enim in hac sententia,vt militares tribunos (quos Coronellos appellari diximus)ab exercitibus crederet auferēdos:quoniam multorum dominium ab omnibus meritò damnatum,in exercitum inducebatur. Præstare itaque vnius imperio cuncti obtemperarent,quàm in tot tribunos potestate diuisa,impensæ, tumultui,atq; demum inobedientiæ locum dari: cuius ille rei magnam in bello Oranico experientiam ceperat. Erat Villalua corpore valido & compacto,nec minus manu quàm iudicio strenuus. Altero oculo dum gladijs exercetur,ab aduersario orbatus esse fertur, quod viris fortibus,veluti fatale quiddam esse nōnulli arbitrantur. Aiunt,Romæ Villaluam bis eodem die singulari certamine pugnasse,atq; victorem in vtroq; pronuntiatum. Nauarrorum ergo motibus nondum sedatis,literæ quædam arcanarum notarum, quas Lusitanus veredarius ad Gallū deferebat,per Salsitanæ arcis custodē interceptæ,minimè quidem negligendum esse quod Lusitanus molie batur,declararunt. Agebatur de sponsalibus,& fœderibus in eundis in nostri imperij damnum & offensam. Præterijsset veredarius, nulla facta literarum exploratione,si postquam Perpennanum transiuit,epistolam quam ad illius præsidij custodem afferebat, rupisset. Nam Salsitanus aliquid monstri ali ex non redditis literis suspicatus,integrum fasciculum ad Ximenium misit. Accidit autem vt ille Compluti tunc esset:quare fasciculus Adriano cardinali, vt gubernationis participi est traditus,paulò ante solis occasum: qui rei grauitate (vt par erat) commotus,vt ad Ximenium statim properet, & sine mora literas in manum tradat iubet. Multa iam nocte

nuntius

nuntius Complutum venit,& vt Ximenius à somno excitaretur curat:afferre enim se negotia magni momenti,& quæ dilationē ferre nequeāt. Ille verò literis perlectis nulla vultus aut vocis mutatione, præterquā quòd nonnihil molestiæ propter intempestiuū hominis aduentum cepisse, præ se ferebat. Renuntiato(inquit) Adriano, me operam daturum,vt in commodis,quæ imminere videntur, obuiāeatur. Deinde ad Carolum regem de omnibus diligēter scripsit: & quid deinceps Lusitanus gereret,per exploratores solicitè obseruabat:atq; Aialæ Fonsalitano apud Lusitanum oratori , vt eum de omnibus quæ illic dicerentur,aut fierent,magno studio certiorem faceret monuit. Id Fonsalitanum accuratè fecisse Ximenij epistolæ declarant. Dum hæc gerebantur,lites sunt compositæ inter Velascum & Manricum,qui ad præfecturam Nauarrorum obeundam pręclaris conditionibus est profectus. Multum id remp. iuuit,& bonam Ximenio occasionem obtulit,alia negotia ex dignitate administrandi. Complura sunt quæ Naiarensis præclarissimè gessit,dum Nauarrorum regionē à Gallis tutatur,sed illud in primis memorabile, quod ad Carolum Ximenius scripsit: sic enim fiet vt ingenia Gallorum cognoscantur,& quantum interfit viros magnanimos, nec auaritiæ morbo laborantes prouincijs præficere,intelligamus. Lethensis regulus,qui in Gallia Aquitanica principatum tenet, ad Naiarensem scripsit, vt ad se fidum aliquem hominem mittendum curet: habere enim,quæ iure boni vicini nuntiare vellet,non sine magno eius commodo. Missus est Gonsaluus Pizarrus centurio , ob bellicam virtutem Naiarensi carus , illius Francisci Pizarri pater, qui Perhuanam ditissimam regionem, post subactum à Cortesio Megicum,nostris patefecit. Ergo Lethensis,post longum cum Pizarro sermonem,vt Naiarensi renuntiet maxima fide & taciturnitate commendat, se illi, Galli regis nomine, triginta millia coronatorum , aliaque neutiquam reijcienda munera daturum , modò Gallis dissimulanter faueat, aut saltem , ne omnino se Alebritensi aduersarium ostendat: cui pro antiqua vicinitatis necessitudine, ad recuperandam auitam possessionem , è qua per summam iniuriam deturbatus esset, omnis fauor aut dissimulatio officiosa debebatur . Pizarrus mirari se dicit, quo pacto id Rex Gallus esset præstaturus, qui fidem fregisset , quam non ita pridem Hispano dedisset , de pace seruanda . Lethensis adhuc (inquit) Pizarre

igno-

Universidad de Deusto Biblioteca

ignoras, nulla re melius, quàm iurisiurandi religione contempta mortales falli? An tibi leuia esse, aut toleranda probra videntur, quibus Gallos Hispani quotidie afficiunt, & non quauis ratione vindicanda? Quæ postquam inter se collocuti sunt, atque de homine mittendo, qui responsum à Naiarensi referret conuenisset, in Nauarrā Pizarrus est reuersus. Vt Naiarensis hoc resciuit, non mediocriter se esse offensum existimauit, quòd de proditione à Gallo esset appellatus. Quare grauiter est minatus in nonnullorum conspectu, ita vt posset ad Lethēsem dimanare, se sceleratæ legationis internūcium; aut infami suspendio punituru m, aut catenis constrictum ad Ximenium missurum. Ad Pampelonis custodiam Ferrera quidam Aragonius per Ferdinandum Regem designatus fuerat, à cuius vrbis defensione totius Nauarræ asseruatio pendere videbatur: hæc etiam vt ad Naiarensem pertineret Ximenius omni studio contendebat. Quare ad Carolum scripsit, Aragonijs & Nauarris ob veteres iam olim inimicitias & discordias, malè conuenire, & se in hac sententia esse, vt Ferrera Pampelone dimoueatur, & vir aliquis è Castellanis tam nobili vrbi præficeretur, qui Nauarris esset gratiosior: aliôqui meritò timeri posse, ne Nauarris cicatrices nondum obductæ recrudescerent, & res nouas cogitarent. Ferrera hac de causa Pampelonis præfectura se abdicauit: sed cui tradita fuerit, certum quod affirmem non habeo: certè Naiarensi tradita non est. Nauarrorum prouincia Ximenio rem public. capessenti satis negotij facesserat, cuius tranquillitati probè consultum fuerat, Naiarense rebus præfecto: sed, vt imperijs recenter partis solet euenire, nouæ subinde difficultates suboriebātur. Supremus Nauarræ senatus ad quem totius regni moderatio pertinet, pari ex vtraque factione senatorum numero, in tot enim regnum Nauarræ diuisum esse diximus, more maiorum constare oportebat. Is autem qui princeps senatus deligebatur, quem illi regentem, nos præsidentem appellamus, in quo maximum momentum ad res gerendas inest, quoties ex factione Agramontensi erat, Viamontensibus omnino iniquus, eorum commoda multipliciter lædebat: tantundem etiam, si Viamontensis præses erat, in aduersarios designabat. Quamobrem Ioannes Alebritensis Nauarræ quondam rex, atque post eum, Nauarra subacta, Ferdinandus Catholicus, præsidem externum,

senatui

Senatui esse proponendum decreuerunt: qui conuentu publico celebrato, communibus crearetur suffragijs, vt leges patriæ iubent. Hoc sub illis regibus Nauarri tolerarunt. Sed Ximenio rempub. moderante, Belgarum principum fauore & auxilio vsi, vt Caroli voluntate, ad priscam consuetudinem reuocaretur magno studio contenderunt. Id cùm Ximenius, ex amicorum relatione cognouisset, ne id Carolus permitteret, multis causis in medium adductis effecit: addens etiam, nulla in re Carolum, aut Ioanne Alebritensi, aut Ferdinando auo inferiorem esse, vt eo imperium adepto aliquid Nauarri licentius conarentur. Emersit aliud grauioris curæ, de Cardinale Alebritensi in Pompelonis Pontificatum, quo pulsus fuerat, restituendo. Nam vt id per Ximenium fieret summus Pontif. contendebat, aliquotque etiam ex purpuratis patribus. Consuluit ea de re Najarensem Ximenius: cui ille nequaquam reipubli. conuenire respondit, hominem alienissimum prouinciæ prouentibus in nostrorum caput armare, vnde proculdubio motus perniciosi erant emersuri. Quare consultius sibi videri, eam pecuniarum summam militibus alendis tribuere, ne prouincia exactionibus vexaretur. Et hęc quidem de Pontificatus restitutione, pro sua in regem fidelitate sentire. Nuuardanēsem verò arcem, quę ad Antistitis Pōpelonensis curam spectat, quanuis tunc Cęsaraguſtani Archiepiscopi diligentia viro probo demandata erat, diruendam censebat, aut sibi custodiendam tradi: ne si casu in Alebritensis potestatem veniret, incommoda quæ experti iam fuerant, renascerentur. Vtrunque ex Najarensis sententia factum fuit, tam felici & strenua cura, vt Nauarrorum negotia, Ximenij animum ab alijs rebus tractandis, post hæc non auocarint. Postquam externi motus conquieuere, intestini continuò sunt exorti. Nam cùm Malacitani iam olim cum Anrico Almiranto de iudicijs maritimis exercendis cōtenderent, post Regis catholici mortem, qui Anrico cognato patrocinabatur, occasionem nacti, tribunal, furcam, & quicquid huiusmodi potestatis insigne, in ora maritima ille retinebat, inconsulto Ximenio, neq; vllam Senatus regij sententiam expectantes, apud quem causa tractabatur, demoliti per tumultum sunt. Nam Castellę Almirantus, vetusto quodam maiorum instituto, orę maritimę & naualibus prælijs pręfectus est, & ius in nauticos homines habet. Quòd si quid controuersiæ naucleris inter se, aut cum vectoribus accidit, eius consilio

Y &

Universidad de Deusto Biblioteca

& iudicio dirimitur. In cunctis ergo maritimis regionibus, & locis portuosis, atq; rerum commercijs frequētibus, quales Hispalis & Malaca sunt, furcas & iudices constituebat. Id illi indignū, & cōtra publicam disciplinam esse proclamabant. Nam cùm semper ad eas vrbes propter maris opportunitatē, homines moribus corruptis cōfluant, assidueq; noua flagitia patrēt, quoties per publicos lictores in ius vocabantur, Almiranti tribunal appellabāt, ad quem eorū cognitionē dicebant pertinere: quare pœnas frequenter euitabant, quas aliôqui sub iudicibus regijs erant daturi. Accedebat etiam, quòd militares cohortes, quę ad maritimam oram tuendam in his locis sunt, si quā do ob aliquod crimen erant puniendæ, nūc ad Almiranti nunc ad regis tribunal confugientes, iudicia eludebant. Quamobrem maritimi incolę, vt tam grauia incommoda euitarent, hanc Almiranti potestatem prorsus tollere, & euertere studebant. Sed ante omnes Malacitani in Almiranti iudices tumultuosissimè inuecti, omnem potestatem illis ademerunt. Almirantus grauiter apud Ximenium, vim & contumelias conquestus est: qui acriter Malacitanos per literas obiurgat, & vt à violentia abstineant, iubet. Quòd si quid aduersus Almirantum habeant, ius esse & iudicia. Quòd si potestatem aduersarij verebantur, se aduersus regulorum potestatem, populorum assertorem & vindicem, quantum per leges liceret, futurum. Malacitani paucis quibusdam ciuibus credentes, qui eos ad tumultus ciendos missis ad Belgas criminationibus inducebāt, authoritatem Ximenij contempserunt: & se nihil ex iudicio cum Almiranto, donec Carolus adueniat, acturos respondent: à quo mandata habebant, vt suo iure interdum vterentur: moremque illum tyrannicè inductum, à littoribus suis depellerent: statim vniuersam multitudinem ad defectionem incitantes, ciuitatem in armis esse iubent. Sed ne quid hostile Ximenius tentaret, tormenta, & machinas bellicas, per vrbis mœnia dispositas, ad omni conatu resistendum appararunt: idque tanta contentione & ardore, vt singuli ciues plurima vasa ærea in vnum congregantes, ingens tormentum conflauerint, hoc titulo superscripto.

MALACITANĘ LIBERTATIS ASSERTORES

F. C. Augebant animos eorū, epistolæ quædā à Belgarū proceribus missæ, quibus vt in libertate sua tuēda perstarēt monebātur, se enim apud Carolū effecturos, ne eis fraudi ea rebellio esset. At Ximeni⁹quē inter

inter cęteras occupationes tranquillitatis publicæ cura in primis solicitabat, Antoniū Cueuam, Atratę oppidi dominum, virū bellicis studijs clarum, delectu ex publicis militibus momētō tēporis facto (hic enim primus militiæ institutæ fructus gratissim⁹ Ximenio fuit) cum sex millibus peditum, & quadringentis equitibus aduersus Malacitanos mittit. Illos primum vt regijs mandatis obediant per fecialem moneret, mandat: quòd si rebelles imperata facere noluissent, tunc vt in reip. hostes sęuiendum esse, & vrbe capta factiosos puniendos, & ciuitatem ad solitam quietem reducendam. Procedebat magnis itineribus Cueua, iamq; ad vrbem Antequeram venerat, quam nonnulli Singiliam esse putant, & bidui itinere à Malaca distat. Sed Malacitani consilium mutantes, & fortunis suis consulentes, cum Almiranto iure agere, totamque rem ex Ximenij voluntate quem iusti amantissimum esse nouerant, transigere decreuerunt: nam plebs vniuersa rerum omnium egestate premebatur. Duos ex sua ciuitate iurisperitos ad Antonium Cueuam legatos mittunt, qui ne vltra in armis pergat supplices deprecentur: se enim paratos esse ad Ximenij mandata exequenda: quem nunquam permissurum (qua est religione) sciebant, vt Malacitana littora ab Almiranticorū iudiciorū ministris, tanquā à prædonibus miserrimè infestarentur. Certiorē de omnibus Ximeniū Cueua facit: ille verò quandoquidē ita animati essent, iubet vt sine sanguine negotia cōponat, omniaque illis pollicea tur iubet, quæ salua regiæ personæ quam sustinebat celsitudine, tolerari & cōdonari possent. Quinq; tātummodo punitis, qui seditionis authores fuerant, cęteris publicè venia est data. Ad Carolum Ximenius eam ciuitatem ex sententia sua, absque ferro & cędibus pacatam esse scripsit, seriùs tamen ob Belgarum literas, quibus Malacitani fidebant, vt quiduis audere & sperare possent. Quarum literarum exempla ne vanum esse quod à se dicebatur arbitraretur, cum suis mittebat: vnde etiā illud intelligere posset, multum damni reip. creari, si res magna diligētia & cōsilio prouisę, facilè à suis Belgis irritarentur. Belgas enim tam lōgo spatio ab Hispania semotos, parum quid nr̄is cōducat nosse. Quare (inquit) si meę authoritati prospexeris, cui tua etiā hac in parte cōiuncta est, mirū in modū rēp. iuueris, quę sola existimatione & authoritate gubernatoris sēper steriē. Tūc etiā Velasquides Cuellar, rationū regiarū pręfect⁹, & quęstor maxim⁹, Guterij Velasquidis iurisperiti filius, Marię Velascę vxoris suæ su Areualū

Universidad de Deusto Biblioteca

Vacceorum municipium per vim occupare conatus est. Eius oppidi ditio attributa fuerat Ioannis. II. regis vxori post mariti mortem. Porrò Guterio Velasquidi viduæ reginę cura est demandata, & simul arcis Areualensis custodia, quę post eius mortem ad Ioannem filium deuenit. Tunc verò Caroli regis iussu, Areualum, Vlmetum, Matricalium, sanctam Mariam niueam, cum horum municipiorũ territorijs, Ximenius Germanę reginæ tradiderat: quibus quandiu viueret, vti frui liceret. Nam cùm Ferdinandus catholicus testamento cauisset, vt triginta millia nummûm aureorum Germanæ reginæ, ex Neapolitana regis pecunia singulis annis penderentur, & illa in Hispania diuersari maluisset, visum est Carolo, de Ximenij consilio, conditionem accipiendam esse, vt quæ multò honestior & vtilior esset. Id cùm Velasquides agi cognouisset, se Areualensis arcis prefectura, quam sibi, & posteris in perpetuum acquirere meditabatur, ea ratione deijciendum animaduertit. Quare cum Maria Velasca vxore negotio communicato, clam Areualum proficisci instituit, & oppidum presidijs militaribus munire, vt nullo vnquam modo Areualum in Germanę potestatem veniret. Fuerat Velasca reginę intima, sed tunc ob priuatas rationes illam pessimè oderat, vnde Velasquidem maritum ne id permitteret, vehementer instigauit. Accedebant ad hæc aliquot regulorum cohortationes, qui Germanæ reginę res malè procedere cupiebant: Velasquidi verò optimo & ornatissimo viro, atque quibusdam illorum affinitatis propinquitate coniuncto omnia bona optabant. Quare ad hoc consequendum, fauorem & auxilium pollicebantur. Ximenius qui non tam illum propria voluntate, cuius integritatem & placidos mores iam diu nouerat, quàm vxoris suasu ad eam rem incitari videbat, primùm literis, & amicis per internuntios sermonibus, deinde regijs epistolis, quas è Belgio ad eum beneuolentiæ plenas dandas curauerat, reuocare à proposito laborauit: minas etiam interposuit, de reipubli. iniurijs vindicandis, si minus dictis pareret. Sed plus apud Velasquidem ponderis habuerunt assiduę vxoris obiurgationes, & Almiranti promissa, quàm Ximenij humanæ & vtiles monitiones. Nam eo ipso tempore Almirantum ad Areuali muros accessisse certũ est, & municipij primarios viros ad se vocatos dictis grauissimis monuisse, ne sibi ipsis vllo pacto per ignauiã deesset nec vllo modo à ditione regia ad muliebre imperiũ, & impotentiam

transferri paterentur, eiecto Velasquide, cuius mansuetudinem & lenitatem nouerant: præsertim rege absente, qui si omnium incommodorum, quę ex hac re suborientur certior factus esset, longè aliter regnis suis consuluisset. Quibus etiam, vt magis ad resistendum Ximenio confirmarentur, literas nonnullorum regulorum, puta Velasci comestabilis, Pimentelli Benauentani, Mendozij Guadalfajarensis, proprijs chirographis notatas ostendit, quibus liberos suos cum militaribus copijs, ad Areualenses protegendos se missuros promittebant, si quid violentum, aut hostile à Ximenio tentari animaduerterent. His dictis permultum animati, Velasquidem vt in sententia permaneat adhortantur: se enim potius fortunas, & vitam amissuros, quàm sustineant vt sua libertate spoliati, alterius quàm regis potestati tradantur. Ergo Ximenio omnia prius experiri cupiente quàm ad arma esset veniendum, multos menses ea Velasquidis contentio durauit. Quam cùm nulla tandem mitiore ratione finiri posse videret, Cornelium quatuoruirum cum armatis cohortibus ad Areualenses comprimendos misit. Is pro Areuali portis consistens, per pręcones inclamari publicè iubet, si statim regijs mandatis parerent, contumaciæ & læsæ maiestatis veniam se polliceri: sin praui propositi tenaces persisterent, bellum cruentum, vt eorum insania merebatur, illis indicere: & contumeliam reipub. illatam, multis damnis esse vindicaturum. Velasquidi verò defectionis authori proditionis infamiam denunciare, quę ad liberos genusque suum, vt sempiterna turpitudo deriuetur: & eius insuper bona vniuersa proscribere, & publicare: se enim piè & iustè legatum venire, è quatuoruiris regijs vnum, ad eam controuersiam dirimendam. Id cùm aliquot diebus quę ad eam clarigationem solennes sunt fecisset, cùm neque Almirãtus, neque alius ex regulis quos commemorauimus, auxilium Velasquidi ferre, aut clientes suos, vel copias mittere, vt promiserant, ausi fuissent: tandem ille ad seipsum rediens, & malis quæ interim familię suę acciderant, & rebellionis tædio fatigatus, militibus quos ad Areuali pręsidium congregauerat dimissis, Cornelio se dedere necessarium esse duxit. Reserantur extemplo Areuali portę & maxima totius populi acclamatione Cornelius quatuoruir in oppidum recipitur, cui arcis præfecturam, iuxta regia mandata, obtinẽdam tradidit. Tunc si quãdo aliàs, claro exemplo & manifesto documẽto innotuit

Universidad de Deusto Biblioteca

quantum momenti regis nomen in Hiſpania teneat, modò comites ſecum habeat, prudentiam & magnanimitatem, quæ in Ximenio inueniebantur. De his omnibus ad Carolum Ximenius ſcripſit: & ne ſibi aduerſus omnes pugnandum eſſet, ipſius priuatim literis Almirantum cumprimis comprimendum eſſe monuit: nam vbique, ſed in Hiſpania pręcipuè, omnia exemplis conſtare aiebat. Porrò, obedientiam quę regibus debetur, rem eſſe fragilem, niſi adſit timor quidam & reuerentia: iam enim per omnes angulos iactari, regi Almirantum opponi in Areualenſium immunitate protegenda. Quæ cùm probè Carolus conſyderaſſet, omnia ex Ximenij voluntate confecit. Venit ſub menſem Iunium ſequentis anni ad Ximenium Velaſquides, quem inter cæteras calamitates, filij Guterij Velaſquidis mors, qui maior natu, ſucceſsioni deſtinatus, incunte Februario obierat, non mediocri dolore afflixerat: ſeque & omnes fortunas ſuas, eius fidei & humanitati commiſit. Ille verò miſerum ac ſupplicem, qua meliùs potuit ratione ſeruauit: & ſe apud regem ſua negotia, & ſalutem, non ſecus atque hominis amici & neceſſarij, curaturum pollicitus eſt: de qua tunc ſanè non laboraſſet, ſi eius fidis adhortationibus, potius quàm aliorum vanis conſilijs obtemperare maluiſſet. Ergo Madriti expectare iuſſus, omnibus in rebus Ximenio adeſſe, nihil ſuperbum aut elatum oſtentare, quęſturę ſuæ munus exercere, ſe regi obſequentem pręſtare, & omnia ſobriè admodum & modeſtè agere viſus eſt. Dum hæc geruntur morte paulò poſt præuentus fuit. Quare votorũ compos, id Ximenio ſedulò curante, fieri non potuit. Veneni propinati ſuſpicio, propter pręproperum eius obitum (vt ſunt ſiniſtra mortalium iudicia) oborta eſt, ſed quæ inter prudentes temeraria & inanis ſit habita. Nam quod aliud pręſentius venenũ, quæ ue lues peſtilẽtior, aut grauior, quàm tot moleſtiæ in Areualenſi rebellione deuoratæ? Tam fallax amicorum ad eam inſtigantium patrocinatio? Anxius & incertus in capitis periculo euentus? qui quoties animos mortalium ſolicitat, dici non poteſt, quàm acerbè diſcruciet. Acceſsit filij hęredis, quem dignitatibus & opibus ornauerat, mors immatura: qui fecialis maximi, quem nos præconẽ dicimus, ſacro magiſtratu, & Membrillana cõmendataria pręfectura per regem Ferdinandũ donatus, atq; patris Velaſquidis pecunia Vaquerilli oppidi poſſeſſione adauctus, gradũ ſibi ad ampliores dignitates & opes parauerat.

Cæterùm

Cæterùm Velaſquide mortuo, Ximenius multò diligentius à Carolo contendit, vt vxoris & liberorum commodis proſpiceret, quos omnino deſtitutos videbat, niſi ſolita regiæ celſitudinis beneficentia, domus viri optimi, deque rege ipſo benemeriti ſubleuaretur, conferendo in adultos filios, quæcunque pater à rege beneficia ſuſcepiſſet. Nam ſe iudicij ſui teſtimonium Velaſquidi dare, ante ſeditionem Areualenſem, ad quam partim vxoris iurgia, partim regulorum ſuaſiones reluctantem & inuitum perpulerant, optimi & pręclari ciuis documenta ſemper dediſſe: poſt ſedatum verò tumultum ſumma fide munera regia, quibus eſt pręfectus obijſſe, & præſto quoties reipub. vſus poſcebat ſibi fuiſſe. Solebat autem Ximenius huiuſmodi teſtimonia rariſsimè cuiquam præſtare. Res verò Areualenſes, quæ Velaſquide ſublato, in Germanæ reginę poteſtatem protinus conceſſurę videbantur, meliorem libertatis aſſerendę, Ximenio vindice, occaſionem habuerunt. Nam cùm Germana in mariti defuncti gratiam, Ferdinandum puerum, atque adeò diuerſam factionem complecteretur, Ximenius de Areualenſium, & Vlmetanorum immunitate ſeruanda apud Carolum agere cœpit. Neque enim tutum eſſe, antiqua & valida municipia loco commodiſsimo ad offendendum poſita, inquietę mulieri concedere. Et vetus verbum in Hiſpania eſſe, qui Vlmetanis & Areualenſibus potiri poſſet, totius Caſtellę dominum futurum eſſe. Idque non ſolum ex noſtris hiſtorijs, ſed viuentium etiam memoria, ne rem admodum vetuſtam ſe afferre putet, comprobari poſſe: qui Ioannem Nauarrę regem, hac potiſsimùm fiducia, quòd Vlmetum ditionis ſuæ eſſet, Ioãni. II. Caſtellæ regi bellũ toties indicere auſum meminiſſent. Nam reginę cõmodis è teſtamento Ferdinãdi ſatis conſultum eſſe, Matricalio celebri oppido cum circumiacente territorio, pro Neapolitana commutatione dato: cuius animum iam ipſe pertentauerat, & optimis rationibus effeciſſe, vt ſibi ſatis eſſe factum credat. Nec ſententiã mutaſſe videri poſſe, quanuis nuper Velaſquide viuo, ea oppida reginæ condonanda cenſebat. Tũc enim Caroli regis literas ad ſe totius negotij inſcium fuiſſe delatas, quibus Areualũ, & reliqua quæ diximus municipia, vt reginæ traderet iubebatur. Quod cùm Velaſquides impedire conaretur, ſe omni tãdem ratione effeciſſe, vt Caroli mandata ſacroſancta eſſent. Nũc verò cùm & Velaſquides vltro paruiſſet, atque è viuis eſſet ſublatus,

Universidad de Deusto Biblioteca

omniaque ea loca à regijs ministris cum pręsidijs tenerentur, senten tiam suam apertè declarare: & pro regia quā sustinet persona, quid sit factu vtilius consulere. Præsertim cùm Areualenses & Vlmetani, vetusta regum priscorum priuilegia, sed potissimùm Ferdinandi quarti, quem à Carauajalis fratribus ad diuinum tribunal vadatum apud Giennium obijsse aiunt; in scrinijs publicis seruent, quorum exempla ad eum mittebat, in quibus propter antiqua eorum oppidorum merita, magnæ ad hoc pertinentes immunitates concessæ sunt. Visa sunt Carolo ea omnia, quæ à Ximenio scribebantur, regijs rationibus perquam necessaria. Quare vt ipse quæ essent vtiliora prospiceret, rescripsit: se enim rata habiturum omnia. Interea regina quorundam consilijs in diuersum mutata, clam Ximenio Vlmetanos solicitat, vt se eius imperio subijciant, mitius multò sub fœminea lenitate, quàm sub alterius potestate experturi. Sed cum illi vnanimes repugnassent, rursus Ximenium, vt priorem conditio nem iuxta Caroli mandata exequatur, petit: dum modo manum ali quam militarem aduersus Vlmetanos repugnātes mittat: sibi enim ingentem fraudem fieri, dum rem altiùs consyderat, sensisse, soli Ma tricalensis collatione. Adaugebat hac in re Germanę animum lega torum Belgarum consensus: nam iam quoque Laxaus Adriano quo que socius venerat, qui vt erant iuxta gentis ingenium, simplicioris cuiusdam naturæ, atque rerum nostrarum ignari, facilè dictis alio rum mouebantur: & magis Ximenium natiua quadam seueritate, quàm rei ipsius animaduersione ad ea omnia impedienda concita ri, arbitrabantur. Ille tamen propositi constans, in re parum necessa ria non multum esse laborandum statuens, placidis responsis tem pus eximebat. Et quoniam Carolum & Belgarum principes, queri monijs assiduis reginā fatigabat, vt eæ parum curarentur, sibiq; vni eius rei exequutio mandaretur, admonebat. Nam quanuis Germa na indignata Galliam petere destinauisset, multò minus offensę, aut damni ex quouis loco inferre posse, quàm apud nos inter factiosos agens, & fomenta seditionis ministrans. Itaque res Areualenses & Vlmetanę in Caroli aduentum dilatę sunt. Non minori molestia Ioanna regina Caroli mater, morbo durissimo conflictans, Xime nij animum afficiebat: ea enim (vt diximus) atræ bilis commotione miserrimè vexata, Turdesilis Vacceorum oppido vitam difficilem transigebat: vbi pater Ferdinandus, loco certè amœno & peraccom

modo, sedem ęgræ & dolenti dederat. Ludouicus Ferrerius Valentinus, qui eius curę & custodię præfectus erat, aut senectutis vitio ad res exequēdas tardus, aut ignarus quo pacto grauem reginę morbum tractaret curaretúe, nunquam ab illa obtinere potuit, vt ex ob scurris & tetris cubiculis, quę morbum contumacem insigni offensione adauxisse credebātur, ad lactiora & luminibus renidentia, atq; auris salubrioribus afflata, habitationem mutare vellet. Lecto mol li, & blandis lodicibus, qualibus reginę vtuntur, somnū capere prorsus recusabat. Humi, aut tabulis, in summam obsecrantium gratiā, desuper stratis cubitare, delitiæ magnę erant. Hyeme rigente, vestes pellibus pretiosis suffultas, aut alio quouis modo ad temporis iniuriam propulsandam munitas, pertinaci sententia auersabatur. Triduo omni cibo & potu persæpe abstinebat: neq; vllis familiariū pre cibus ad escam sumendam adduci poterat. Nonnunquam quòd regni gubernaculis priuata, in illa custodia asseruaretur, conquereba tur. Doluit Ximenius reginæ vicem, & vt rei iuxta honestę & piæ nō deesset, cùm ex Ludouici custodis negligentia, tantum incrementi morbum reginę suscepisse pro certo haberet, Ludouico Ferrerio iā ętate graui, vacationem laborum concessit & in eius locum Fernā dus Ducas cognomento Strata, Talabricensis ciuis subrogatur. Hic illustri loco natus, & rerum prudentia & industria valens, dum effe ratum fœminæ animum arte quadam perapta tractat & demulcet, tandem effecit, vt cubiculo prorsus expurgato, & labris fictilibus, qui bus carnes in prandium & cœnam afferebantur eiectis, ad humani tatem pristinam rediret. Nam cùm huiusmodi vasa quotidie men sis apponerentur, nulla efferri patiebatur: vnde putrescentibus obso nijs, teterrimus odor sentiebatur. Quare lecto cubans quietem cape re cœpit, & ad rem diuinam audiendam foras prodire: & se reginā esse sentiens, vitam illam grauem, & inhumanam relinquere. Id gratissimum Carolo accidit, proque tam diligenti & officioso erga parentem reginam studio, gratias per literas Ximenio egit. Ferrerij senis incommoda, Ferrerius filius Toleti pręfectura amotus adauxit. Nam cùm eius negligentia omnia confusa iactari, & quorundā pri uatorum libidine, potiusquam vlla legum obseruantia fieri Xime nius nouisset, qui ante alias Hispanię ciuitates Toletanam curam ge rendam sibi esse peculiari officio existimabat, pręfectura Ferrerium amouet, & Portocarrerum Palmæ comitem virum magna laude, &

Universidad de Deusto Biblioteca

magnanimitate clarum, eius loco paulò post substituit. Sed cùm nostra ciuitas in factiones duas iam olim sit diuisa, Syluiam & Aialanam: hæc Portocarrerum ad eum magistratum assumi priuatis de causis recusabat. Iam cunctis ferè eius factionis primarijs viris ad id violentia & armis prohibendum animatis, comes Fonsalitanus veritus, ne ea factio, in qua ipse primas tenebat, parum obsequens Ximenio esse videretur, quem vnicè semper coluerat, Fonsalita Toletũ venit, & eos motus facilè repressit, atque ita cunctis approbãtibus Portocarrerus receptus est. Inter cætera quæ in epistolis de Ferrerij iunioris amotione facta reperio, vnum sanè est memorabile, & quod magis antiquis maiorum temporibus, quando morum rigor & seueritas vigebat, quàm nostrorum temporum licentia gestum videri potest. Gallecus iurisperitus, qui Toletũ in acta Ferrerij cogniturus venerat, rebus omnibus accuratè inquisitis, de Ximenij sententia aliquot ex publicis ministris, quibus Ferrerius in prefectura vsus fuerat quòd iustitiæ exequendę pretextu, nihil non iniquum gessissent, per vicos ciuitatis, precone preeunte, atque eorum peccata proclamãte, flagellis cædi de more iussit. Simili seueritatis exemplo, grauiori tamen vindicta, in Arroium Calatrauę cruciferum, ni sibi fuga cõsuluisset, animaduertere iam meditabatur. Hunc enim in Zoritana cõmendataria prefectum, potiùs libidines suas explere, quàm munus commissum, ex dignitate obire, multorum sermonibus & querelis cognouerat. Nam honestis virginibus inuitis parentibus vim intulerat: nuptas per summam iniuriam stuprauerat: atque assidua peccandi consuetudine liberos etiam ex illis susceperat. In eius locũ Sanctium Cabrerum, virum probum, Ximenius suffecit: & ad Carolũ continuò scripsit, si fortè Arroius ad Belgas venisset, scelus suum mẽdacio & summa impudentia excusaturus, eius gulam laqueo frangi imperaret. Calcenam sanctę inquisitionis Senatus secretarium, & Aguirrum è iudicibus vnum, aliquot ex causis grauissimi ordinis cõsortio eijcit. Aguirrus verò, quòd multis in rebus reip. vtilem sese prestitisset, non multò post in Senatum supremum transfertur: in quo ad extremam vsque senectam durauit. His atque alijs exemplis fortitudinis, & constantię suę per Ximenium editis, tãtam sibi authoritatem apud omnes comparauit, vt nemo esset qui non impẽsè cuperet, in eius se beneuolentiam & amicitiam insinuare. Vniuersi penè Hispaniæ reguli, simultatibus, & dissidijs posthabitis, vltro illi obsequentes

sequentes fuerunt, pactis etiam conuentis de eius dignitate tuenda, non secus ac sua, & propinquorum. Ex Bęticis Fontius Arcobricensis, ex quo Vrennas res nouas moliebatur, Ximenij partes secutus est. Ipse Vrennatum comes, cum Petro Gironio maiori natu filio, depositis odijs, quæ aduersus Ximenium vana spe conceperant, rebus suis prospicientes, se neque vnguem tanquam ab eius mandatis discrepare instituerunt: in eoq; vsque ad motus Villafradeos sine fraude perdurauerunt. Ex Carpetanis Paciecus Ascalonius, qui ob Toletanæ vrbis vicinitatem, nunquam à Ximenij voluntate discesserat, eo tempore magis confirmatus, assiduis ad eum itionibus, omnem obseruantiam & culturam exhibebat: atque vt idem faceret Georgius Vrennas, illi propinquitate coniunctus, ante omnes curasse certum est. Ad eam nouam animorum coniunctionem, quanuis Ascalonius sponte sua bene erat animatus, Ioanna Anriquesia eius vxor, fœmina lectissima, & diuis ob ingentem pietatem cara, permultum momenti attulisse dicitur. Illa enim cùm absentiam mariti tolerare non posset, qui apud Ximenium continuè agebat, Madritum venit: & coram sanctissimis Ximenij consilijs, & actionibus consyderatis, intellexit diuinum honorem ab illo tantum captari, & à summo Deo tantum pendêre, illique vni fidere. Quare hoc apud coniugem frequenter commemorans, effecit tandem vt Ascalonius simulatione, si qua fortè vtebatur reiecta, syncero & amico pectore hominem sanctissimum complecteretur. Ex vltramontanis, Astu nigana familia, cuius dux Bejarensis princeps est, multis de causis Ximenio obstringebatur, sed potissimùm ob prioratus sancti Ioannis controuersiam, quę inter ipsum & Albanum ducem erat. Almirantus, qui nisi Velasquidis negotia intercessissent, in Ximenio colendo Ascalonio inferior haud fuisset, rursus ad eius beneuolentiam rediens, Beneuentanum vnà coniunxit. Hos Asturicenses, & Gallecia omnis sequebatur: Lemosio, & Andrata comitibus, id apud suos sedulò curantibus. Pauci quidam priuatis de causis, adhuc infensi Ximenio persistebant, primarij illi sanè & principes viri, Mendozius Infantatus dux, Velascus Comestabilis, Fadricus à Toleto Albanus dux. Hi enim cùm ad suas voluntates, Ximenij animum pertrahere nequirent, vi & potentia qua multùm valebant, non tam re-

ipsa

Universidad de Deusto Biblioteca

ipsa quid ille iuberet contemnebant, quàm se id facere verbis ostentabant. Nam quoties ad rem ventum est, taciti & quieti inter suos desidebant, quemadmodum Velasquidis negotia declararunt. Igitur cùm omnes motus compressi essent, atque nihil sibi negotij ab vllo ex regulis facesseretur, multa partim ad reipubl. vtilitatem, partim ad regij census incrementum necessaria facere est aggressus. Nã primùm ne tumultus denuo exorirentur, ipseque securus & liber, rebus quas proposuerat animum intenderet: tormenta bellica, & æneas illas ac operosas machinas, quę propter ponderis immanitatem nequeunt loco facilè moueri, tribus potissimùm Castellę regionibus, cum priuatis magistris & præfectis, collocare instructissima decreuit: in vltramontanis, ad Metinam Campensem: in Carpetania ad Complutenses: in Bætica ad Malacitanos. Ita enim si qui tumultuarentur, aut alio quouis modo aduersus rempubli. iniurij essent, non spectatis aliunde præsidijs, facilè sub ipsis principijs coerceri, & infringi posse. Hoc tamen ad Metinam factum tantum esse, in epistolis reperio. Nouam item pecuniam percutere, illique diui Francisci imaginem ex altera parte insculpere, tẽtasse aiũt, sed Senatoribus regijs multum dehortantibus consilium mutasse. Deinde ad regia vectigalia cognoscenda conuersus, totamque aulæ priuatam rationem, quę regis catholici diutino morbo multipliciter offensa, atque perplexis ambagibus confusa erat: dictum à Carolo eius nomine promulgandum postulauit, ad tabulas omnes siue publicas, siue priuatas, quæ de rebus regijs tractarent, à quibusuis hominibus extorquendas, siue ij in supremo Senatu iudices, siue apud principes aut respubli. legati, siue domi cubiculo præfecti, aut denique muneri cuilibet per Ferdinandum regem olim delecti, aut prępositi fuissent: vt eę in publica scrinia reconditæ, quoties vsus posceret depromerentur. Fuisset hęc res cumprimis fructuosa, & ad rerum nostrarum cognitionem vtilis: nescio enim quo sinistro fato, rerum apud maiores actarum negligentes, illorum instituta contemnimus: & quid illi egerint, aut qua ratione vixerint, nostris tantummodo cogitatis contenti, parum percipere aut inquirere curamus: vnde parte ad nostras actiones instruendas commodissima, vitam nostram priuamus. Nihil enim securiùs discitur, quàm cùm alieno periculo sapimus. At hęc scrinia facta non fuisse satis constat: nam cùm tot rebus Ximenius distra-

distraheretur, in quibus reipubli. incolumitas versabatur, nemini mirum videri debet, si omnia quę animo proposuit, tam paruo tempore ad exitum non adduxerit. Cęterùm tabulas permultas rerum publicarum, & libellos rationum à ministris illis exegisse, certum est: ex illorum enim notitia in ordinum Senatum inquisiuit, hoc est, de militarium magisteriorum censibus, de sportulis, & mensę magistralis (quam vocant) salarijs, de commendatarijs prę-fecturis, quę rectorum custodia carebant, de iudicibus in eorum Senatum asciscundis, deque alijs multis ad eam rem artinentibus prouidendis. Nam cùm eorum magisteriorum recens esset sub regibus possessio, nullibi minus notitię, aut plus fraudis & iacturę erat. At ita in eo diligenter se gessit, vt in primo cognitionis triduo omnes trium ordinum leges, omnes sanctiones, consuetudines, & decreta, quibus obtemperare militares commendatarij tenerentur, perciderit: simul etiam quæ ad censum pertinebant, typo quopiam in genere perceperit. Præfecti maximi commendatariorum, qui Ximenio in res eorum inquirenti, contradicturi proculdubio erant, aliqua interea opposuerunt, quibus se non modò à Ximenij potestate, sed à regia quoque si possent, vindicarent. Verùm ea omnia tanta prudentia & dignitate à Ximenio sedata sunt, vt vniuersis commendatarijs parentibus, omnia ex illius voluntate sint confecta. Sed ne aliquis fortasse requirat, quæ sint illa quę commendatarij opposuerunt, nosque propterea, nisi aliquid de eo dixerimus, negligentię insimulet: Calatrauenses, & Alcantarani, quorum illi ad Oretum, hi ad pontem Trajani sacras suorum collegiorum ędes tenent; diplomata summorum Pontificum apud se habere iactabant, quibus eorum magisteriorum prę-fecturæ, iuxta Cisterciensis ordinis ritum institutę, nulli præterquam sui ordinis Antistiti, sine maximo piaculo subiectę esse possent. Quæ omnia vana & futilia esse, prorsusque ad tempus eximendum adinuenta, multis rationibus Ximenius declarauit. Nam ea quę de diplomatibus Pontificijs ferebantur, cœnobitis Cisterciensibus, qui sacris ędibus inclusi, in solitudinibus delitescunt, quemadmodum & cęteris, qui ad eum modum viuunt, religiosorum sodalitatibus, sui ordinis Antistites habere à summis Pontificibus iure quidem cõcessum est, quibus alienos pręfici rectores indignum & indecens esset: & sub externis & rerum suarum ignaris magistratibus, omnia

Universidad de Deusto Biblioteca

mnia ſurſum, & deorſum miſcerentur. At militaribus hominibus, qui in luce clariſsima apud regium comitatum, aut in caſtris viuunt, ſacrum tantummodo Ciſtercienſium cognomen, certaque aliquot inſtituta quibus ſeſe addicerent data: non autem arctam cœnobitarum normam; vnicamque illam abbatum iuriſdictionem. Atque ita Ferdinandus catholicus Antonium Rogium Archiepiſcopum Granatenſem, tribus magiſterijs aliquando præfecit: eorumque maioribus comitijs omnia moderans Antonius interfuit. Quin etiam ne in primario tantum eorum magiſtratu accidiſſe id reſpondeatur: ſancti Iacobi commendatarios, qui Auguſtinianum ritum ſequuntur, apud Calatrauenſes & Alcantaranos, multis muneribus obeundis præfuiſſe. Heri verò & nudiuſtertius, nonnulla etiam per Adrianum Caroli legatum in eorum comitijs effecta eſſe, quę hanc omnino dubitationem ſoluerent. Meminiſſent enim, non ita pridem, præfecturam Calatrauæ maximam, ſine ſolenni cruciferorum rogatione, Caroli duntaxat voluntate, quibuſdam in ſpeciem comitiorum congregatis, Petro Nunio Guzmano fuiſſe collatam. Quocirca multò ſibi a quiora petenti, nullo modo ſi ſaperent, reſiſterent: neque enim poſſe ab incœpto ceſſare, literis ad id efficiendum à rege miſsis. Quod ſi facerent, ſe operam daturum, vt quod illi iam dudum cupiebant Petrus Nunius Guzmanus, præfectura haud rite obtenta deturbaretur. Id enim quod eorum priuilegia apertè imminuebat, contra morem illorum inauſpicatò factum eſſe, ſibi quidem multum diſplicere. Scripſit quidem ad Carolum Ximenius hac de re ſæpius: & Didacum Cueuaram, quem non ita pridem clauigerum creauerat, præfectum maximum eligendum, ſuoque periculo alterum deijciendum ſuſceperat, qui ferme cunctorum commendatariorum odijs magiſtratum illum gerebat: nihil tamen circa eam rem obtinuit. Igitur dum vniuerſas magiſteriorum rationes euoluit, totumque illum militare mordinem explorat, quadringenties centena millia nummûm, commendatariorum periniqua diſsimulatione, in ſingulos annos ex regijs prouentibus intercipi inuenit. Nam cùm illi ad bellũ Mauris inferendũ, limitosq; noſtros defendendos & tutandos, certũ militũ numerum proprijs ſumptibus tolerare teneãtur, id omnino prętermittentes, regię curæ & impenſis relinquebãt. Quare vt decebat prouiſa

ſa duo Calatrauenſis magiſterij oppida, quæ centenis millibus aureorum ęſtimabantur, ab Aragonijs iniuſtè occupata, per Touillam & Cabrerum Calatrauenſes commendatarios, regię rurſus ditioni vindicauit. Vim tentare principio Aragonij, litẽ ſub iudice eſſe obijcere, præſidijs & militibus oppida firmare. Sed re probè per Ximeniũ cognita, eaq; apud ipſos declarata, poſt longã ſub rege catholico poſſeſsionẽ, licet inuiti oppidis ceſſerũt. Sed quoniã Touillæ opera in eo negotio cõficiendo inſignior fuit, volens Ximenius ſtrenui hominis diligẽtiam beneficio aliquo condecorare, cùm paulo ante Ciaconium quendã fiſco magiſteriorũ Calatrauẽſis, & Alcãtarani præfectum, parum rite creatum comperiſſet, neque enim facultatem vllã, tabulasúe collatrices, ab ordinis ſui principibus habebat, ſed vnicum duntaxat Ferdinandi catholici chirographum, quo illi facultas cõcedebatur, arcem quandã cum deceſſore fiſcali cõmutandi ob munus in Ciaconij gratiam relictũ. Id autem non modò iniquũ, & contra ordinum militarium conſuetudinem, ab eorum Senatu diſsimulatum fuiſſe aiebat, ſed impium quoque & rei ſacræ diuenditę labe infectũ. Proinde nullo modo amplius tolerandum, neq; Ciaconium ad priuatas eius ordinis rationes procurãdas, id eſt enim fiſco nomẽ, ſine magna religionis offenſa, haberi poſſe. Inerat ſimul in Ciaconio parua muneris gerendi dexteritas, habitusq; ipſe totius corporis contemnẽdus. Ideo Ximenius de totius Senatus authoritate, fiſci cũ prę-fectura amouet, eamque ad Touillam trãsfert. Ne quid tamẽ fraudis Ciaconio fieret, qui arcẽ fructuoſam pro obtinenda prę-fectura dederat, vt arx illa ſua redderetur cautum fuit. Doluit, vt par erat, Ciaconius, & grauem ſibi iniuriã illatam apud Carolum cõqueſtus, Belgarum tandem fauore effecit, vt amoto Touilla, Ximenij mandata irrita eſſent: ipſeque rurſus prę-fecturę reſtitueretur. Quod quanuis Ximenius ęgerrime tulerit, deque eo ſępius ad Carolum ſcripſerit, nihil tamen impetrare potuit. Touillæ verò, quem prę-mio aliquo, virtutum ab eo bene geſtarum memor, omnino afficere cupiebat, de Senatus decreto Sabioticam cuſtodiam contulit: & quadraginta millia nummorum ſportulę vice, ex communi ordinum militarium pecunia aſsignauit: atque vt id ratum haberetur, apud Carolum ſtudioſè effecit. Quoniam verò iudicum inopia Senatus ille militaris laborabat, Tellum ſancti Iacobi cõmendatarium, virum iuriſperitia, & rerum earum notitia percelebrem, Luxanum ſuum neceſſa-

Universidad de Deusto Biblioteca

necessarium, doctrina & nobilitate clarum, Calueti loco in Senatum elegit. Hunc Caluetum Zoritanorum municipem, quòd ad id munus parum aptum iudicaret, Senatu ordinum paulò ante amouerat: cuius rei dolorem Ouetensis Pontificatus, quem illi postea Carolus contulit, leniuit. Voluisset ad eum modum cæteros qui aderant in eo Senatu iudices regis iussu Ximenius explorare. Nam Osorium Episcopum Asturicensem, qui Senatus præses habebatur, Alarconum quoque Senatorem Senatu pellendos iam meditabatur: proque Osorio Alphonsum Tellezium, colonię Montalbanicæ dominum substituendum, pro Alarcono Gonsalū Fernandum marchionis Plegiani fratrem. Neque in hunc tantum modo militarium ordinum Senatum, sed in alios quoque qui comitatum regium sequuntur, & post in Granatensem & Pintianum conuentum esse accuratè inquirendum proposuerat. Sed ne totam rei inuidiosæ molestiam, in se vnum duntaxat deriuaret, priuatas literas super ea re à Carolo petit, quibus de alijs Senatoribus loco amotorum eligendis, aut nominandis à rege ipso demandaretur. Bæticæ prouinciæ, & Calatrauensis (quam campum vulgò appellant) administrationibus, quæ iam diu rectoribus carebant, Didacum Lupum Padillam, Ferdinandum Cordubam Capræ comitis fratrem, qui postea claviger factus est, viros domi, ac militię egregios, & qui eisdem regionibus aliàs prępositi operam non pœnitendam exhibuissent, gubernatores, hoc est, generales præfectos dedit. Erant etiam aliquot eorundem ordinum præsidia, sine commendatarij militaris custodia: quæ quoniam à factiosis, aut grassatoribus occupari poterant, si diutius prępposito carerent, quanuis in Caroli aduentum res minoris momenti differre destinauerat, custodes quoque peraccommodos quęsiuit, quibus interea præsidia commēdauit. Vnum tamen quod iam dudum secum cogitauerat, adhuc supererat, sed rei inuidia deterrebatur: suspensusque aliquandiu fuit, an multorum simultates, & negotium odiorum plenum, sed tamen regijs commodis vt sibi videbatur, necessarium capesseret. Id autem de salarijs & sportulis, quę ex publico ordinum militarium ęrario dabantur, mensam vulgo magistralem (vt dixi) appellant, donec Carolus veniret auferendis. Sed tandem ad id faciendum duabus rationibus adductus fuit. Altera, quoniam regijs censibus per Ferdinandum multa pecunia obęratis, necesse erat ad reipub. commodis subue-

subueniendum, vt militibus merces assignata in ære alieno neutiquam esset. Nam primum Germani milites ad Carolum è Belgio traijciendum XX. millibus aureorum conducti erant, totidem ex templo (vt postea dicemus) Gomecio Buitronio, viro inter Astures primario, deputatis, nam hoc ipso anno Carolus se vela facturum promittebat. Classi quæ oram maritimam tuebatur, reparandæ & instituendæ, octo millia numerabantur: præter multorum præsidiorum ædificia, præterque Nauarrorum prouinciæ stipendia, aliaque innumera impensarum genera, quæ in tam ampla regnorum possessione facienda quotidie offerebantur. Ijs autem omnibus sufficiendis, salariorum ablatione opportunè succurri posse, cùm præsertim Ferdinandi & Isabellæ regum catholicorum morte, ea quoque simul cessassent. Altera verò quæ sibi haud inferior videbatur, vt Carolus in altera regione natus, atque rerum nostrarum prorsus ignarus, dum singulis per Ximenium ablata restituit, nouis proceres beneficijs obligaret, seque cunctis amabilem redderet. Qua planè re satis ille declarabat, qua caritate & obseruantia, erga regiam maiestatem esset: quandoquidem modò regi suorum procerum, atque adeo omnium aliorum qui liberalitatibus regijs fruebantur, aduenienti applausus constaret, propria odia fusque deque habebat. Sed dubitari potest, an hac in parte vir animi æqui & synceri rectè statuerit: neque enim milites tantum modo commendatarios, sed aulicos nobiles, qui comitatum regium sequuntur, quorum ingens numerus est, salarijs iam olim deputatis, & multa quæ regum beneficentia, ex eorum censu proceribus quibusdam, priuatisque alijs collata fuerant, abstulit. Vbi ne affectibus suis indulgere crederetur, ex æquo amicos & alienos multauit. Nam hæredibus magni Gonsali, quem vnicè viuū semper coluerat, mortuumque itidem obseruantia prosequebatur, plusquam quingenties centena millia nummum, hac salariorum ablatione perierunt: idque Ximenius factum suum magni faciens in epistolis ad Carolum commemorat. Tello verò homini amicissimo, quem in ordinum militarium senatum elegisse diximus, ad Bætim prope Hispalim frumentariæ molæ, quæ Pelagij Correæ cognomen olim tenent, ante annos quadraginta à regibus propter eius merita donatæ, rursus regio censui restitutæ, occasionem dolendi attulerunt. Magnum incrementum regijs facultatibus, ea salariorum, & militarium

Universidad de Deusto Biblioteca

tarium antiquatio intulit: cæterum Ximenio ingens odium & inuidiam conflauit. Nam si paria facere volumus: haud tanti apud Carolum eius diligentia & industria habita sunt, quantum apud eos conceptum est odij, quibus viuendi auxilia insperatò demebantur. Itaque immanes illæ regij splendoris, & vetustæ aulæ impensæ, atque largissimi & munifici sumptus sub frugi homine prorsus sunt accisi, & intra certos carceres coerciti, illique tántummodo relicti, qui necessarij omnino erant. Qua in re ne quis Ximenium omnino culpet, si modò hæc culpa & non potius laus censenda est, sciat Alexandrum Seuerum Romanorum imperatorem, qui inter optimos principes ab omnibus connumeratur, palatij maiestatem, & disciplinam restituere studentem, neminem in palatinis haberi passum, nisi necessarium hominem, malum pupillum imperatorem esse dicens, qui ex prouincialium visceribus, homines non necessarios neque reipublic. vtiles pasceret. Supremæ igitur duntaxat curiæ senatoribus, priuatis palatij præfectis, & ministris, militibus limitaneis, & præsidiarijs, quatuoruiris capitalibus, & comitatus regij lictoribus, vrbanis hospitiorum metatoribus, prætorianæ etiam cohorti, & si qui alij ad regios vsus necessarij erant, salaria & stipendia, quæ de more illis dabantur, reliquit. Vnde Petrus Martyr, & Gonsalus Ouetensis, temporum illorum scriptores, suis quoque salarijs priuati, calamo iniuriam illatam vlti sunt. Nam cùm Ximenij præclaram virtutem antea commendassent, postea dolore instigante parum æquè de illo scripserunt. Certè huiusmodi viris salaria vel de suo Ximenius dare debuerat, præsertim P. Martyri, qui in gratiam regum catholicorum Babilonica legatione functus fuerat, & multa quotidie scribebat. Sed Ximenius aliam rationem est secutus. Hoc quod de salarijs, cæterisque honoribus sublatis diximus, non satis adhuc mihi certum est, an Ximenij tantummodo consilio, an Caroli iussu confectum sit. Nam cùm frequenter in epistolis conqueratur, sibi vt malo genio aut cacodæmoni, partes auferendi concessas esse, donandi verò prorsus detractas: & Belgas in memoriam reducat, se eorum suasu in summo odio apud suos Hispanos esse: & rursus cùm nihil apud Belgas, nisi ex Ximenij sententia gereretur, cunctique eum authorem fuisse credide rint, isque alicubi idipsum confirmauerit, atque regios census augendos omni studio vbique contenderet, deque eo seriò & crebrò

multa

multa verba faceret: res anceps & obscura redditur. Erat illi sanè cum primis persuasum, neminem principem neque bello neque domi res magnas, & reipublic. salutares efficere posse, nisi census regij curam haberet: parumque illam opinionem probabat, qui regem quantunuis insumeret, prodigum futurum negat: siquidem opes quantumlibet immensas assiduis largitionibus dissipari, exhauriri-que. Ideoque vt in donando cautè & consyderatè se gereret, Carolo consuluit. Porrò sibi accuratè disquirenti, quod patrimonio regio esset perutile, tandem visum esse ad res principis amplificandas maximè conuenire, vt sublatis quibusuis pecuniarum regiarum coactoribus, vnus tantum vir nobilis & industrius, quæstor maximus crearetur, ad quem res nummaria vniuersa perueniret, vnde ad publicas aut subitas quasque necessitates parata pecunia continuò numerareturque verò superessent ad liberalitates & largitiones, aliosúe vsus prout regi liberet, apud eum asseruarentur. Hoc se & aliàs monuisse dicebat, nescire tamen qua de causa rem perutilem contempsisset, nihilque vnquam de ea consultasset. Interim certè se permissurum non esse, vt apud Ludouicũ Sanctium Aragonium, qui ex curatoribus ærarijs vnus erat, magisteriorum militarium prouentus, & quicquid ex orbe nouo aduehebatur, deponeretur: quoniam maritimæ oræ tutela, præsidia omnia, & cætera quæ supra sunt commemorata, ex ea summa prouidenda essent. Sed quoniam exstatis regni vectigalibus. XX. millia aureorum Germanæ reginæ iubebantur dari, id ne fieret etiam prohibuit, quòd ea ex Areuaualensi solo iuxta pacta conuenta essent petenda. Nihil enim damnosiùs regium censum lædere dicebat, quàm huiusmodi rationum confusio, & solutionis semel destinatæ mutatio. Regulorum nonnullis, alijsque item aulicis hominibus, non contemnendas nummorum summas liberaliter à Carolo donatas, parum se probare declarauit: multumque consyderandum monet, ne id passim, & temerè fiat: semperque hoc vnum solicitè dispiciat, quorumnam fidei, & consilio se committat: multos enim se illi insinuaturos, non tam regiæ obseruantiæ causa, quàm priuatorum commodorum ratione. Quorum nonnullis hoc duntaxat propositum esse, regem in egestatem & angustias redigere, vt eorum operæ necessariò implorentur, quas quanti libeat locent. Quemadmodum iam olim euenisse, ex priscis historijs,

Universidad de Deusto Biblioteca

rerumque recentium monumentis facilè cognosci poterat. Ergo secum parumper cogitaret, quanti sumptus impendèrent, in reipubli. necessitates primo quoque tempore faciendi. Illud etiam insolens & intolerabile, intra quadrimestre tempus quo regnare cœperat, ex statis vectigalibus, centies & vicies centena millia, ex alijs verò regijs prouentibus, plusquam sexagies data esse: cùm reges catholici, totis quibus regnauerant quadraginta annis, quantunuis benefici fuissent, eam summam non exæquassent. Quare ea omnia prorsus abscindenda esse censebat. Tabulas verò, quas à Rege Ferdinando datas Enricus Fortuna, Anricus Almirantus, & Paciecus Ascalonius ostendebant, in quibus decies centies, ex noui orbis reditibus singulis donabantur, irritas & inanes esse iudicandas. Nam quæ tempore diuturnæ & acerbissimæ ægritudinis parum consyderatè promissa fuerant, præstari non debere ius est. Porrò Enricum Fortunam, qui cognationis vinculo Ferdinando Regi perquam coniunctus, id mereri magis videri poterat, hominem esse præcipiti natura, & qui Gallorum quæsitis auxilijs, adversus Carolum multa tentasset. Quòd si liberalitatem, quæ reges in primis amabiles facit, exercere vellet, habere apud se nobilissimos ministros, qui promptè & fideliter, suis iussis assiduè obediuissent, quos beneficijs, quoties facultas daretur, exornare posset: iustitiam verò erga reliquos omnes ex æquo coleret. Nam iustitiæ munera sine discrimine omnibus esse tribuenda: liberalitatis verò ministris, pro cuiusque fideli sedulitate & dignitate. Tria enim sibi magnopere necessaria semper fuisse visa, quæ regis imperium ante omnia stabilirent, primùm vt suum ius vnicuique tribuat, siue id ęqualis conditionis homines à rege postulent, siue multum dissimiles. Deinde vt virorum militarium, præsertim qui animi fortis & strenui præclara dedissent documenta rationem inprimis habeat. Vltimum verò, quod magni momenti existimabat, vt censum regium dissipari non permittat: sed opes potius ex reditibus amplissimis continuò seponat, quibus res maximas & gloriosas adoriatur, & efficiat. Ipse enim experientia didicerat, quantum hoc referret, qui eo quadrimestri spatio, quo Carolo vicariam operam in moderandis sceptris præstiterat, tot res præclaras & egregias absoluerat. Nam Bæticos motus sedauerat: terrores Nauarrorum compresserat: Malacitano-

rum

rum contumaciam coërcuerat: limitanea præsidia armis & militibus communiuerat: & oræ maritimæ reddiderat tranquillitatē: incursiones in Africam fecerat, classe aduersus Algerium missa: Bugiam, Pegnonum, & Melillam, Horuscij Barbarossæ obsidione liberauerat: Lusitanis ad Argillam defendendam auxilium obtulerat: & demum grande æs alienum, quod sub Ferdinando regius census cōtraxerat, dissoluerat. Quòd si ipse alienas partes agens, & maleuolorum inuidia sæpe impeditus, hæc potuit efficere, à sumptibus superuacuis abstinens: quid censendum esse crederet de seipso rege potentissimo, & cuius celsitudinem subditorum inuidia attingere non potest? Quod de classe ad Algerium expugnandam missa ait, quanuis prosper successus illi defuerit, tamen ob data constantis animi, & inuicti signa, memorabile est. Non minus enim laudis ex ea re insecta reportauit, quàm quondam ex Orano capta. Algerium, quam nonnulli (sed vt opinor falsò) antiquam Cirtam Iubæ, & Syphacis regiam esse credunt, eo tempore sub Hispanorum potestate erat, quibus certum quoddam tributum, quotannis pendebat. Sed cùm interea Africana littora Horuscius Mitylenæus pirata, cognomento Barbarossa, cum fratre minore Haredino infestaret, Bugiamque quam nostri tenebant, occupare laboraret, & ab eius obsidione alterius brachij iactura repulsus esset: ab Algerianis ciuibus qui Hispanicum iugum excutere affectabant, vindex libertatis accersitus fuit: atque intra vrbis mœnia receptus, totius iuuentutis aduersus Hispanos dux constitutus. Haredinus cognomento quoque Barbarossa, Christiani nominis acerrimus hostis, ille est, quem Carolus iam Romanorum imperator nostris temporibus Tunete depulit, oræ maritimæ securitate parta. Aiunt permultum opera Morabitorum, ad persuadendos populariū animos Horuscium adiutum fuisse: qui assiduè proclamabant, nefas esse & rē indignissimā, generosos Mahumeti cultores, Christianis hostibus nō solùm parere, sed etiam tributa pendere. Quare Horuscium virum fortissimum & Christiano nomini infestum, qui eos ab Hispanorum seruitute liberare posset, regem capesserent: nam & occasionem peropportunam à Deo illis oblatam esse, Rege Ferdinando per id tempus vita functo. Ximenium verò non esse cur timerent: nam quanuis Orano capta Africam olim terruerat, iam adeo graui senio oppressus, & multis negotijs è regnorum

Universidad de Deusto Biblioteca

gubernatione impeditus erat, vt celerrimè è vita illi esset migrandum: Itaque nec vires neque otium Ximenio esse, ad res iterum Africanas inuadendas. His sermonibus persuasæ turbæ, à Selimo Algerij principe deficientes, Horuscium regem creauerunt. Hic ergo vrbe Mauritaniæ celebri & littorali potitus, non solùm Hispaniam maritimam quotidie vexabat, sed etiam ipsos Africanos regulos, auitis imperijs deturbare conabatur: vt paulatim & Africam quoque ad Turcarum seruitutem traduceret, quorum armis & præsidijs, ex prædone rex factus fuerat. Inter hos cùm Albuzeuenum Teneziũ principẽ crudeliter vita spoliasset, Iahia Albuzeueni frater à Tenezẽsibus regno præficitur. Is paulò post filio hęrede relicto mortuus est. Hic continuis Horuscij incursionibus afflictus, timuit ne in eius manus incideret, & in Hispaniam tandem traijcere decreuit. Ergo ad Ximenium accessit supplex, se eius fidei commendans, & contra communem hostem opem implorans: nam ob Hispanorũ amicitiam, in eas calamitates & miserias se incidisse dicebat. Maluisse enim maiorum suorum exẽplum sequi, qui Hispaniæ reges coluissent, quã Barbarossæ piratæ adhęrere. Ximenius humanè respondit, curaturum se, ne amicitiæ cum Hispanis initę vnq̃ illum pœniteret. Delectus militum per Hispaniã haberi iubet, & naues quibus in Africã appellerẽt instrui, vt pirata à nostris littoribus arceretur. Classi cùm Fernandum Andradã præficere vellet, impetrare nõ potuit: q̃ ex tumultuarijs, & rei militaris imperitis hominibus legiones illas coactas esse diceret: vnde potiùs ex illorũ opera ignominia, quã vlla gloria expectãda esset. Ximeni' cui omnis repulsa molesta erat, egreque ad preces descẽdebat, Didacum Verã tormẽtorum præfectũ, cuius industriã & fortitudinẽ, in Oranica olim expeditione expertus fuerat, ad eã rẽ idoneum arbitratus, legionibus traditis ad Algeriũ expugnandã misit. Nõnullis parum attẽtè Ximenius id fecisse visus fuit: q̃ is militari arrogãtia inflatus esset, & casu potiùs, aut fortuna quã prudẽtia cõsilioúe, quo carebat, victurus crederetur. Igitur octo milliũ armatorũ exercitu Didacus Vera ex Hispania soluit: in Africã ad Algerij litt' pridie diui Hiero. qui dies ante tertiũ ca. Oct. est, appulit. Mauri, qui multò ante id resciuerãt, finitimorũ vndiq; euocatis auxilijs, ingẽti Numidarũ equitatu cõducto, oppidũ, p̃bè munierãt. Horusci' cũ sexcẽtis fortissimis turcis sagittãdi peritis, quos ad sui corporis custodiã ex Asia adduxerat, p̃ muris stãs magnos suis animos ad hostium

hostium impetum propulsandũ faciebat. Didacus vera cũ milites suos ad oppidũ inuadendũ prædę cupiditate plus satis paratos videret, in quatuor partes exercitum diuisit, sic in officio melius cõtineri posse ratus, & vt à quatuor itẽ cęli regionibus expugnationẽ Algerij adorirentur. Aiunt cõtentionẽ fuisse ortã de militibus diuidẽdis, inter Verã, & aliquot tribunos: qui nil perniciosius fieri posse aiebãt, q̃ exercitũ in tot minutas partes frãgere. Omne.n. exercit' nõ numero si robur, in omniũ militũ vnione positũ esse: pręsertim cũ p̃ certo accepisset, hostiũ pręsidia q̃ instructissima & copiosissima parata esse. Benecõsulẽtibus Vera nõ auscultauit, qua de causa illi cõtumaçiores factipugnã negligẽti' curãtes, pręcipitẽ cõsilio suo agi siuerũt. Nãostri quadrifariã diuisi Maurorũ viribus impares fuerũt: qui siue q̃ tribulos ferreos per vicos oppidi disseminassent, siue q̃ scrobes passim fodissent, quas leuibus virgultis & arũdinibus terra leui iniecta cõtexissent, portas oppidi patẽtes relinquũt. Nostri punicas insidias veriti, ingressu neglecto, muros audacter cõscẽdere conãtur: qui viribus Turcarũ repulsi sunt, & aliquot capti è pinnis murorũ, in contumeliã & ludibriũ suspẽsi. Horuscius, Turcas & Numidas egredi iubet aduersus reliquas exercitus partes: qui copiosiores atq; etiã animis, ob ducis nostri manifestã imprudentiã, elatioribus irruẽtes, Hispanum exercitũ cõtinuò fugãt, atq; stragẽ & internecionẽ edũt. Didacus Vera consilio & militibus destitutus, fuga sibi & filio cõsulendũ ratus, bonã (vt aiunt) eius diei partẽ, dũ Mauri in nostros sæuiunt in scopulorũ cauernis delituerunt. Postq̃ in Hispaniã appulit, imprecationibus passim accipiebatur: & cõtumeliosis puerorũ cãtilenis proscissus lõgè debilior Horuscio esse cãtabatur, qui altero brachio carebat. Infausta ab eo tẽpore Algerij expugnatio nostris semper fuit: nã littoris illi' importuosi stationẽ, malè fidã nauibus semp̃ experti sumus. Eius rei nũtiũ Ximenius sub Octobrẽ accipit, multa iã nocte, hominibus theologis de rebus sacris disputãtibus assidẽs. Cũ dictũ esset, cursorẽ ex Africa ad fores adstare, vt intromitteretur iubet: & nihil sciscitat' postq̃ literas ad se datas tacitus legit, sereno vultu circũstãtibus dixit. Exercitus noster in Africa victus & profligatus esse nũciatur: sed paruã iacturã fecimus, Hispania hominibus facinorosis & audacib' exhausta est. Et rursus ad quæstionẽ theologicã disputandã est conuersus, qua absoluta ad corpora curanda discessum est, admirantibus cũctis Ximenij constantiam, & inuictum pectoris robur, qui nullum

Universidad de Deusto Biblioteca

animi commoti ſignum in re aduerſa & ſubita dediſſet. Id autem, quòd Hiſpaniam malis hominibus exhauſtã eſſe dixit, ex regis Ferdinandi conſuetudine, & conuictu traxit: qui ſępe numero expeditiones aliquas non alia de cauſa parandas eſſe aiebat, quàm vt furibus, ſicarijs, ganeonibus, & perditis hominibus iuuentus Hiſpana expurgaretur: quæ malorum conſortio, inutilis & vitioſa paulatim reddebatur. Hoc conſilio iam olim in Atheniẽſium rep. Periclem clariſſimum imperatorem vſum eſſe, ex hiſtorijs nouimus: qui ſingulis annis claſſem ornare ſolitus erat, vt ignaua, turbulenta, & ſeditioſa plebe ciuitatem ſuam leuaret. Ęmuli qui ex euentibus acta ęſtimabãt, eam expeditionem tanquam parum prudenti conſilio ſuſceptam, parumq; apto imperatori commendatam, apud Carolum criminabantur. Qua de cauſa aliquot epiſtolis cladis famam Ximenius extenuat: nam mille tantùm homines ex vniuerſo exercitu, adnumeratis etiam captiuis, deſideratos fuiſſe ad Carolum ſcribit: & culpã in Didacum Veram apertè reijcit, tametſi iacturam nihili eſſe faciẽdam dicat: bonam tamen ſpem habere, magno cum hoſtium damno & detrimento, ſe vindictam ſumpturum. Ad Leonem verò põt. max. vt ex eius reſponſione per Petrum Bembum edita apparet, graui aliquid ſcripſiſſe certum eſt. Nam magna moleſtia ſe affectum eſſe pontif. reſpondet, quòd exercitus quem in Africam Ximenius tranſmiſiſſet, magnam plagam apud Algerium accepiſſet: vna tamen re dolorem ſuum leuiorem fieri, quod ipſe animo fractus non eſſet, neque quicquam de ipſius ardore & diligentia, eam ob cauſam eſſe detractum: atque verbis ampliſſimis, eum ad alterum exercitum comparandum, & ad remp. Chriſtianam iuuandam adhortatur: animumq; illum dignum eius virtute, dignum etiam authoritate quam ſupremam Carolus ei dabat, diutius retinendum eſſe, atque adeo ſæpius aduerſus communes hoſtes incitandum: cùm prę ſertim ex recenti, & mirifica Turcarum regis contra Sultanum Ęgyptium victoria, non dubium erat, quin inſolens & exultans Turca, vere ineunte mare noſtrum infeſtaturus eſſet, atque claſſe inimica repleturus. Quod commune malum cæteris quoq; principibus chriſtianis ſe indeſinenter denunciaturum, vt communibus votis & præſidijs, hoſti potentiſſimo vniuerſi reſiſtant, belluiq; cum eo aduerſus Turcas vnanimes capeſſant. Ex quibus ſanè literis planè conſtat, Ximenij amplitudinem & authoritatem, non modò apud Hiſpanos

nos clariſsimam, ſed apud etiam exteras gentes illuſtrem fuiſſe. Sic enim pontif. max. cohortationibus ad regios conatus ſuſcipiendos inſtigatur, vt ſolent reges, & magni principes. Nimirum bonam negotij conficiendi partem, ex eius induſtria & robore pendêre intelligebat. Fuit etiam ſub hoc ipſum tempus edictum Ximenij, ex regij ſenatus authoritate, aduerſus mercatores Genuenſes, qui noſtras vrbes frequentes incolunt, per vniuerſam Hiſpaniam promulgatum, quo iubebantur, vt intra certum dierum ſpatium, ex Hiſpania diſcederent, aliòqui bonis priuandi, & capite puniendi. Tam acerbi edicti cauſam hanc fuiſſe apud Martyrem reperio. Ioannes Riuus, qui Didacum Veram ad Algerianam expeditionem inter pręcipuos comites ſecutus fuit, modicis parentibus Toleti ortus, ſed bellicis artibus & animi præſtantia per omnia inſignis, longa & probè munita triremi piraticam interdum proſperè exercebat. Hic in mercatores Genuenſes aliquando incidens, naues eorum & opes deprędatus, damna non mediocria (vt aiebant) illis intulerat: quare ſedulò curabãt, vt ſeſe occaſio offerret, qua prædonem vlciſcerentur. Accidit igitur vt ſub menſem Iulium, tres onerariæ Genuenſium naues apud nouæ Carthaginis portum, lanarum aſportandarum cauſa in anchoris eſſent. Nam cùm ouium Hiſpanarum vellera, tenuitate & mollitudine præſtẽt, innumeri lanarum ſacci ad alias regiones ex Hiſpania quotannis traijciuntur. Aderant præſidij cauſa totidem naues, omni bellico apparatu, atque militibus Genuenſibus munitæ: quibus reſp. iuſſerat, vt Ioannem Riuum prædonem interea quærerẽt, & meritas pœnas ab illo ſumerent. Igitur dũ ea de cauſa in anchoris ſunt, ecce claſſis Hiſpana aduenit, cui præerat Catalonius Berenguellus Muſchoti dominus, vir in illa prouincia primarius, dignus qui propter generis nobilitatem, & ſpectatam ſui parentis erga regem Ferdinandum fidem, honorificis muneribus præficeretur, quanquam animo nonnihil remiſſo, & ad pericula ignauo habebatur. Huic comes veniebat Ioannes Riuus, quem ex triremi longa Genuẽſes agnoſcentes, eum ſibi tradi multis obteſtationibus à Berenguello petunt: cùm præſertim ex fœdere cũ Hiſpaniæ rege facto, ſi quis hoſtis alterutrius fuiſſet, vtriuſq; præſidijs & armis, eſſet oblata occaſione puniendus. Id cùm Berenguellus arroganter deſpexiſſet, Genuenſium præſidia irritata, quod iuſta oratione impetrare nequiuerunt, Ioannem Riuum vi adoriuntur, & eius triremem tormẽtis penè

Universidad de Deusto Biblioteca

nè subruunt. Commotus Berenguellus, satis inepto & degenere cõsilio præsidiarijs nauibus relictis, quibus cum ob illatam iniuriã confligendum erat, in nihil commeritas onerarias tormenta sua hostiliter contorquet. Vim vi repellendam Genuenses decernentes, cùm præsertim insontes impetiti essent, tres demittũt è nauibus scaphas, & singulis bina tormenta imponunt, & nostrã classem præfecto carentem (illico enim vt ad manus veniendum fuit, Berenguellus prælium deseruit, & classe neglecta terram petijt) assiduis ictibus malè multant: & ex quatuor Hispanis triremibus, duas vi tormentorum confregerunt: quarum altera submersa fuit. Berenguellus interea tumultu vrbem complens, eam iniuriam quæ prorsus ad læsam maiestatem pertinebat, neutiquam esse ferendam clamitans, machinis tormentarijs in Carthaginis tutelam comparatis, Genuenses esse repellendos admonet. Cœpit pugna grauiter accendi, & vt in tumultu & seditione fit, cæco furore concitatis animis, nihil consilij vel remedij capiebatur. Vtrinq; æneæ glandes tormentis emittebãtur: vrbis tecta concutiebantur: eminentiores turres concidebant: nihil hostilius ab immanibus Turcis misera ciuitas potuit expectare. Tandem magna vtrinq; edita strage noctis interuentu certamẽ dirimitur. Hoc factum Ximenij animum acriter commouit: neque enim tanti faciebat Ioannem Riuum piratam à Genuensibus capi, quàm per summam iniuriam fœdus violari, & regis nostri maiestatem cõtemni: seq; eo tempore sceptra moderantem, tam manifesta contumelia affecisse. Hac ergo de causa in Genuenses edictum, quod diximus promulgauit. Berenguellum verò ita ex ea re oderat, vt eũ classis præfecturà priuare apud regem curauerit, & ad Ioannem Velascum virum strenuum, & Bernardini comestabilis iam defuncti filiũ transferre. Sed Berenguelli patroni, id non tam Ximenium reip. causa, quam affectui priuato indulgentem contendere, apud regem idẽtidem affirmabant: quorum dictis fidem rex habuit, & Berenguellum ferme per Ximenium exauthoratum rursus pristino muneri restituit, quatuor millibus aureis adiacturas sarciendas insuper additis. Quapropter Ximenius acerbiori in Berenguelli ignauiam epistola ad regem data, id neutiquam faciendum esse scripsit. Quòd si Velascus propter paruam rerum maritimarum experiẽtiam impar esse præfecturæ credebatur, Barchionenses & Valentinos maritimos populos sese offerre, ad omnem oram Hispanam tutandam,

proprijs

proprijs commeatibus & sumptibus vniuersæ classi necessarijs: quorum promptam ad eam rem voluntatem eo præsertim tempore, non esse reijciendam. Nam postquam seculares induciæ cũ Genuẽsibus pactæ exierant, veteres simultates, quæ ob Sardiniam Mauris quondam proditam inter ipsos intercedebant, capitali odio renouari videbantur. Porrò mirari se dicebat illorum inconsyderantiã, qui Berenguellum regia beneficentia adaugendum curauissent, qui acerbiori custodia, quàm eius conterraneus Quinctus, qui apud Belgas ob læsam maiestatem in vinculis erat, puniri meruerat. Sed nihil apud Carolum promouit, Belgis aulicis Berenguello studiosè patrocinantibus. Eius causam tunc mirè adiuuit, quòd sub extremum Augustum, acri & cruento prælio, quod magna vtriusq; partis contentione per solidum ferme diem durauit, quatuor Turcarum piraticas triremes Berenguellus nouem nostris probè instructis cepisset, Turcis ad vnum captis aut confossis: cùm toto sexennio ex quo illo præfectus classi fuit, mare nostrum Mauris insolenter infestantibus, nihil egregium aut præclarum gessisset. Erat Ximenius suopte ingenio fortium virorum studiosissimus: vnde magnum Gonsalum & Bernardinum comestabilem summè coluit: Fernandum Andradam non vulgari comitate tractabat: compluresq; alij hac vna ratione, quanuis infimo loco nati essent, apud eum inprimis commendabantur. Quæ res eo tempore effecit, vt virorum fortium numero fatiscerent, ad eum vndiq; confluxerit atque resp. militaribus exercitijs florens, exteris principibus, rege absente, terrori fuerit. Berenguello verò indignabatur ob semel conceptam de illo opinionem, quasi remissi & imbellis animi esset: à qua nunquam diuelli potuit. Genuenses verò, quos edicti promulgatio ob intercepta lucra, & bonorum cunctorum proscriptionem malè habuit, illico ad Belgas traijcientes, publica legatione apud Carolum regem sese excusarunt: molestissimum id suis ciuibus accidisse, quanuis Berenguelli temeraria insolentia occasionem iustissimam dedisset: Remp. tamen eius nomini deuotissimam parum Berenguelli imprudentiam curauisse, modò fœdera cum ea icta conseruarentur: atq; ita senatum decreuisse, vt nauium illarum præfecti capitis rei continuò haberentur, cæteri verò qui præfectis consensissent, vt quamprimum patriam terram appellerent, commeritas pœnas reip. darent. Verùm Deum immortalem iustissimum delictorum vindicem, occasionem quam quærebant

Universidad de Deusto Biblioteca

bant præripuisse,qui naues illas apud Nicæam,in Villafrancæ portu consistentes,subito & insperato turbine correptas,& ruptis rudentibus,anchorarumq; retinaculis,miserabili spectaculo in gyrũ actas, cum vitis plusquam tercentis submersisset.Cuius rei atrocitatem & durissimam fortunam adeo nihil eos commouisse,vt potiùs graui-ter tulerint,scelestos homines & fœderum violatores,diuina potiùs vltione perijsse,quàm reip.vindicta,quæ in exemplum posterorum erat futura.Carolus illorum apposita oratione placatus , quicquid noxæ admiserant benignè condonauit,& Ximenij edictum abrogandum esse placuit.Ximenius contra seuerus instare,in regiã maiestatem peccantibus haud ita leuiter ignoscendum esse, & nouas causas accidisse,propter quas Genuensium bona apud sequestros essent detinenda.Eæ autem huiusmodi erant.Petrus Nauarrus,quem ad Africanam expeditionem imperatorem Ximenius habuerat, cruenta illa apud Rauennam pugna,cùm fortissimi militis & optimi ducis partes abunde præstitisset,à Gallis captus,& odio quorundam nostrorum,quos infensos habebat,in custodia neglectus,à rege Gallorum solicitatus,classi Gallicæ hac(vt aiunt)conditione præficitur,vt naualibus & pedestribus copijs,consilio & præsentia sua consuleret,manus autem cum Hispanis conserere,aut regem suum apud quem in pretio habitus stipendia fecerat,aperto Marte offendere non teneretur.Is eo tempore sedecim nauium classe Massiliã veniens delectus militum studiosè faciebat,nec dubium esse , quin ille totus apparatus aduersus Calabriam & Siciliam instrueretur.Nam Genuensium classis,quæ paulò ante Gallicæ adiuncta fuerat,Panormum adoriendi suspicionem dederat,Camarino & Goliscano eius vrbis primarijs hominibus clam auxilium ferentibus,post Nauarri verò aduentum apertè rem gerentibus.Neq; enim alia de causa, vir eius orę peritissimus superuenerat,nisi vt eius ductu & consilio, qui Campana & Sicula littora tam probè nouerat,totam illam regionem infestarent.Periculum itaque esse,ne Maximiliano Cæsare aduentum suum in Italiam differente,Gallorum potestati Mediolanũ & Neapolis cederent.Addebat etiam Barchionensium legationibus certiorem factum esse,quotidie in eorum portubus Genuenses & Gallos sese ostendere,omnemque illum Cataloniæ tractum sub specie distrahendarum mercium illis hominibus repletum esse, qui vltro citroq; commeantes,frequentes nuncios in Galliam mitterẽt,

indeq;

indeque rursus acciperent.Quæ omnia belli quidem aduersus Neapolim præparati indicia erant:sed iam tandem literis per arcanas notas scriptis,quas Caucoliberensis arcis præfectus interceptas ad se miserat,vniuersam rem deprehensam esse. Nam in eis Genuenses classis suæ præfecto imperabant,vt tam à Gallis quàm à cæteris cõfœderatis,aduersus Hispanos præsidia peterent,beneq; deinceps sperarent:nam iam fortunæ aspirantis principium sese ostenderat,celoce Hispana apud Sardiniam capta, plusquam centum militibus instructa.Quare bono animo essent,neq; vllam rerum necessariarum inopiam timerent:nam in duabus insulis Sardinia & Sicilia,omnia prouisa & disposita esse,quò si angustijs premerentur, tuti & securi se reciperent.Idcirco sibi id sententiæ esse, vt ex supellectile Genuensi,quæ apud sequestros erat,nihil proprijs dominis restitueretur,donec illi motus apertius innotescerent.Nam si fœdus tãdem violare non cessarent,propria pecunia oppugnari posse.Quare tantisper suo edicto authoritas danda,quoad de eorum erga nostros fide rei euentus testimonium daret.Neq; enim tantopere Genuensiũ negotiationem Hispanis regionibus necessariam esse,vt non parũ multi prudentes homines reperiantur,qui non modò eorum commercia parum esse nobis fructuosa affirmant,sed vehementer etiã perniciosa:quod tamen alterius consyderationis esset.Porrò legatos se Genuam misisse,qui de his omnibus agerent,atq; eorum animos explorarent.Hæc quidem Ximenius diligentissimè monebat : sed Genuenses fidem Caroli implorantes,tandem in pristinam conditionem,Ximenio etiam approbante restituti sunt. Nam legatis, quos ad eos miserat,benignissimè susceptis,omnem suspicionẽ quã de Neapolitano bello conceperat, abunde adempserũt. Nauarrus quoque pro veteri amicitia per Taramonam presbyterum familiarem suum,se apud Ximenium expurgauit, maritimas illas copias, totumq; illum naualem apparatum, pro antiquo suo instituto aduersus hostes religionis parari affirmans:viresq; suas & solitos conatus se potius aduersus Africana littora,quàm contra regnum Neapolitanum,aut contra Siculam oram intendere.Dum hęc aguntur, Naiarensis Nauarræ prorex ad Ximenium scripsit,Caroli literis iuberi,vt equestre præsidium,quod in Nauarrorum finibus tenebat, Maximiliano imperatori,ad Brixiæ obsidionem in Italiam descendenti concederet.Ille enim Gallicæ potentiæ infringendæ causa,ne-

pot

Universidad de Deusto Biblioteca

poti prospiciens, in Italiam festinabat: quoniam totum illum Insubriæ tractum, qui à Mediolano in Bononiã est, Gallus occupauerat: cuius copiæ in dies magis augebantur. Id vt diligenter faceret Ximenius rescripsit: sed per celeres cursores Carolũ monuit, ne Brixiæ expugnationem imperator auus frustra tentet, esse enim vrbem natura & loco munitissimam: sed Mediolanũ continuò contendat, qua capta, non solum Brixiæ dominum futurum, sed vniuersæ Italicæ opulentiæ, quæ ex Mediolanicis negotiationibus & cõmercijs, propter regionis fœlicitatẽ constat. Se verò nisi ei aliter videretur, si Neapolim Gallus intendat, validissimo ex Hispania coacto exercitu, Lutetiam versus in Gallias irrupturũ. Et quoniam nonnullos ex Neapolitanis regulis, qui priuatorum negotiorum causa apud eum erãt, parum comiter à Belgis aulicis tractari audiuerat, & moras in rebus quas efflagitant iniquo animo sustinere, meminisset Neapolitanorũ mores, qui leuibus de causis nonnũquam acriter irritantur: & daret operam, vt omni beneuolẽtiæ & ciuilitatis genere deliniti, domum quamprimum fieri posset redirent. Militum Hispanorum legionibus, quæ ad Neapolim eo tempore erant in summa rerum inopia constitutis, subueniendum statim esse censere. Nam stipendia quæ meruerant numerari flagitabant, vt ex Arellano tribuno, qui à prorege eam ob causam ad se venerat, cognoscere poterat: nam in eo articulo res Italicas positas esse, vt potiùs regiæ familiæ, quàm Neapolitanis militibus argentum sit negandum. Ad cæteros verò Italię motus sedandos, pontif. maxim. animum captandum: de quo, quanuis ille omnia polliceretur, se non admodum securum esse. Nam cùm non ita pridem Gallis ad conferenda cooptandaque sacerdotia liberali animo, certis sub legibus, ius concessisset, & condonationes item pontificias, quæ à crucis protectione, cruciatæ dicuntur, has à nobis sæpius flagitatas, nouas causas nectẽdo, denegauit. Id autem fieri, vt vires Gallo adaugeantur certissimum esse: neque enim bellum cum religionis nostrę hostibus se gerere, aliamúe publicam causam procurandam suscepisse, poterat prætexere: cũ Hispani per nongentos annos, cum Mauris perpetua pręlia conseruerint, sanguinemq; suum in defensionem crucis, & religionis propagationem effuderint, & adhuc effundant. Esse itaque summum pontif. si opus foret interdum perterrefaciendum, quemadmodum à se quoque nuper esset factum: qui liberiori epistola eum admonuerat, vt se erga

reges

reges Hispaniæ indulgentiùs gereret, & multa alia quæ in hanc rem esse videbantur. Quare etiam atque etiam videret, quem suo nomine legatum Romam mitteret: nam permultum in eo deligendo interesse, cuius ob Hispanorum in vrbe frequentiam magna authoritas & potentia erat. Ergo Petrus Vrrea Belgarum fauore apud regẽ commendatus, nõ quidem Hieronymo Vico successor datur, sed pari cũ eo potestate Romam mittitur: quam aliquot mensibus nõ admodum cõcordes, vt in imperij consortio solet fieri, gesserunt. Nam Martinus Cotillus sic ad Ximeniũ, cuius cum Petro Arteaga negotia Romę procurabat, scribit de cardinalibus, qui aduersus põt. maxi. cõiurasse accusabãtur. Sauli (inquit) & Vrsini cardinaliũ causa, in portu (vt aiunt) est, & propediẽ liberandi creduntur: nam iã cõtrouersia ad clausulam perducta est, & vades pont. max. dati. Ingens ad hãc rẽ fautor, noster orator Hieronymus Vicus est, egregieq; illorũ partes agit: quo fit vt Petrus Vrrea eisdem aduersetur, & in contrariam partem inclinet. Neque enim fieri vllo pacto potest, vt duo simul legati concordem operam, & regi nostro profuturam, apud pont. vnquam præstent, nisi alter alteri cedat, à quo hi nostri longè absunt. Nam Petrus Vrrea regio fauore insolens, legati munus arrogantiùs exercet: Vicus contra ex suis opibus, & ex fratris Raimundi cardinalis dignitate animos sumit: præsertim quòd tam rerum experiẽtia, quàm iudicij acumine & grauitate, Petro Vrreæ præstare se videt: vnde attẽtiùs auscultatur in sententijs dicendis. Quare tempus esse expectandum existimat, neq; vllo modo Vrreæ cedẽdũ. Qui Vrreã propius nouerunt, multum eius virtuti deferunt. Nam cùm Caroli iussu Mediolanum in Maximiliani ducis auxilium venisset, quẽ Gallus deturbare principatu contendebat, atque Heluetij, quos Maximilianus selectos apud se habebat, Hispanis anteponi niterẽtur, ille forti & prestanti animo Heluetiorũ superbiæ sese opposuit: illamq; celebrẽ vocẽ edidit: sępe Hispanos Heluetiorũ terga cõspexisse, cũ illi rarò Hispanorũ vultus ferre potuissent. Hæc de legatis per regẽ mittẽdis. Monebat etiã, pari cura cõsyderandũ esse, quales legati in Hispaniã à põt. max. mitterẽtur: nã totius reip. trãquillitatẽ ex eorũ ad principes suos relationibus pẽdẽre: sępeq; numero accidisse, vt illorũ stultitia aut insolẽtia, motʼ grauissimi coorti fuerint. Certiorẽ porrò factũ se esse, nunciũ à põt. max. in Castellã mitti Laurentiũ Putium, Laurẽtij Putij cardinalis nepotẽ: quare in rem nostram esse vt omni

cona-

Universidad de Deusto Biblioteca

conatu rex intercederet,ne homo leuissimus,& futilis ad nos mitte retur.Nam Pucium cardinalem superbum esse,& auiditatis inexple bilis vitio laborare,ex suorũ literis didicisse.Magnam itaq; reip.Hispanæ perniciem euenturã,si hic Romæ,ille in Hispania ad res pro libito tractandas mutuã sibi operam dedissent.Dum externis rebus apud Carolum prouidendis Ximenius occupatur,multa reipu.nostræ propria sese interim quotidie offerebant,in quibus constituendis eius virtus etiam elucebat.Erat in Hispania numerus eorum frequens,qui Iudæorum superstitione relicta,ad verum Dei cultum trãsierant:sed multi quotidie ob violatam religionem accusabantur.Et cùm Iudicia exercerentur,nulla testium publicatione facta,apud regem omni studio & arte contendebant,vt apertis testimonijs vniuersa negotia tractarentur, oblata interim ingenti quadam nummorum summa. Nam vt ex Mazuequi regij consiliarij ad Ximenium literis intelligitur,plusquam octingenta aureorum millia, eo tempore regi offerebantur : idque iam confectum per Belgas esse crebris rumoribus apud nostros iactabatur. Rursus Cathalonij apud pontif.maxim.altera ex parte instabant,hoc ipsum petentes:& fortasse impetrassent pecunia oppugnantes , nisi Laurentius Pucius cardinalis,Hispani nominis studiosus haberi volens, regium legatum admonuisset,qui Ximenium certiorem hac de re fecit : cuius authoritate & monitis, Cathalonij summum pontif. solicitare destiterunt. Ad Carolum verò mirari se Ximenius scripsit, quòd ex sacrosancti Tribunalis legibus, quæ per reges catholicos tam accurato consilio examinatæ & exploratæ fuissent,quicquam mutari (vt aiebant) permisisset. Priuatim quoque doluisse,quòd se adiutore & hortatore id esse factum à quibusdam iactaretur:cùm apud pontif. maxim.Cathalonijs,ne id consequerentur,ipse potissimùm impedimento fuisset:& multò ante apud auum Ferdinandum rei nummariæ inopia laborantem, quando bellum Nauarrense gerebatur, intercessisset, ne sexcenta aureorum millia acciperet,quæ modò annuisset, continuò numerabantur: qui Christianæ religionis cultum & obseruantiam, atque in Deum immortalem insignem pietatem, pluris quàm diuitias, & auri aceruos faciens, illius tribunalis leges stabiles ratasque manere voluit . Haberet itaque in oculis tam præclarum & recens aui sui exemplum , ne quid mutandum in cognitione causarum , quæ ad religionem pertinent, censeret. Nam quicquid ab aduersarijs obijciebatur, sub regibus catholicis in vtranq; parte satis disputatũ fuit : & hanc vnicã viã fuisse repertã,qua religioni labãti cõsuleretur.Quare si à Deo Opt. Maxi. incrementa etiã suscipere,& exornari cuperet, eandẽ quoq; viã iniret,qua eius aui perpetuam sibi gloriã pepererãt.Nam vt cętera exẽpla taceret,vnde satis cõstaret legem de testium nominibus nõ edendis immotam esse oportere:illud recẽsere velle,quod nuper in Talabricẽsi tractu acciderat:nouum quendam è Iudæo Christianũ ad tribunal Inquisitionis appellatum,qui absolutus,cùm in testis cuiusdã notitiam deuenisset,insidijs in solitudine dum iter facit circũuenit, & hasta transfixit.Tanta enim est ea ex re infamiæ acerbitas, & tãta turpitudinis nota inuritur,vt si hoc remedio nõ succurratur,permulti ad hunc modum non solum in solitudine,sed in foro ipso & iudicum subsellijs,perituri atrociter sint.De quibus omnibus, si certior fieri accuratiùs cupiebat,habere apud se Alphonsum Manricũ Cordubensem Episcopum,& Lupum Aialam procuratorem suum,qui rerum istarum magnam cognitionem tenerent. Carolus religiosissimè se gerens,qua virtute ab illis adeò initijs ad vltimam vsque ętatem semper enituit,Ximenij consilium secutus , sacrosancti tribunalis authoritatem conseruauit. Agebatur per ea tempora, de Bernardino Carauajalo Cardinali,in Seguntinum Episcopatum restituendo, nam coniurationis in Iulium. II. Pontif.Maxi. causa, cuius ipse princeps est habitus,sacerdotijs omnibus priuatus , insuper Senatu motus , vitam ignobilem & extorrem traduxerat. Cæterùm Leonis. X. benignitate,& Caroli regis fauore in Senatum iterum receptus, omnia ablata restitui postulabat, sedulò id Ximenio contendente. Successerat ei in Seguntina ecclesia Federicus Portugallius, regio Aragonum sanguine, & familiæ nobilitate perquam Illustris.Magni nominis aduersarius Carauajali negotium dubium reddebat: nam quanuis & regis voluntas , & Ximenij conatus Carauajali causam tuebantur, aderant ex vniuersa nobilitate Federico patroni, qui rem per tumultum acturi credebantur.Nam Inachum Mendozium Infantatus ducem,qui nuper ingenti omnium, sed potissimùm studiosorum mœrore , quorum ille patronus & fautor semper fuit, anno M.D.LXV. sub mensem Septembrem fatis concessit,dicentem audiui, se eo tempore ad Ximenium à patre Didaco missum,atque cum eo multum expostulasse, quòd in Fe-

Universidad de Deusto Biblioteca

derico exturbando tantopere laboraret, quem Isabellę Aragoniæ quam nuper ipse vxorem duxerat, non vulgari propinquitatis gradu cõiunctum nosset. Quę cùm liberiori oratione à se dicerẽtur, Ximenium quãuis irritatum, magno artificio responsum tẽperauisse: nam & illum seuera oratione corripuisse, & ita blando sermone intermisto iuuenili feruore excandescẽtem demulsisse, vt inde Ximenij studiosissimus, quadãque prorsus ingeniorum (vt Inachus aiebat) Sympathia, erga hominem amplissimũ affectus discesserit: sępeque mecum de eius animi magnitudine & constantia, singulari elogio, & honorifica & profusa mentione, egerit: cùm alioqui grauis & excelsi animi vir, non nisi optimos & meritissimos homines testimonio suo, idque parcè cohonestandos duceret. Igitur dum de Carauajalo reducendo agitur, diœcesis Seguntina in diuersas factiones diuisa, nonnulli Carauajalo, alij Federico studebant. Hæc cùm in dies pertinacius agitarentur, simultatibus in odium gliscentibus, ad arma & rixas deuentum est. Est in ea diœcesi Almazanum, oppidum ditionis comitis Montacutani, in quo tumultum hac de re exortum, non aliter sedari posse visum fuit, nisi quęstore per regium Senatum misso, qui in eius authores seuerissimè de more animaduerteret. Hic, vt plerunque huiusmodi iudices carnifici nam exercere solent, in miseram plebem, terrorem (vt aiunt) incutiendi causa, non modò insolenter, sed crudeliter & inhumanè sæuire cœpit. Comes cùm ad Senatum de eius immanitate & dementia retulisset, nihilque tandem ab his prouideretur, subditorum iacturis consulens, Ferdinandum Calderonum (nam id erat quæstori nomen) Almazano per vim expellit. Senatus Montacutanum, vtpote lęsæ maiestatis reum, & Adrianus Ximenij socius acerbissimè accusandum decreuerunt: diemque illi continuo dicendum. Id Ximenius neutiquam permisit, iureque suo id Montacutanum fecisse dixit, qui toties apud Senatum questus, nihil remedij attulisset. Hoc autem quod de Carauajali & Federici controuersia diximus, Guterrij à Toleto Placentini pręsulis morte diremptum est, nam ea ecclesia Carauajalo per Carolum data, Federicus Seguntinam retinuit. His ad hunc modum sedatis, cùm sub Ferdinando rege, vrbium & oppidorum præfecturæ obscuris hominibus plerunque cõmitterentur, per pauci ex nobilitate qui eas ambirẽt inueniebantur. Quocirca Ximenius in hac quoque

que parte reip. consulens, prisca nostrorum regum consuetudine reuocata, viros ex omni nobilitate selectos, moderãdis prouincijs pręfecit: quorum catalogum non pigebit facere, nam nonnulla eis acciderunt, quę si prætermitterentur, nonnihil series historiæ læderetur. Comiti Lunę Hispalensem regionem tradidit: Fonsalitano Callaicorum fines: Palmario Toletanos: Falcensium marchioni Baęcios in Bætica & Vbetanos: Ioanni Velezio huius fratri Paxaugustanos: quos ad remotissimas Lusitaniæ & Bæticę partes amandasse dicitur, vt longè illos à Nauarris locaret, quorum permulti Alebritensis, non ita pridem pulsi, desyderio nõ vulgari tenebantur: Petro Reginoso Giennenses: Ioanni Zapatę Madritensi Astigitanos: Alcaratios Aluaro Luxano: Villenates Antonio à Corduba: Bernardino Menesio, qui Talabricensium ad Oranum (vt diximus) dux fuit, Murgitanos: Guterio Quixadæ Conchenses: Gaditanos Alphonso Guzmanno: Bernardino Astunigæ Molinenses: Petro Castillo Agredenses: Alphonso Sylię Toletano Trusillanos: Didaco Gomecio Aialę Placentinos: Ioanni Sandio Carauajalo, Cardinalis fratri, Salmanticenses: Bertrano Gueuaræ Madritienses: Pintianis cuius prouinciæ administratę rationem eo tempore præfectus reddebat, Lupum Zapatam, vt inuenio designauit: Abulensibus Bernardum Matam Guadalfajarensem: Legionensibus Gonsalum Ayoram: de quo in Africana expeditione diximus: Santifacundianis, & Carrionensibus Sanctium Brauum: Ioannem Gaitanum Malacitanis. Qui quoniam sine honesta excusatione Ximenij mandatum, & regias tabulas de Gaitano recipiendo contempserunt, palàm interminatus est, se iterum aduersus eos militares cohortes missurum, quæ sine vlla venię spe eorum fines hostiliter diriperent. Palantini tamen & Cantabri, quanuis nobilibus præfectis caruerunt, duos insignes iurisperitos sortiti sunt, Leonem & Callaicum: quorum secundus in examinanda Ferrerij pręfectura, quam Toleti aliquot annos sub Ferdinando tenuit, pręclaram operam (vt diximus) Ximenio commodauit. Lauretanę tetrapoli cùm Rengifum sancti Iacobi commendatarium designasset, hic autem est quem de morte Ferdinandi nuntiũ ad Belgas venisse scripsimus, & plusquã annum, quod tempus ad capessendã prouinciã more maiorum definitum est, non impetrato commeatu, abfuisset, Villarolum iuris item peritia clarum, & rara quadam prudentia pręditum

Universidad de Deusto Biblioteca

ſucceſſorem extemplo dedit: qui cùm iam proximè Lauretum acceſsiſſet, per miniſtros, quos fortè præmiſerat, certior eſt factus, tabulas regias è Belgio veniſſe, quę Rengiſo præfecturam prorogabant: & eius vicario facultatem dabant, vt ſi quis alius præfectus mitteretur, aut eum non ſuſciperet, aut in vincula conijceret. Id iniquo animo Ximenius accepit, atque ea de re apud Carolum, & Belgas proceres multum expoſtulans, indigniſsimè ſecum agi ſcripſit, prorſusque contra factas inter ipſos pactiones: cõuenerat enim vt officia ad exequendam iuſtitiam pertinentia, quę aut annum, aut biennium durabant, Ximenij arbitrio diſtribuerentur. Tum quòd illi tam longè abſentes, parum priuatorum hominum dexteritatem, aut ignauiam cognoſcebant: tum quòd prouinciarum præfecti ni à Ximenio deſignati fuiſſent, parum obſequentes ei futuri erant: quandoquidem & quos ipſe pręfecerat, & quibus magiſtratum abrogare etiam poterat, ſępe imperata facere impudenter negabant. Proinde mirari ſe dicebat, cur ſententiam mutaſſent: timereque maximè, ne ipſis rerum noſtrarum & legum ignaris, à maleuolis & peſsimis fucus factus in ea re fuiſſet. Carolo in memoriam reducebat, quemadmodum non ita pridem per literas priuatas iuſsiſſet, vt eis continuò ſucceſſores daret, qui à regionibus & prouincijs traditis vltra tempus à iure præſcriptum quauis de cauſa abeſſent. Itaque partim eam ob rationem, partim quòd Lauretana tetrapolis per præfectorum abſentiam, vt ſunt mores illorum hominum, graue damnum capere ſolet, Villaroelum ad eos miſiſſe: cuius ea erat experientia, authoritas, & doctrina, vt vel Toletanę pręfecturæ par eſſe poſſet. Si quis Ximenij naturam æſtimauerit, generoſumque illud & contumelię impatiens ingenium in re pręſertim tam manifeſte iniuſta, durum id accidiſſe arbitrabitur: ſed in hoc quoque prudentię ſuę documenta dedit. Sentiebat enim aliter fieri non poſſe, quin in tanta rerum & negotiorum mole, vbi ipſe vicario nomine regnabat, per multa interdum per regem abſentem irritanda forẽt, quę ille grauiter & iuſtè procurauiſſet. Sed eius animũ non mediocriter exacerbauit Burgenſis vrbis pręfectura, quæ ſe inuito & renitente, Belgarum fauore Petro Caſtellæ mandata fuit. Is enim neſcio quas ob cauſas à Ximenio neglectus, cùm nihil vnquã ab eo impetraret, ad Carolũ traiecit, & Belgis aulicis curantibus, Burgẽſis vrbis pręfectus cõſtituitur: & in

Hiſpa-

Hiſpaniam veluti de Ximenio triũphaturus reuerſus, eo inſalutato & inconſulto, prouinciæ curam & moderationem cepit. Multa ab eo in gratiam Inachi Velaſci comeſtabilis affinis ſui, qui ſemper in ea vrbe primarium locũ tenuit, facta ſunt: multa item regio nomini & iuri officientia. Nam inter alia Laræ arcem, quæ regio cuſtodi ad eam prouinciam in officio continendam, per pręfectos regios cõmittitur, pernicioſo conſilio Burgenſi Senatui, cõtra pacta olim cũ maioribus cõuenta, cuſtodiendam & tenendã tradidit: quanuis Pomareda, qui tunc Ximenij iuſſu in eius acta, qui eo magiſtratu abierat inquirebat, vehementer intercederet. Burgenſes eius arcis cuſtodię, parum prudenter Giofredum Condannium Belgã, Philippi. I. regis hoſpitiorum metatorem, qui ius ciuitatis apud eos obtinuerat pręfecerunt, hominem dicacẽ, & Velaſco familiarem & aſsiduum. Hiſce omnibus cõmotus Ximenius, quid Burgis ageretur ad Carolum ſcribit: eumq; per literas hortatur, vt Giofredo homini ad eam rem inepto, eius arcis cuſtodia auferatur. Idem cẽſebat cũ Petro Caſtella pręfecto faciendũ, ſi Galli aut Nauarri bellũ rurſus, vt dicebatur, inſtaurarent. Vtrũque verò eſſe à Carolo prouidendũ, ne ipſe cũ Burgenſibus, aut cum Petro Caſtella in certamẽ deſcenderet. Cùm tamẽ de his rebus cum Didaco Caſtella templi Toletani decano agerẽ, viro grauiſsimo, acerrimiq; iudicij, & qui rerũ noſtrarũ non mediocrem notitiam habet, mirari ſe aiebat, quòd Petrus Caſtellę homo ſimplici & generoſo animo, moribusque prorſus innocentibus, quicquam aduerſus Ximenium tentaſſet: cùm non ita pridem ſub Ferdinãdo rege Philippum Caſtellam Petri fratrem, Didaci decani parentem, à Ferdinando rege neglectũ, vt qui Philippi generi partes ſequutus fuiſſet, Ximenius multos dies benigniſsimè fouerit & aluerit, donec ad Carolum traiecit. Burgenſes verò Ximenij indignationem veriti, ſub pretextu Manzanetum commendandi, quem ex arcanis Ximenij notis Pomaredam nuper appellauimus (ſic enim illum appellare libuit, nomine in latinam linguam inclinante) quò ſecretius ageretur, epiſtolam reuerentię plenã de eo nõ abrogãdo ad Ximeniũ miſerũt, nonnullis interim cõmemoratis, quę ille ad reip. vtilitatẽ facere exorſus, ad finẽ perducere ſi vrbi vltra præfuiſſet ſtudebat: quale eſt, de municipalibus Burgenſium legibus, quę diſperſę iam diu, inſigni reip. nocumento vagabãtur, colligendis & emendãdis: item de tota Burgenſi regione luſtranda, deque multis fundis &

 vectiga-

Universidad de Deusto Biblioteca

vectigalibus,de agrorũ etiam limitibus,in ea per priuatos homines vsurpatis,ad publicos vsus restituẽdis.Nã cũ de eius volũtate,in Manzaneto cõseruando certi essent & securi,nunquã in animum induxerunt,pręfectũ ad eam vrbẽ Ximenio incõsulto è Carolo missum iri. Quod tunc planè insolẽs & insperatũ accidisset:aliôqui ipsi apud Belgas,tam pro debita in Ximeniũ obseruantia,quã pro magna in Mãzanetum caritate,quam ob eius singularem in reip.vtilitate procuranda industriã cõceperant,summè fuerant curaturi.Porrò Giofredus,quid de se Ximenius ad Carolũ scripsisset certior factus, vt erat dicaculus,& scurrili penè licẽtia,Ximenij acta cauillis & calumnijs, atq; amaris dicterijs apud Carolũ,& Belgas traduxit.Multos ad magnos honores Ximenius euexit,quos nõ est operæpretium recẽsere: vnũ tamẽ aut alterum propter eorum celeberrima & clarissima nomina,& blãdissimam fortunę indulgentiam,quibus ad excelsas dignitates obtinendas gradus certè per Ximeniũ est factus,obiter annumerabo.Cũ Dertuensis Episcopus,qui in Aragonia Inquisitoris maximi officio fungebatur,diẽ suum obijsset,ad Carolũ accurata oratione Ximenius scripsit,idq; suo procuratori studiosè curãdum summopere cõmendauit,vt Adrianus Florẽtius imperij socius, Dertuẽsi ecclesiæ,& sanctæ Inquisitionis officio sufficiatur:hominẽ enim esse syncerum & probũ,ab omniq; prorsus auaritia alienũ:externorũ insuper nataliũ causa,ad prouinciam factiosam illis in rebus moderandam perquã accõmodum.Nam se Inquisitionẽ Castellæ,& illo Aragonię tenentibus,omnia ritè & religiosè procuraturũ iri.Dertuẽsem ecclesiã Adrianum obtinuisse certum est,quę aditum illi ad purpureum galerum,& deinde ad summũ Pontificatum aperuit:de Inquisitionis officio dissimulatum est.Cordubensem itidem ecclesiã Episcopo carentẽ Alphonso Mãrico Paxaugustano,reguli Najarensis filio,tradendã curauit:Paxaugustana verò,quã nunc Pacensem vocãt, vt Motæ Burgensi,regio secretario,homini Theologo mãdaretur effecit.Mãricus postea ad Hispalẽsem cõscendit,& Ximenio mortuo Inquisitor maximꝰ fuit.Motę verò Palãtina ecclesia cohonestato, cũ iã prope culmẽ cõstitutus esset,morte præoccupatꝰ,purpureo galero & Toletano põtificatu frui nõ licuit.Morte instãte orationẽ grauitatis,& sãctimonię plenã ad suos familiares habuisse fertur:in qua post quã de fallaci hominũ spe,de rerũ mortaliũ incõstantia disseruisset, binas literas ex scriniolo quod ad manũ habebat deprõpsit, alteras

summi

summi Pont.galerum offerentis,alteras Caroli iam tum Cęsaris nomen adepti,quibus vt eius salutem diuę virgini Deiparę, quę Toleti pietate maxima colitur,commendaret hortabatur:& vt ipse etiã vicissim firmus & incolumis,illius ecclesiæ moderãdæ curã susciperet: quæ omnia(inquit)morte impediri videtis.Sed necessitati,aut diuinæ potiùs volũtati parendũ est,quæ hominibus Christianis quod vtilius ad salutem æternam est,proculdubio tribuit.Quare ego me diuino arbitrio libentissimè cõmitto,& vos etiã quanquã multũ perire vestris commodis sentiatis,debetis summi Dei decretũ patienter ferre,& omnes vitę vestræ rationes,illi vt patri indulgẽtissimo permittere.Sed illud memorabile est,vt prudẽtissimos etiã homines dormitare nõnunquã intelligamus. Fuerat Mota regi Philippo Caroli patri à concionibus,post cuius mortẽ cũ parũ Ferdinãdo catholico esset gratus ad Belgas traiecit,vt & cęteri Philippi ministri, sed fasciculis literarũ quos à nostris regulis susceperat oneratus:nã illi in Ferdinãdi odiũ,Maximilianũ imperatorẽ ad Hispaniæ gubernationẽ euocãdum curabãt.De ea re Ferdinãdus certior factus,cũ Bernardino comestabili genere suo re cõmunicata,vt magnanimũ regem decebat, Motę profectionẽ neutiquã impediuit,satis enim habuit hominis conatũ eludere.Nã Bernardinus Burgos profectus, vbi itineri necessaria Motã cõuasare intellexit,fasciculos quos dixi literarũ,per sedulos ministros clam substrahẽdos curauit:quod facilè vir ea in vrbe potẽtissimus efficere potuit.Venit ad Belgas Mota,nihil omnino de interceptis literis suspicatus.Eius aduẽtus,qui iã regulorũ literis innotuerat,cupidè ab omnibus expectabatur,quos ipse iam pręsens alacriores erectioresq; reddiderat,omnia regulorũ nomine pollicẽdo:in cuius rei fidẽ,cunctorũ ferme literas se adferre iactabat.Sed apertis vasis,vbi sublatas esse vidit,Bernardini astu & calliditate id factũ fuisse, facilè Carolo,& Belgis qui Ferdinãdi diligentiã nouerãt,vir aliôqui facũdus persuasit.Cœperat Mota,vt homo parũ cautus negligi: sed paulatim virtutis suę multis in rebus specimẽ proferẽs,Caroli & Belgarũ approbationẽ meruit: eamq; gratiã tandẽ cõsecutus est,quæ in sũmo(vt dixi)fastigio illũ collocauerat.Talis Ximenius in exornãdis nobilibus fuit,talis in viris præclaris adaugẽdis:quos nõ solum magistratibus,beneficijs,sacerdotijs,alijsq; multiplicibus emolumẽtis prosecutus est,sed etiã honorificos titulos,aut ipse per se dedit, aut per Carolum dandos curauit.Ioannem Paciecum Pacieci Ascalonij fi-

Universidad de Deusto Biblioteca

lium,comitem titulo ſancti Stephani,patre petente,ipſe nominauit. Guilielmus Peraza ex Aialęa familia, Gomeræ comes (quę vna eſt ex inſulis fortunatis) eſſe cupiebat,vt per Carolum appellaretur Ximenius effecit. Nam vt ex eius epiſtolis conſtat, Guilielmus pręter ſuam dignitatem,& claritatem generis,Ximenij beneuolentiā priuatis officijs,regis autem multis obſequijs abunde quidem demeruerat:quare ſi illo titulo cohoneſtaretur,gratum ſibi magnopere & voluptati futurum ait:præſertim cùm ex hac re nihil regis cōmodis deperiret,imo verò eius maieſtas & fiſcus magis dilataretur:prorſusq; id fieret,quod in prouerbij ſpeciem à noſtris hominibus iactatur,vt concubina in matrimonium illi collocaretur. Quòd huic comitis titulum per regem conferri voluerit,Pacieci autem filio per ſe contulerit,id opinor in cauſa fuit:quòd de Guilielmi titulo prius eſt actū, & ad ſuam modeſtiam pertinere putauit, vt per regem id faciendū curaret,ne ambitione aliqua eam quoque facultatem rege inconſulto ſibi aſſumere,videretur. Laudauit eius prudētiam Carolus, quod facultate conceſſa vti noluiſſet,& vt poſthac audaciùs ſe gereret imperauit. Quare in Pacieco condecorando, anno ſequenti ſuo munere functus eſt: vt Carauajalus in annalibus ſcribit.

LIBER SEPTIMVS.

ANNVS decimus ſextus rebus ſupra narratis componendis moderandisq; effluxit: decimus ſeptimus qui Ximenio fatalis fuit, & quo Carolus in Hiſpaniam nauigauit,varios regulorum motus,difficiles exitus,populares deniq; tumultus habuit. Hi quoniam anno proximo iam cœperant,& ferme vſque ad Caroli aduentum durarunt, in principio huius voluminis narrabūtur:vt poſtea minus impedito ſermone cōtentiones cum regulis habitas edifferamus. Poſtquam Ferdinādus catholicus obijt,Carolus per literas,& frequentes nūcios pollicitus eſt, ſe vere ineunte(nam ſub extremum Ianuarium Ferdinādus obierat) in Hiſpaniam vela facturum,quod omnibus ciuitatibus mirum in modum gratum fuiſſet. Veruntamen cùm eius aduentus per totum eūm annum dilatus eſſet,multaq; interim accidiſſent,in quibus Ximenij gubernatio non ſatis ęqua quibuſdam videbatur, ijs nempe, qui rege abſente res nouas moliri decreuerant, vnde eorū patrimonia augerentur:Belgæ rerū noſtrarū imperiti, & auri Hiſpani auidi, multa ſacerdotia & officia,tum publica,tum priuata,externis hominibus,& noſtratibus nōnullis,ſed parum idoneis,vt Carolus tribuere effecerunt. Exportabatur interea ingens pecuniæ vis ex Hiſpania nemine prohibente:cœperunt populi rem præſentire,& in fraudem reip. fieri clamitabant. Acceſſerunt reguli nonnulli Ximenio infeſti, qui vulgus incenderent,& vt rex quamprimum veniret flagitarent: & vt Belgis relictis,deuotam Hiſpaniam viſeret adhortarentur,quę illi potentię neruos,regięq; adeò maieſtatis ſplendorem, vna potiſsimùm,inter ampliſsimos quos teneret principatus,daret. Cùm autē annum elapſum eſſe, & adhuc etiam differri regis aduentum animaduerterent,varijque rumores diſperſi ſunt in multò longius ſpatium protrahi affirmantes. Grauiùs itaque fremere,& vrgentiùs inſtare:nam Galli quibus Carolum in Hiſpaniam venire moleſtum & graue erat,eum natalis ſoli amore captum Hiſpaniā auerſari iactauerant. Quare rationem accommodam excogitaſſe,qua ſui cupidiſſimis populis fucum faceret,ſibiq; rurſus moram ampliorem necte-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ret,qui duram & molestam populorum moderationem,suo ingenio & iuuenili ætati parum aptam fugiebat.Ergo decreuisse mentiebantur,simulatque clasis Hispana in Belgium venisset,omnibus in speciem nauigaturi apparatis,incunctanter nauim conscendere, & iubere vt anchorę soluantur:sed statim nauseam vehementem simulaturum,cuius prętextu in Morinos ad portum relictum esset illi redeundum. Alij verò Gallum in animum induxisse aiebant,omnibus modis eius in Hispaniam aduentum impedire:proinde Belgas aulicos parum honestis conditionibus apud Gallum curare , vt per Galliam iter Carolo concedatur.Illud Ximenius falsum fuisse affirmabat:hoc verò quod verisimilius videbatur,si ipse audiretur,nequaquam esse faciendum censebat. Gallos enim semper nobis infidos fuisse:quare ne in custodia apud Gallum retineretur,donec Neapolim & Nauarram traderet,vereri se dicebat.Rem esse inconsyderātiæ plenam,& reipub.vehementer perniciosam per Galliam iter facere,in tam verisimili perfidiæ suspicione,nisi rex Galliæ sibi obses interea daretur. Nōnihil hi motus compresi sunt,Laxai Belgę per id tempus aduentu.Is enim quòd & Philippo regi amicus fuerat,& Carolo filio tunc à Cubiculo esset,peraccommodus visus est,ob acutum etiam & sagax ingenium,qui Ximenio & Adriano , tertius ad remp.moderandam accederet.Reguli qui in Ximenij inuidiā multa scripserant:eius potentiam in triumuiratum diuisam , infractam & imminutam fore sperabant.Nam & Adrianus eorum suasu,& instigatione ad Belgas scripserat,se imparem esse ad Ximenio resistēdum,quòd vir superbus &consortis impatiens,sua voluntate omnia moderaretur.Populi qui rebus nouis statim capiuntur,aliquid quod suis postulātis satisfaceret attulisse Laxaum rati , tandiu interquieuerunt,donec alterum Adriano similem (hoc est desidiosum, & remissum hominem)temporis tantum eximendi causa missum esse,intellexisse se dicerent.Reguli tanquam id in Ximenij contumeliam factum esset,palàm exultare:omni gratulatione Laxaum excipere: omni cultu & reuerentia,non tam ex animo,quàm Ximenij æmulatione,prosequi.Ximenius verò fortitudine animi,& perpetua vitæ constantia subnixus,quanuis in suæ authoritatis fraudem Laxaū venisse apertè intelligebat,adeo id dissimulanter tulit,vt non secus ac si rex aduenisset,omnes regij comitatus ordines Madritum aduentāti prodire obuiam iusserit.Is enim primus Caroli nomine ad nos venie-

niebat,post regis titulum assumptum.Reguli Ximenij imperio nō expectato,clientibus quisque suis stipatus,in occursum certatim processerunt. Adrianum nuntij Romani(duo enim tunc aderant)Burgēsis item Antistes,& Antonius Fonseca frater comitabātur. Maximi etiam pręfecti militarium religionum commendatarijs lōgo agmine pręeuntibus,pręfectus vrbis,& ordo decurionum nobilitate municipali adiūcta, Aragonij legati,& postremo amplissimus regij Senatus ordo,cui sanctę Inquisitionis,& regij census, ac priuatarum rerū præsides,maiestatis ergo se adiunxerunt.Simul etiam processit Episcopus Abulensis cum Ximenij familia.Huic se comites in Ximenij gratiam addiderunt, Ascalonius Villenatum marchio,Gironius Vrennatum comes,marchiones Comarensis,& Aquilarius, & Beltranus Cueua, Alburquercij ducis maior natu filius,comites Oropesanus,& Fernandus Andrada , & Bernardinus Clunienſis , & Aiala Fonsalitanus,& quem Ximenius Stephani titulo nuper insignierat, Ioannes Paciecus Ascalonij filius:prętereа nobiles alij viri permulti, quos Gonsalus Ciaconius ducebat:nam marchio Plegianus, & Palmę comes,suis vterque gentilibus cinctus Abulensi adhæsissent,nisi tunc populari fluxionis morbo,quem rheumatismum Græci vocāt, laborassent.Magna mentio huius morbi inter illius tēporis scriptores est:neque enim Hispaniam solùm,sed Belgas etiam & Gallos, atque ferme vniuersam Europam,Epidemiæ cuiusdam instar, inuaserat:quēadmodū & nostra ętate accidisse vidimus Anno.M.D.LVII. Nemo enim adeo salubri victu,aut selecta dieta est vsus, qui non vi fluxionum febriculis & rigoribus correptus,pestilentem ęgritudinē senserit.Vidique ego cœnobia & collegia cunctis ferme sodalibus decumbentibus,languorem illum importunum sensisse. Nostrates vt cauillis gaudent,quòd ille morbus Ximenij tempore priores Belgas inuasisset,hoc vnum malorum defuisse dicebant,quod ad nos Belgæ, cum cæteris miserijs transmitterent,lentam rerum moderationem & ignauos qui mittebantur pręfectos subnotantes. Igitur hi omnes obuiam processerunt:solus Ximenius personę quam gerebat ratione habita,domi suæ mansit,& ad secundas cubiculi fores progressus venientem hospitem excepit. Et quod rarò solebat,ea nocte opiparè & apparatè illum accepit,& omni sermonis comitate est prosecutus.Sed quoniam palatij conclauia potiora Ferdinando Caroli fratri,Germanæ item reginæ,& Ximenio cesserant,donec locus hospi-

Universidad de Deusto Biblioteca

tio accõmodus in eo appararetur, Abulensis in Laxai gratiam à cubiculo suo migrauit. Reguli interea ad Laxaum vẽtitare, & obliquè vt Ximenio se in omnibus opponeret instare: illumq; velut in hostẽ instruere & armare. Sed solitũ tenorẽ in moderanda rep. Ximenius seruãs, hominis ingenio perspecto, qui ad risus & iocos pronior erat, quàm ad res cum grauitate tractandas, quod à Ximenij moribus in primis alienissimũ erat, rarò illũ ad negotia vocabat. Quòd si quando vt id faceret necessitas vrgeret, Adriano primas tribuebat. Accidit vt cõplures tabulę regię ad diuersos reip. vsus expediẽdæ fuerint, quã occasionem Adrianus & Laxaus iam tunc captãtes, regulis fortè submonẽtibus, ad se primò tabulas deferẽdas curarũt, & priores partes chirographo suo occupãtes, nouissimũ locũ Ximenij chirographo reliquerũt. Quæ cùm ad Ximeniũ delatæ essent, ambitione Belgarum animaduersa, vanã illorum arrogantiã cõtempsit: & accersito scribæ, vt tabulę omnes quę ad eum modum signatæ erãt, rumperentur iussit: & totidem suo tantũ chirographo notatę scriberentur, & ad negotia quę gerenda erant mitterentur. Hunc morem ad regis vsq; aduẽtum Ximeniũ tenuisse certum est: cùm ante hoc factum ab Adriano simul signari permitteret. Nihil Belgę repugnare sunt ausi, sed illis tanquam quartæ personæ scenę seruientibus, solus Ximenius imperium exercebat. Magis ac magis ab eo facto indignatio ęmulorum ad Ximenium inuidia onerandum creuit: Belgæq; ipsi quanuis de eius integritate certi, nescio quo pacto subuereri cœperũt, ne ille tandẽ potentia abutens, sibi & Carolo negotium facesseret. Ideo Armastophũ virũ grauiorẽ, & cubiculo regio præpositũ, certis de rebus legatum, pari cum alijs poiestate mittẽdum curãt. Sed quoniã Ximenius, quẽadmodum de Tiresia ab Homero proditur, solus inter illos sapiebat, neq; tertij legati præsentia est fractus, aut segnior in rebus gerẽdis fuit, aut quicquã de cõstantia sua remisit: sed ipse solus quidquid è reip. vtilitate faciendũ videbatur, parum illorum sentẽtijs expectatis, singulari præstantia exequebatur, Belgis quoq; qui apud Carolum erãt nihil cõtra imperare tentãtibus. Quę res etsi non mediocriter authoritatem Ximenio auxit, causa tamen implacabilis odij fuit, quod Ximenio mortem maturasse cõstantissimè postea est creditum. Igitur Belgis Ximenij vires per id tempus extenuare cupientibus, de varijs hominibus in Hispaniam cum potestate mittendis cœptum est agi. Nonnulli Maximilianum Imperatorem, alij Lu

douicum

douicum comitem Palatinum, Carolo propinquitate coniunctum, multi Seluagium magnum cancellarium, huic rei idoneos & necessarios designabant: nec deerant qui etiam Ferdinandum puerum ei muneri pręficiendum admonerent. At Maximilianus imperij & Italiæ rebus impeditus erat: Ferdinandus verò non modò propter ætatem, sed ob fraterni gradus cognationem parum commodus esse iudicabatur. Nam à Ximenio aliàs scriptum meminerant, Ferdinãdi custodiam non esse negligendã: cuius prętextu reguli, si res nouę cordi essent, magnos tumultus excitare possent. Nõnullis placebat, vt Palatinus quasi custos Ferdinãdi pueritiæ daretur, legati potestate in Hispaniã veniret. Sed cõplures in Seluagium inclinabant. Hæc cùm essent Ximenio nuntiata, ne vllũ sibi socium mittant, qui cũ sit perpetuò rixandum, per literas grauissimis rationibus plenas, continuò egit. Quòd si aliud animo sederet, de successore mittendo cogitarent, quem moderandę Hispanię præficerent: se enim in diœcesim suam concessurum. Palatinum Ferdinando custodem venire sibi non displicere, sæpe enim cogitasse de magistris eius amouendis, totaque adeo familia immutanda. Se quidem hactenus pro regiæ maiestatis obseruantia, & quam reipub. debebat caritate, in ea moderãda & regenda integritatem omnem præstitisse: nunc autem cùm propter regis ætatem, & quorundam auaritiam, magis ac magis conatus suos & voluntatem impediri videret, vereri se, ne magna aliqua calamitas ex popularibus seditionibus aliud agentes opprimat. Quare Toletum se recipere decreuisse: vnde velut è portu fœdam tẽpestatem iam imminentem, & aliena pericula spectare posset. Hęc autem mala vitari vnica posse ratione, si rege aduentum in Hispaniam differente, omnia munera, quæ ad iustitiam conseruandam pertinerent, sine vlla exceptione sibi vni prouidenda concederentur. Sic enim futurum esse, vt iudices tribunalium regiorum, & eorum præsides, capitales regij comitatus quatuoruiri, & vrbium pręfecti, census etiam regij procuratores, ex quorum fide & integritate regię potentię nerui omnino pendẽrent, militaria item præsidia, eorumque duces & limitaneę pręfecturę, arcanorũ negotiorum & secretioris cõsilij comites, neq; ad Belgarũ quenquã, neq; ad ipsum quidẽ Carolũ donec adolesceret, sed ad se vnũ pertinerẽt. Pręfecturę verò militariũ ordinum, & Episcoporũ designationes, regięq; liberalitates & largitiones, Caroli arbitrio relinquerentur. Nam

se

Universidad de Deusto Biblioteca

se id vnum curaturum, vt reip. dignitas nõ imminuatur, & vt regius census terrori hostibus sit, & ius suum vnicuique tribuatur. Quę omnia laboris & solicitudinis sunt plena, & Belgis propter rerum nostrarum inscitiam, & Carolo etiam propter ętatem, minus conuenirent. Belgę tam libero, aut potiùs audaci, vt illis videbatur, Ximenij sermone conterriti, hominis integritatem & potentiam cõsyderantes, qui vnus inter Hispanos si qui motus orirentur reprimere poterat, dissimulato quem ex eius dictis cõceperant dolore, aditũ enim ad remp. illo viuente interclusum sibi videbant, nihil amplius de alio legato mittendo cõsultarunt, sed de Carolo diutiùs detinẽdo, & Ximenio qua possint arte placando: sic enim vellet nollet, argẽto Hispania exhaurienda erat. Quòd si Carolus tandem venire cõgeretur, de Ximenio tollendo deliberasse, peruulgatum fuit. Parum callido, & prudenti consilio hæc tam apertè ad Belgas scripsisse Ximenius creditur. Nam certum erat, homines externos, & Hispanę pecunię percupidos, neminem apud regem esse toleraturos, qui se tanta animi constantia, authoritate, & potentia illorum cupiditatibus opponeret. Igitur Belgæ tempori seruientes, Ximenij sententiam impensè collaudare: omnem concordiam & consensum polliceri: hortari etiam vt cuncta suo arbitratu regeret: quem solum reip. salutarem esse aiebant. Carolum nauigationem maturaturum: idcirco daret operam vt populi tantisper conquiescerent, donec ille rebus Belgicis compositis, & idoneam tempestatem nactus, se Oceano committeret: ipse classem instructam primo quoque tempore mitteret, ne quid optatam profectionem moraretur. Gratias illis Ximenius egit, & ex mutua concordia beatissimum reipub. statum proculdubio futurum affirmat: vt ex eius epistolis satis constat. Maximilianus Imperator, quo inconsulto nihil tunc per Belgas agebatur, nepotis dignitati consulens, & nauigandi dilationem ægrè ferens, Bruxellas venit: & Viluordię proximo Bruxellis oppido mora aliquot dierum facta, crebra varijs de rebus cum Carolo colloquia habuit: sed potissimũ vt Martyr scribit, de aduentu in Hispaniã maturando. Nã principũ res, vt ingẽtes & excelsas, ita fortunę ludibrio magis esse expositas: proinde occasionem cõtinuò arriperet, ne locũ Hispanis cogitãdi daret de reip. statu mutando: nã populos iam tumultuari intellexisse se aiebat: quos perbellè pullo equino sapiẽtes cõparasse audiuerat, qui œstro stimulãte, hos & illos calcib' impetit, neq; ab

ab equa parente temperat. Ximenius cui iam omnia quę apud Belgas fiebant suspecta erant, existimans Maximilianũ in ea quoq; sententia esse, vt Carolus quem successorem imperio Romano destinabat, profectionẽ in Hispaniam differret: aut fortasse colloquia illa haberi, vt consilijs cõmunicatis, tandẽ Maximilianus in Hispaniã gubernator veniret: Chebrium ea colloquia vitãda esse grauissimis rationibus admonuit, exemplis etiam in medium adductis de cõgressibus magnorum principum fugiẽdis. Porrò Hispanię populi dum vanis promissis de regis aduentu se deludi vident, ad coitiones faciẽdas redierunt. Neq; enim iam dissimulatis technis, sed palàm officia & magistratus apud aulicos Belgas venire vociferabãtur. Itẽ amplissimã pecuniam summa diligẽtia à Ximenio cõfectam, quã vt ad regis aduentum necessariã postulauerant, ad Carolũ demum traiectã fuisse, sed in alios vsus insumi affirmabant. Porrò Seluagium, & Chebrium per Zuquetum iurisperitum, & per quendam supremi Senatus duodecimuirum, regni præfecturas, supremi Senatus cooptationes, cubiculi intimi ministeria & munera, ita imprudenter & palàm licitasse, vt horum officiorum possessoribus, quę quondam nobilitati ob merita, & antiqua in reges nostros obsequia offerebantur, turpissimam conditionem de pecunia paciscenda obtulerint, qua numerata nihil de officijs auferendis esse timendum. His artibus innumerabilem pecuniæ vim per Seluagium & Chebrium coactam fuisse, vulgò ferebatur. Idcirco Burgenses Legionensibus & Pintianis conuocatis, totaque adeo Campensi regione, de Belgarum cupiditate, & insolentia coërcenda consilia ceperunt. Quibusdam rex hortandus videbatur vt in Hispaniam illico veniret, aut si id minus facere eo tempore posset, Belgas omnes è cubiculo moueret, quorũ artibus, corruptelæ quas diximus exercebantur: & homines Hispanos quorũ probitas perspecta esset, pro illis substitueret. Alij difficile id & graue existimãtes, & metuẽtes ne eadẽ cum Belgis labe nostri etiã inficerentur, publico populorum decreto statuendũ esse arbitrabãtur, ne regi vllo pacto liceret, magistratum, pręfecturã, sacerdotiũ, cuiusuis denique generis officiũ aut munus, externo homini cõcedere: & ne crebrę illę pecuniarum traiectiones, quę ferme in singulos mẽses fiebãt, vllã deinceps ob causam exercerẽtur. Item ne consueta & stata vectigalia, quæ ad domesticos regis vsus necessaria esse iudicabantur, Ximenius inconsultis ciuitatibus mitteret: aliaque id genus

Universidad de Deusto
Biblioteca

genus permulta,quæ quanuis ex reipub.commodis eo tempore esse
videbantur,tamen regię authoritati officiebant:& fenestra quædam
formidabilis aperiebatur,qua caput populi sensim ostentantes,pau-
lò post omnia pudoris repagula essent frõte obfirmata perfracturi:
quod non sine miserabili & ingenti reip.damno,nondum toto trien
nio elapso post Ximenij mortem,fecisse nouimus.Multum in re ma
ximi momenti inter ciuitates variatum fuit.Burgenses vt ad viuum
omnia resecarentur cõtendebant.Pintiani & Zamorani si nonnulla
in melius mutarentur, contenti erant, & pleraq; Ximenij arbitrio
permittebant.Postquam de rebus emendandis conuenit, plebiscita
quædam iureiurando cõfirmarunt,interueniente Petro Castella, vr
bis Burgensis præfecto.Sed Federicus Zamoranus,qui in præfectu-
ra Legionensi Aioræ successit,multò prestantiùs se gessit, vt Xime-
nius in epistolis testatur. Nam illius vrbis decurionibus flagitãtibus,
vt plebiscitis sese iureiurando obstringeret,animosè restitit,& perui
cit.Legatos deinde ad Ximenium & Senatum regium miserũt, qui
apud eos causam reip.diuexatę agerent,& eorum sententiam & pro
positum,ni rex quamprimum veniret,declararent:& simul ab eis pe
terent aliquem in locum conueniendi potestatem, vbi singularium
vrbiũ legati de reip.necessitatibus tractarent.Iusta esse populorũ vo
ta,& Ximenius & Senatus agnoscunt:videbatur enim reipub.vasti-
tas imminere,ni ea omnia quę illi decreuerant,rege aduentum dif-
ferente,efficerentur:tamen motus populares verebantur. Et quan-
quam apertè repugnare iustis postulatis non sunt ausi,tamen vt con
uentus tantisper differrent, donec de regis aduentu meritò despera
re possent, rogant: nam propediem ad futurum fama erat. Interea
Ximenius & Senatus literas ad Carolũ de hisce omnibus copiosas
dederunt: quas quoniam grauissimę,& pietatis in regem plenę sunt,
latinas vtcunque facere visum fuit. Ximenius gubernator, & Se-
natus regius Carolo regi salutem. Pro antiqua & fideli obseruan-
tia,qua erga maiores,parentesque tuos, & nunc demum erga tei-
psum obnoxij sumus:vt fidos ministros,optimos ciues,& cõsiliarios
incorruptos decet,tuis reipubliceq; commodis,ad quam suscipien-
dam,tot regni hæredibus paruo tẽporis interuallo extinctis, Dei nu
tu vocatus es,necessariò prospicere cogimur:teq; ipsum cõtinuò ad-
monere ea, quæ reipub.conuenire visa sunt:ita enim nos culpa va-
cabimus, & crimine neglectę reipubli. aut potiùs proditæ, liberi
erimus.

erimus.Magni principes,& suspiciendi reges,tandiu à Deo potesta
tem,&ab hominibus reuerentiam consequi merentur,quãdiu iusto
& recto imperio populos eorum fidei commissos regunt.Id autem
ab ipsis fieri,nullo maiori argumento intelligi potest,quã si ad tantã
molem sustinendam,adiutores & socios quã spectatissimos & ido-
neos elegerint.Neq; enim vnus aliquis quantũlibet præclaris doti-
bus,& virtutibus excelluerit,rebus tã diuersis obeundis par esse põt.
Nã nihil aliud priscos illos centimanos esse existimamus, nisi reges
consyderatos & sapiẽtes,qui per egregios & probos ministros,ęquè
ac per seipsos regna sibi commissa tuerentur.Sed fabulosa ista relin
quamus,maiorum tuorum res gestas,cæteris exemplis prætermis-
sis intueamur.Enricus tertius atauus tuus,qui propter assiduas in ęta
te florenti imbecillitates, valetudinarius cognominatus est, cùm se
viribus corporis destitutum,regio muneri imparem videret,prudẽ
tissimo consilio vsus,viros literis,& moribus,& religione præstan-
tes ad se accersitos,magno semper in pretio habuit : eisque comiti-
bus & consiliorum participibus adeo rempub.pacatam & optimè
institutam tenuit,vt magno eius merito,successoribus optimi prin-
cipis exemplum sit habitus.Contra Enrico quarto tuo maiori auũ
culo,omnia dura & infausta contigerunt,quoniam eos rerum geren
darum suasores per summam socordiam apud se retinuit,qui nullo
hominum pudore,nulla Dei immortalis reuerentia,omnia sursum
ac deorsum miscentes, grauissima mala reipub. intulerunt . Sed
quid in alijs commemorandis immoramur? an non aui tui catho
lici reges,satis magno documento esse possunt?quibus id vnum an
te omnia curæ fuit,muneribus publicis viros egregios,quicunq; tan
dem ij essent,præficere?Vnde proprijs ministris,& aulę familiaribus
prætermissis,qui suo veluti iure hæc importunè solent extorquere,
ignotos homines,nec sibi vnquã visos,quòd essent meritis suis cõmẽ
dati,& publica opinione celebres,præter omnium expectationẽ ad
res magnas vocarũt.Nemo illis regnãtibus ambitus est conuictus:
nemo lege Iulia de repetundis cõdẽnatus:quod proh dolor,miserri
mo hoc tẽpore frequens esse,magnopere dolemus.Fuit etiã illorũ re
gum hoc præclarũ institutũ,rarò cuiquã summa cõcedere,nisi per in
feriores gradus deuolutus,specimẽ suę probitatis & virtutis exhibuis
set:vt pro cuiusq; facultate & ingenio,hæc aut illa munera deferren-
tur.Qua nimirum ratione factum est,vt omnia suis numeris qua-

Universidad de Deusto Biblioteca

drantia,concentum quendam in rep.constituerent,qualem nunquã ad id tempus videramus.His igitur artibus & consilijs,vt de cæteris taceamus,remp.aliorum principum negligentia collapsam,& sicarijs hominibus,atq; tyrannicis violentijs vehementer afflictam suscipientes,tibi hisce difficultatibus liberam, tradiderunt. Proinde cũ Deus opt.max. sub cuius tutela reges estis,id tibi ingeniũ,& iudicium dederit,eam prudentiam in iuuenilibus annis largitus sit, ijs denique singularibus virtutibus maiestatem tuam exornauerit,quales homini principi necessariæ sunt,æquum est vt quæ diximus animaduertas,& quantum ponderis habeant consyderes. Inuenies enim grauissimam cladem,& ingentem perniciem si hæc contempseris,reip.imminere:contra si hæc egeris,maximam quandam fœlicitatem promitti.Res vniuersæ à principijs suis pendent, & errores in principio solent minimo labore emendari, vt facilè in viam rectam redire possimus.Serò remedium parari à sapientibus dicitur,dum mala vires diutinas sumpserunt. Quare tuis pedibus Hispania vniuersa supplex prouoluta,vt eius commodis prospicias vt hominum corruptorum cupiditates reprimas,vt gliscentia vitia cohibeas,vt tuorum regnorum tranquillitati consulas,te votis omnibus & precibus, orat & obtestatur.Id autem facilè fiet,si Hispaniam amplissimam & nobilissimam regionem,suorumq; principũ obsequio deuotissimam,secundum leges patrias& antiqua maiorum instituta gubernari,& viuere concesseris.Vale.Carolus literis senatus receptis,vt erat mira præditus indole,quanquam duodeuigesimum annum agebat,animaduertit sibi fideliter ab Hispanis consuli. Sed Belgæ inter quos ab infantia ad id ætatis vixerat,facilè in suam sententiam pertraxerunt. Nam egregiè dissimulãtes,& discessum pro virili protrahentes,solitas artes tanta impudentia,nõ solũ in Belgio, sed in Hispania etiã post Caroli aduentum palã exercuerunt,vt Seluagius magnus cancellarius intra quadrimestre tãtũmodo spatium plusquã quingẽta aureorum millia in Belgiũ miserit.Quòd si Chebrij,&aliorum cõpilationes ad calculũ reuocarẽtur,infinita pecuniarũ vis asportata ex Hispania inueniretur.Huiusmodi rapinas causam seditionibus popularibus postea dedisse,quæ post Caroli ad Belgas reditũ secutę sunt,proculdubio cõstat:sapiẽter enim ab antiquis legũ latoribus dictũ est,post munerũ publicorũ vẽditiones,illico bella intestina,& tumult' exoriri.Igitur populi cũ nihil certi de Caroli aduen-

aduentu audirent,& magis Hispaniam in dies exhauriri,ad propositũ suum cõficiendũ redeunt.Ximenij & senatus fidẽ implorãt,conuẽtus faciendi facultatẽ petunt,quibus tantũmodo de rege accersendo,de legũ nostrarum authoritate conseruanda,de Belgarũ aulicorũ auaritia,de petitionibus officiorum per summũ ambitũ,reprimendis ageretur.Alioqui,si ipsi quoq; in hoc dissimularent,se pro debita in remp.& regiã maiestatẽ caritate,& obseruantia,non expectato senatus iussu,legatos superea re missuros,& ne quid resp. detrimẽti caperet curaturos. Non potuit Ximenius huiusmodi ciuitatum petitionibus cõtradicere.Itaq; in mensem Septẽbrem cõuentus populares indicti sunt,eosq; ad anni extremum consultò reiecit,q; interea Carolũ venturum esse crederet.Ea concessione mirũ in modum ciuitates recreatæ,libenter,quanuis id sub Ianuariũ agebatur,in autũnum vsq; quieuerunt.Ab eo die frequentes nuncios,& crebros literarum fasciculos,Ximenius ad Carolum,& ad aulicos Belgas mittere:aduentum in Hispaniã properarent admonere:non esse negligendũ quod ciuitates tentabãt clamitare:nulla enim re magis populos insolescere,& reuerentiã omnẽ exhibere,quã cũ libertatẽ loquendi nacti sunt,& pro libidine suas vulgo iactãt querimonias:quas iustissimas esse facilè perditis hominibus,quorũ magna est copia,persuadẽt:qui eo magis timẽdi videbãtur,q; non sine fauore quorundã regulorũ,ad id agitandũ sunt cõcitati.Quòd si nauigatio in Hispaniã protrahẽda erat,consultũ fore videbatur,vt cõuentus populares eo in oppido haberẽtur,vbi ipse & regius senatus aderant.Sic enim futurũ,vt præsentia potẽtiæ regiæ cohibiti,minus essent arrogãtes, & magis seditiosis vocibus parcerent.His demũ atq; alijs adhortationibus Ximeni' apud Carolũ effecit,vt sub extremũ eius anni Autumnũ,classe quã ipse instructissimã misit,cũ Belgis aulicis in Hispaniã traiecerit.Varia interim de Ximenij voluntate apud Carolũ,& in Hispania ab eius æmulis iactabãtur.Nõnulli ob id motus populorum sedulò ab eo cõprimi aiebant,q; imperij splendore,& regnãdi cupiditate captus,omnẽ occasionẽ studiosè tolleret,quæ Carolũ cogere posset,vt in Hispaniã citiùs quã decreuerat veniret. Hanc enim ob causam pecuniã tam ingentẽ ad Belgas mittere asseuerabant,ne eius desyderio nauigationẽ maturaret.Quãobrẽ cũ Chebrio cõiurasse affirmabãt,& ab vtroq; scenę inseruiri.Nec defuerũt qui famosis libellis Ximeniũ,Chebrium,& Frãciscum Ruizium,totius veluti

 fabu-

Universidad de Deusto Biblioteca

fabulæ Dauum,ſcommatibus & cõuitijs proſcinderẽt. Alij verò po
pularẽ eſſe Ximeniũ aiebant,in inuidiam nobilitatis,cui iam diu in-
fenſus erat. Sed affictas huiuſmodi calumnias ſemper neglexit: pla-
nũ enim apud Carolũ fecerat,quò neruos & conatus ſuos intẽderet.
Quare ſe conuentibus popularibus præfuturum,apertè in epiſtolis
profitetur. Quòd ſi ſecus tali tẽpore & occaſione faceret,quid aliud
eſſet,quã domeſticis prædonibus diripiendã rẽp. deſerere? De libel
lis verò vulgò editis,in gratiam quidem Belgarum,quorum animi a
criter erant cõmoti,inquiri iuſſit,ſed nõ admodũ diligenter. Viri e-
nim fortes,ſuæ virtutis & præſtantię conſcij,contẽnere ſolent huiuſ
modi latratus canũ minutorũ:& id ſolatium inferioribus relinquũt,
qui dicterijs dolorem vlciſcuntur. Alphõſus Caſtella Madriti pręfe-
ctus,famoſa illa carmina ad Adrianũ,& Laxaum detulerat:qui den
tatis illis dictis minus aſſueti,indigniſsimè tulerunt ſe vulgo deridẽ
dos propinari. Quocirca minus admirationis habet,ſi Adrianus po
ſtea põt.max.factus,Paſquini & Marphodij ſtatuas,vbi famoſi & ri
diculi libelli in vrbe affigebantur,in Tyberim proijci ſtudioſè cura-
uerit. Cui Sueſſanus Caroli legatus peropportuno ſermone dixiſſe
fertur. Si in flumẽ proijcerẽtur,ranas illiuſmodi mala carmina eſſe
cantaturas. Quo dicto ſic põtificis conatus repreſsit,vt ampliùs ea de
re actũ non ſit. Toletum per hæc tẽpora Ximenius venit:nã de Caro
li aduentu iã certus,ad Cãpenſem prouinciã cum regio ſenatu trãſi
re cõſtituerat. Quare eã vrbẽ,quæ ſuę diœceſis caput eſt,priusquã di
ſcederet,inuiſere decreuit:tũ vt rebus ſacris cõſuleret,& cœnobiorũ
muliebriũ ædificia,quę tã Toleti,quã Illeſcis eius impenſa ſurgebãt,
præſens videret. Adrianus itineri comitẽ ſe dedit:quẽ in Ximenij in
uidiã,Syluanorũ factio frequens eſt ſecuta:tũ ꝙ in Aialęã Ximenius
inclinare videbatur,tũ etiã in Albani ducis gratiam, qui cũ ingens ſi
multas Ximenio erat. Burgenſis ciuitas de fœdere ad cõuentus popu
lares ineundo,Toletũ ſub id tempus legatos fortè miſerat. At Tole-
tani Portocarrero authore,cui vulpes cognomen fuit,cõtentionis an
tiquæ cũ Burgenſibus memores,de primo ſuffragio in cõuẽtibus ha
bẽdo,in eo fœdere eſſe recuſantes,indictis cõuentibus renũtiauerũt.
Quod Portocarrerus cũ ad Ximenium detuliſſet,veluti eius ſenten-
tiã quã ſequi ſe velle ſimulabat,cogniturus: ille hominis calliditate
perſpecta, priuata ſunt hęc(inquit)ciuitatũ negotia,de quib⁹ nihil à
me diffiniri nũc debet. Ita ille deluſus abit,& Ximenius authoritatẽ
ſuam

ſuã retinuit. Non minorem curam in ſacerdotum turbis ſedãdis ad
hibuit,quæ ſub id tẽpus etiã ſunt exortæ,Leone.X.põt.max.ex Late
ranenſi cõcilij authoritate,fructuũ ſacrorũ decumã à ſacerdotibus
vniuerſis exigẽte. Ea aũt prætextu defendẽdæ Chriſtianæ reip.à põt.
max.petebatur. Nã cùm Selimus Turcarum princeps Egyptio rege
(quẽ Sultanum vocãt) deuicto,& per ſummã ignominiã vita priua-
to,potẽtiã ſuam aduerſus Italiã cõuerſurus crederetur, põtifex max.
oram maritimã tueri cupiens,& omnẽ aditũ pro virili hoſtibus in-
tercludere,vltima Cõcilij Lateranẽſis rogatione,ad ſacerdotiorum
decumã triennio cõgendã,de patrum cõgregatorum ſententia egit.
Vehementer à nonnullis reclamatum eſt,quibus durum eſſe videba
tur,ſacerdotia huiuſmodi exactionibus grauari,contra alio rum cõ-
ciliorum decreta & pontificum ſanctiones:præſertim regibus chri
ſtianis,quorũ id officium erat,nec delectus militum nec claſsium ap
paratus ad eã rem faciẽtibus. At põtifex max.eã tunc neceſſitatẽ im
minere,quæ in cõcilio Conſtantiẽſi,ſub Martino quinto prænotata
erat,contendebat. Quæ enim maior cauſa vrgere poterat,quã publi
co Chriſtiani nominis hoſte,Italiã & Romã vrbẽ inuadere parante?
Aragonij ſacerdotes,quibus & Cæſaraugustanus antiſtes Aragonię
prorex,& libertas qua iure illius regni oẽs fruũtur,animos faciebat,
Prouincialibus ſynodis cõuocatis,de nõ pendẽda põtifici max.deci
ma egerũt. Sed quoniã id Ximenij authoritate facere,cuius ſumma
apud põtificem max.exiſtimatio eſſet,plurimũ intererat,Cęſaraugu
ſtanus & cæteri Aragonij antiſtites,literas ad Ximenium miſerunt,
quibus vt ſacerdotum patrocinium ſuſcipiat deprecantur,neq; pa-
tiatur,vt ſe tantũ authoritatis & potẽtię habẽte,quantũ nemini ha-
ctenus cõtigiſſe meminerãt,ſacerdotum immunitastã magnũ detri
mẽtum caperet. Ximeni⁹ qui in Caſtellana prouincia id ne fieret ca
uerat,perhumaniter & benignè reſpõdet,& omnẽ operã pollicetur
ad eccleſiaſticã libertatẽ cõſeruandam. Sed interea vt cõuẽtus diſſol
uãt monet,& rerum euẽtum quieti expectẽt:ſe enim cum põt.max.
& rege Carolo ea de re diligẽter acturũ:& ſperare,ſecundũ ſacerdo
tum vota negotia eſſe exitura. Igitur Carolũ primũ cõmonẽdum eſ
ſe duxit:ad quẽ in ea ſentẽtia ſe eſſe ſcripſit,vt qm̃ Aragonij ſacerdo
tes coactis p antiſtites ſuos ſynodis principiũ reſiſtẽdi dederãt,noſtri
quoq; ſuos pariter cõuẽtus facerẽt,vbi verę cauſę huiuſmodi exactio
nũ tractarẽtur:& an hæc quæ à pont.max.allegabatur,talis eſſet ex
cutere

Universidad de Deusto Biblioteca

cuteretur:dūmodo Hiſpanorū regum exēplo,nō alibi quā in regia curia ſacerdotes cōuenirēt,ad haſce cōtrouerſias terminādas. Ad Arteagā verò ſuum Romæ procuratorē ſcripſit,vt pōt.max. reuerēter adeat,& Ximenij nomine nō ſolū decimas ſuæ diœceſis offerat, ſed totos etiā fructus,& omnē eccleſiaſticā ſupellectilē,& quicquid auri & argēti facti,aut infecti,in theſauris ſacerdotū,aut tēplorum ſacrarijs eſſet repoſitum:ſed ſummopere oret,vt eius ſententiā de belli ſacri apparatu diſertè aperiat. Nā niſi iuſtiſsima de cauſa, nunquā ſe authorē futurū,vt Hiſpani ſacerdotes,quos iā ferè tumultuātes pacauerat,vectigales fierēt. Iubet etiā procuratori,vt diligenter inquirat, quid de huiuſmodi decimis imponendis conciliū Lateranēſe decreuiſſet. Ea cū ad pont.max. Arteaga retuliſſet,Laurētius Putius, & Iulius Medices cardinales,pont.max.cum primis intimi,ad hunc modum Arteagæ reſpondent. Nullā ſacerdotibus decumā, ex concilij authoritate,aut alio quouis modo pontificem max. hactenus impoſuiſſe,neq; impoſiturū quidē,niſi ad extremū, cū res ipſæ opē nō ſolùm poſcent,ſed flagitabunt,iuxta ſynodi Lateran. in vltima rogatione decretū. Culpam verò in Ioā. Ruffum Cuſentinū epiſcopū,nūciū apoſtolicum in Hiſpania,reijciebāt:qui parū prudenter hæc vulgaſſet. Quare ſacerdotes Hiſpaniæ,quantū ad decimas præſtandas, poſſe in vtrāq; aurē dormire:& diploma pōtificiū procuratori oſtēſum eſt propediē edendum,vbi de Cōcilij Latera. actis tractabatur. Ximenius tamen poſt hęc ab Arteaga nuntiata,nō ceſſauit à ſacerdotum conuocatione:quos omnes Madritum paulò antequā Arandam diſcederet,cōueniſſe certū eſt. Nā Petrus martyr,qui Granatenſis eccleſiæ procurator huic cōuentui interfuit,vt ex eius epiſtolis cōſtat,de neganda exactione cunctorū ſentētijs approbatū eſſe refert. Quorum propoſitum Ximenius collaudauit,& ſe patronum,& vindicē,ſi opus foret,pollicitus eſt. Ex epiſtolis nomine Leonis à Bembo editis ſatis conſtat,non tantum rumoribus,ſed re ipſa decimam illā exactam fuiſſe,ſed tantum in Italia,aut ditione pontificia, niſi fallor. Tres potiſsimū Hiſpani principes,priuatas ob cauſas Ximenio infenſi,penè rēp. obruiſſent,Mēdozius infantat' dux,Fadricus Albanus, Gironius Vrennatū comes,quibuſcū vno & eodē tempore cōtendendum Ximenio fuit. Mendozij animus non tā ob irritas Ioannę cum nepote nuptias exacerbatus eſt,quàm quòd ex affinitate inter Ximenium & Cluniencem contracta,Velennæ municipij litem ſibi ancipitem

cipitē futuram videbat,reip. moderationē Ximenio tenente. Eſt in Carpetanorum finibus,non longè à Guadalfaiara Velenna oppidū id Ioānes Mendozij frater poſsidebat,quo cū iam olim Cluniēſis iure egerat,& tandē certis quibuſdā cōditionibus Ioannes Velennam Cluniencſi vēdidit. Mendozius verò auitam hæreditatem,& ſuis præſertim oppidis conterminā,dolebat alterius poteſtati cedere:cluniēſem in ius vocat,q; Didaci aui teſtamento,qui eā legitimā portionē Ioanni filio legauerat,cautū eſſet,vt ſi de ea vēdenda ageret, Mendozij ducatus hæres eam ſibi poſſet aſſerere,eodē pretio emptori oblato. Hæc cōtrouerſia in cōplures annos fuit protracta. Ximenius,qui cauſas in immēſum trahi cōqueri ſolebat,cupiebat lites oēs finire, quę apud regia tribunalia agebātur. Sed reguli id pręſentiētes, ſummopere curarūt,vt lites ampliarētur,donec Carolus in Hiſpaniā venīſſet. Ipſe verò,ne callidis tergiuerſationib' eius propoſitū eluderēt, vt de eis omnibus primo quoq; tēpore cognoſceretur,impetrat, Baracaldo ad Belgiū miſſo,qui id diligēter curauit. Sed qm̄ poſt mortē Ferdinādi catholici,tabulas ad Velēnatū litem ampliandā Mendozius à Carolo Belgis curātib' obtinuerat,acta reſcindi periniquo animo ferebat. Quare regij ſenatus,& Adriani,Laxaiq; legatorū auxiliū aduerſus Ximenij potētiā implorat,vt ea facultate Ximeni' priuaretur. Pintiani tribunalis iudices,apud quos cauſa Velēnatū diſceptabatur,Ximenij de his litib' finiēdis facultatē ad Velēnatū litē nō ptinere aiebāt,quę Caroli cognitioni ſeruari iuſſa fuerat. Sed Ximenij in re iuſta indignationē veriti,eius cognitioni reliquerūt,an in tabulis ad eū miſsis Velēnatū cauſa excepta eſſet. Ximenius hoc ad regiū ſenatū reiecit:vbi quāuis Rogius Granatēſis antiſtes,ſenatus regij pręſes,parū ęquus Ximenio eſſet,ęqui tamē ratione habita,ſecundū Ximenij voluntatē pronuntiatū fuit. Mēdozius qui ſuperari à vicino Cluniēſi ferre nō poterat,itērū ad Belgas ſolicitandos ſe conuertit:& tabulas ſecundas obtinuit,de Velennatū lite cōperendinanda. Hoc Ximenij animū aliôqui cōſtantē,haud mediocriter cōmouit. Nam is erat mandati tenor,vt Pintiani iudices à Velēnatū cauſa abſtinere iuberentur. Quòd ſi Cluniencſis aliquid opponeret ante impetratū,aduerſus præſens diploma,omnino vt reijcerent imperabantur,vt in notis arcanis reperi. Rem factā ſe habere Mendozius credidit:& Ferdinādū Guterū Altamiranum eius familiarem,& publicum notarium,ad Ximenium miſit,qui illi regis mandata denunciarent.

Universidad de Deusto Biblioteca

ciarent. Timebāt hi, ne Ximenius offenderetur, & aliquid illis quod nollēt accideret. Sed post longam trepidationem & deliberationē, tandem regis interdictum de causa Velennatum differenda Ximenio denuntiatū est. Tandem tabulę prudenter inter nostros dissimulata indignatione, rursus ad Carolum & Belgas scribit, indignissimè secum actum esse, & diploma iniquissimum esse datum contra alteram partem. Deinde contra publicam quietem esse, velle hominē potentissimum nouis oppidis augere. Nam quod de tumultibus Ximenio gubernante exorituris vulgò iactatum erat, vanissimū multis argumentis planum facere poterat. Quòd si iudices, & pręsidem Pintiani conuentus ipsi consulerent, nihil ex hac parte imminere periculi probè cognoscerent. In memoriam etiam reuocabat, quid rex Ferdinandus egisset, quem similibus officijs qualibus Carolū haud demeruisset, post Isabellæ Aragoniæ, Enrici Fortunæ filiæ, cum Inacho Mendozio domus hærede nuptias. Nam quanuis multum Mendozius apud regem laboraret, nunquam obtinere potuit, quin libero in foro ius suum singuli ex æquo prosequerentur. Atque ita Ferdinando viuente, apud quem Mendozius multum fauore, & gratia poterat, sententia secundum Cluniensem latam fuisse. Addebat etiam, vereri se ne ob iustitiæ inæqualem distributionem, turbæ excitarentur. Nam contumeliam & iniuriam passi, desperatione quadam ad arma venire solere. Impetrauit quod voluit Ximenius: & tandem Mendozio indignante, Belenna Cluniensi adiudicata est. Accidit paulò post, vt Complutensis Ximenij vicarius suum fiscalem (sic enim publicum accusatorem vocant) Guadalfaiaram mitteret, publici criminis vindicandi gratia. Mendozius occasionem arripiens in Ximenium aliquid designandi, quo exulceratū animum leniret, fiscalem multis fustibus malè multari iussit: quasi in fraudem iurisdictionis Bernardini fratris, Guadalfaiarę archidiaconi fecisset, adquē illius modi cognitiones pertinerent: suspendium etiam minatus, si quid tale posthac auderet, Complutum dimisit. Id cū statim ad Ximenium, qui Madriti aderat, delatum esset: minimè esse dissimulandum ratus, vindicationem in mendozium non tam quidem re ipsa parabat, quàm sermonibus circunferri permittebat: se tam ob violatam religionem, quàm ob reip. tranquillitatem læsam, sic in Mendozium processurum minabatur, vt vel principatu spoliaret, vel imperatas pœnas ex iure subire cogeret. Huiusmodi rumores iactari

Mendo

Mendozius durissimè accipiebat: quare iræ & doloris impatiens, Petrum quendam presbyterum, qui catholici regis cantor fuerat, & in Mendozij familia tunc erat, cum mandatis conuicio & contumelia plenis, ad Ximenium Complutum, quò fortè venerat, misit. Is venia impetrata, & genibus aduolutus, vt sibi liceret mandata exponere, obtinuit. Ea nihil aliud continebant, quàm exprobrationem pristinæ fortunæ, & humilis conditionis, minasq; arrogantiæ plenas. Nā & dignitate & publicis muneribus se illum deturbaturum propediem promittebat. Constanti vultu Ximenius, sine vlla indignantis, aut commoti animi significatione, contumeliosam legationem audiuit, & an quid superesset dicendum, rogat. Et cùm ille negasset, redito (inquit) ad tuum herum, quem iam suæ improbæ & ineptæ legationis pœnitentem inuenies. Sic res habuit: nam Mendozius iam cum familiaribus suis expostulabat Petro aduenienti, quòd se iratum non placassent. Petrum etiam obiurgauit, quòd sibi irato paruisset. Igitur cùm Mendozij legatio diuulgata per Hispaniā esset, Velascus comestabilis, qui Ximenij indignationem iusta ratione cōceptam implacabilem esse existimabat, Guadalfaiaram ad Mendozium venit: & quanuis eius bilem & animum facilè irritabilem prudenter repressit, maiorem tamen culpæ partem in asperos & subagrestes Ximenij mores reiecit. Suadebat tamen vt tempori cedens, cum Ximenio in gratiam rediret: quod vt fieret, se apud Ximeniū omnem operam daturum, promittit. Velasci ergo dexteritate factū est, vt Ximenius omnem se simultatem positurum diceret, si facti Mendozium pœniteret, & pœnas quas merebatur, ob sacrum ministrum violatum, deprecaretur. Missus est cum mandatis Friasius Ximenij familiaris ad Mendozium: et conuenit, vt certo quodam die ad fontem Carralium, vicum octo millibus passuum à Madrito distantem, Ximenius, Velascus, & Mendozius pranderent, & de amicitia sarcienda agerent. Die condicto, Ximenius Francisco Ruizio episcopo Abulensi, Villaroelio Castorlæ præfecto, Cisnerio & Friasio paucisq; alijs comitantibus, fontem Carralium venit, nullis senatoribus aut proceribus, qui in curia agebant, conscijs. Antecessit aliquot horas conuiuas Ximenius: & cùm meridiem instare cognouisset, non expectatis conuiuis pransus est. Vix mensæ remotæ erant, quando Velascus & Mendozius, sine vllis omnino comitibus, & vno tantum à pedibus ministro, aduenire Ximenio nunciantur, qui iam

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam pransi erant. Vix mutuis salutationibus habitis, Mendoziũ nondum animo ad æquitatem composito, paulò altiori sermone, ita fari cœpisse aiunt. Dum ego piè religionem coluero, regiq; meo fideliter obediero, parum quid cæteri fremant curo. Ximenius quod principium dedisset consyderans, suæ personæ seruiens, ego (inquit) is sum Mendozi, qui vel te religionis reum inquisitor maximus plectere, vel regijs mandatis parum obsequentem, regis vicarius obtẽperare possim cogere. Velascus Mendozio acriter increpato, rursus animum Ximenij leniuit: qui à principio omnes causas disidiorum repetens, singulis ex ordine abunde satisfecit, tam de nuptijs Petri Gonsalui cum Ioanna Cisneria, quàm de Velennatum cum Cluniẽsi lite: obiter etiam conquerens de inciuili Petri presbyteri legatione cùm ipse nihil vnquam dixerit, aut fecerit, quod Mendoziam familiam offenderet, quam ante alias semper coluisset. Meminisse etiam deberet, non ita pridem inter medias discordias, postquam se conuitijs immeritis fuisset consectatus, & post suum fiscalem pulsatum, Bernardino fratre archidiacono Guadalfaiarensi vita functo, se Martino filio, cùm nihil tale pater expectaret, multis admirantibus, nec paucioribus fortasse ægrè ferentibus, archidiaconatum insperatò contulisse: quod non tam exprobrandi causa se dixisse, quàm commonendi putaret. Hæc atque alia prudenter & grauiter à Ximenio dicta, sic animum Mendozij pupugerunt, vt sella assurgens, ad Ximenium vt sibi ignosceret postulaturus iret. Animaduertit hoc Ximenius, & festinantem præuenit: complexusq; amicè, Ego (inquit) ni te amarem, & magni facerem, nec quæ dixi in tuam gratiam fecissem, nec meam academiam tuæ fidei, & protectioni commendassem. Dum hæc inter se agunt, sclopetarum strepitus audiri sunt cœpti, & hospitium vbi meridiabantur, plusquam ducentis leuis armaturæ hominibus erat obsessum. Nam Ioannes Spinosa cohortis prętorianæ præfectus, indignum esse censens, Hispaniæ proregem priuati habitu cum hominibus parum beneuolosis colloquia miscere, Fontem Carralium comitantibus prætorianis militibus, maturè venerat. Nonnihil reguli commoueri visi sunt, contra pacta conuenta agi putantes. Sed plena humanitatis Ximenij oratio animos eorũ confirmauit: & nimia Spinosæ sedulitate reprehensa, qui se nihil tale iubente ad eum vicum importunus aduenisset, regulis perbenignè salutatis Madritum reuersus est. Hunc finem habuerunt Mendozij discordiæ:

discordiæ: sed maiorem tumultum & strepitum Gironius Vrennatum princeps in remp. induxit. Magno & excelso animo Gironium præditum fuisse, multa eius dicta & facta demonstrant, quæ adhuc in hominum memoria seruantur: aderat quidem acumen & iudicium, sed nimis liberum & audax. Commendantur quædam eius dicta, Laconica breuitate tornata, sed pleraque sale nigro adspersa. Hic igitur simulatq; regis catholici mors vulgata fuit, primus Ximenij æmulus, Petro filio Asyndonensem ditionem (vt supra diximus) inuadẽti auxilium tulit, quem potius reprimere debuerat. Granatensis conuentus ministros, qui Vrsaonem venerant, iustitiæ exequendæ, & regiorum vectigalium colligendorum causa, pugnis, fustibus, & vulneribus percussos, quanuis Ximenij tabulas ostentantes & reip. cautionem proferentes, violenter & furiosè repulit. Literæ adhuc in Caruaiali annalibus seruantur, quas regius senatus ad Carolum misit de his omnibus copiosè edocentes. Hæc Ximenius, Mendozij & Albani contentionibus implicitus, prudenti consilio dissimulauit: ne cum tribus potentissimis Hispaniæ regulis vno tempore esset concertandum. Sed occasio non defuit in eum animaduertẽdi. Erat Ximenio (vt diximus) propositum, lites inter regulos, aliosq; inferioris conditionis homines, in regijs conuentibus iam diu agitatas, & in fraudem legum protractas, finire. Inter eas Gironij & Guterrij Quixadæ controuersia fuit, de Villafratro in Campensi regione, non longè à Pintia oppido, quod tunc per vim Gironius obtinebat, non sine speciosis aliquot prætextibus. Hæc causa in Pintiano conuentu ab vtroq; iam diu litigabatur, Quixada rem vindicare: Gironiõ, quam semel abstulerat, retinere contendente. Ea igitur, & aliæ permultæ causæ finitæ fuerunt. Nam de iudicum Pintianorum sententia, oppidum de quo agebatur, Quixadæ primo possessori restitutum est. Pintiani conuentus accensus, Ximenio iubente, oppidi possessionem regia authoritate Quixadæ daturus, cum aliquot regijs ministris Villafratrum proficiscitur. Id cùm Gironius resciuisset sententiã iniquam fuisse proclamans, regios executores insolitis modis pulsatos & affectos, per Rodericum Gironiũ eius filium ab oppidi finibus, re infecta audacissimè repellit. Comites facinoris aliquot æquales Rodericus Gironius habuit, qui adolescentiæ inscitia suum negotium in tuendo Gironio agi arbitrabantur, putà Bernardum Velasci comestabilis, Beltranum Cueuæ Alburquercij, Ferdinan

Universidad de Deusto Biblioteca

dinandũ Anrici almiranti regulorum filios. Redierunt executores ad hunc modũ violati Pintiã, recẽtia vulnera, & vultus vibicibus deformatos oſtentantes. Id ſpectaculum cùm omnibus regij nominis cultoribus graue, tum vniuerſæ reip. triſte accidit: qui nil ex legũ poteſtate, ſed omnia per vim agi intuebãtur. Didacus Ramirius Villaſcuſanus, Malacæ antiſtes, qui præſes cõuentus Pintiani erat, vir alioqui mitis & quietus, rei indignitate & atrocitate permotus, ex publicis militibus nõ ignobili coacta manu, tubis claſsicũ vndiq; incinẽtibus, regiã iniuriã, & reip. contumeliã vlturus, equo armatus villafratrũ proficiſci parabat. Velaſcus annis & prudẽtia maturior, periculũ quod principibus iuuenibus Villafratrũ tenentibus, ex læſa regis & reip. maieſtate, imminebat cernẽs, eò properat, & priusq̃ acie Malacitanus educeret, ſine vllo armorũ ſtrepitu, ſine vlla hoſtili incurſione, Villafratro eos abire coegit: & Pintiani cõuentus mãdata rite, & è reip. more cõfici iubet. Malacitanus armis depoſitis, & Velaſco collaudato Pintiã reuertitur. Tunc tandẽ Pintiani ſenſerunt, quantũ eſſet in publicis militibus vtilitatis, ad potẽtum hominũ vires infringẽdas, qui tãtopere eos inſtitui prohibuerãt. Poſtq̃ ad Ximeniũ hæc perlata ſunt, Gironij inſolentiã minimè ferendã, aut diſsimulandã eſſe cẽſens, criminoſis libellis, & capitali accuſatione, aduerſus regiæ maieſtatis violatores agere iubet. Sarmẽtum quatuoruirũ ad Villafratrũ flãmis & ferro diruendũ, cum armatis militibus mittit. Iuuenes qui Velaſci dictis parentes, Villafratro opportunè exierãt, poſtq̃ eorũ facinus in crimẽ vocari, & de læſa maieſtate cauſam eſſe dicturos cognouerũt, Gironio ſene eos aduerſus Ximenium (vt aiunt) inſtigante, ex Villalpando, quod Velaſci ditionis eſt, præſidio militari accepto, Villafratrũ rurſus redierũt Quixadã deiecturi, & quãuis Ximenius omnia atrocia minaretur, eo inuito ibidẽ manſuri. Res duriſſimo in ſtatu verſabatur: nec deerãt qui Ximenium culpabant, q̃ poſt Velaſci officioſum factum vltra quicq̃ tentaſſet, Albano præſertim, & Mendozio paratis, ad omnes aduerſus eum motus fouendos & captãdos. At ille, qui ſe lõgè paratiorẽ ſentiebat, ad regulos ſi quid molirentur, in officio cõtinendos, nihilo ſegniùs propterea ſe geſſit: proſcriptionibus, & publicis præconũ vocibus, legum contẽptores, & regiæ maieſtatis rei, Pintiæ & Madriti publicati ſunt: libelli in celeberrimis locis propoſiti, & ꝓditores proclamati, ni cõtinuò Villafratro cederent, & ad regiũ ſenatum cauſam læſę maieſtatis acturi ſe

ſisterent. Dici non poteſt quàm grauia eorum parentibus & cognatis, hæc omnia acciderint. Quocirca, tanquam in communi periculo, plerosq; regulos cohortati ſunt, vt in vnum locum conuenirent, de re tanta deliberaturi. Interea Velaſcus & Anricus Pintiæ cõmorantes, Malacitano in omnibus aderant, & quanuis in perniciem filiorum ea omnia fieri viderent, ne quid eius mali in ipſos recideret, regijs executoribus, quoties opus eſſet, præſto ſe futuros eſſe promittebant. Locum ad conueniendum nonnulli Tudellam Vacceorum, alij Portillum oppidum Aluari Lunæ cuſtodia percelebre, vbi hæc coitio facta eſt. Conueniſſe autem dicuntur Pimentellus Beneuentanus, Velaſcus comeſtabilis, Fadricus Albanus, Cueua Alburquercius, & Mendozij quidam procurator. Sed Ximenij robur & naturam metuentes, poſt longam tandem altercationem, omnia pacificè agere decernunt: & ad eum primò, deinde ad Carolum ſupplices literas de his rebus mittunt. Cum Ximenio ſubmiſsè ſe geſſerunt, veniam liberis ſuis deprecantes: ad Carolum grauia omnia de difficili Ximenij ingenio ſcripſere, qui Hiſpaniam turbis & tumultibus ob peruicaciam repleret. At Gironius ſenatum regium ſe ſuſpectum habere profitebatur, vt qui à regis catholici tempore, in Aſsyndonenſis reguli partes quo cũ ſibi magni momẽti lis erat, manifeſtè inclinaſſet, & litem ſuam feciſſe luce clarius conſtaret. Ximenius per Malacitanum de his rebus certior factus, quid ſibi eſſent obiecturi cogitans, ad Carolum continuò ſcripſit, & pariter ſenatus regius, qui Villafratenſem caſum, inter alia exponebat, ne mendoſæ aliorũ narrationi rex fidem haberet. Extrema epiſtolæ particula hoc continebat. Guterrij Quixadæ cum Gironio controuerſia, quam tua maieſtas requirit, & in tuum aduentum differri iubes, ſic habet vt diximus. Porrò nobis nihil priuati odij aduerſus Gironium eſſe, ex breui geſtorum ſumma, quam ad te mittimus, liquidò conſtabit. Certè nemini veriſimile videri debet, omnes iudices qui in publicis Hiſpaniæ conuentibus ſedent, in vnum Gironij caput coniuraſſe: præſertim cùm iudiciorum, quæ quotidie fiunt integritas, tam in diſtrahẽdis controuerſijs, quàm in puniendis delictis, ſit notiſsima. Quare ſi viri grauiſſimi & naturatiſsimi, quos in conuentibus iudices eſſe voluiſti, Gironium inſectantur, illius potiùs culpa cordati homines fieri credent, quàm priuato iudicum odio, aut corruptela. Si Gironius impotenti & perdita audacia, cuncta confundit & perturbat, nos qui

Universidad de Deusto Biblioteca

omni vigilantia & integritate à ſubditis tuis iniurias propulſamus, huic vt etiam alijs quietis publicæ interturbatoribus, & omnia pro libidine exercere cupientibus, neceſſe eſt vt odio pariter, & terrori ſimus. Atque idcirco non ſolùm apud tuam maieſtatem, ſed apud omnes mortales nos traducunt, omnia mala imprecantes, nõ alias ob res, quàm quòd illorum prauis conſilijs obuiam imus. Quare pro debita noſtra fidelitate maieſtatem tuam monendam duximus, vt ſi ſaluam tuam remp. optas, nulli diploma de controuerſijs ſuperſe dendis, concedi permittas, quę diu in iudicijs agitatę, & omnibus nu meris cumulatæ ſententiam iudicum manent: hoc enim ſemper in alterius partis damnum fit, & cauſam ſeditioſis hominibus tur bandi remp. præbet. Iube igitur, leges patrias ſeruari, quarum tu cu ſtos & vindex à Deo opt. max. es datus. Dum hæc ad Carolum per feruntur, reguli non ceſſabant capita cõferre, & mutuò ſibi animos addere ad Ximenium deturbandum. Cuncti proceres prẹter Aqui larium, & Aſturienſem ex vltramontanis, ex ciſmontanis verò Mẽ dozius infantatius, qui nondum in amicitiam Ximenij redierat, Pa ciecus Aſcalonius Gironio coniunctiſsimus ad reſiſtendum Xime nio conſenſerant: ſed viam optabant qua id iure fieri videretur. Er go Acunius Zamorenſis antiſtes, præcipuus ſeditionum populariũ author, cui ad Aquilæ arcem gula fracta eſt, & comes Albaliſtanus cohortibus armatis, & militaribus tormentis, Gironio præſidium laturi Pintiam aduenerunt. Sed quoniam ciues ad defectionem ſoli citabant, de iudicum regiorum ſententia Pintia exire coacti ſunt. Velaſcus Cigalios ad Beneuentanum, deinde Pennafielum ad Giro nium magnis itineribus proficiſcitur, qui videri volebat omnem o peram dare, vt Gironius eius affinis Ximenij mandatis obtempera ret, & excitatum incẽdium nulla ruina, ſed leui aqua extingueretur. Sed longè aliam mentem habere paulò poſt ex literis ad Gironium datis Ximenius deprehendit, quæ Madriti interceptæ fuerunt, ple næ acerbitatis & ſeditionis: nam Burgenſem, & Montanam prouin ciam ſe concitaturum pollicebatur, & Ximenio palàm detrahebat, quaſi impedimento eſſet, quominus Carolus rex leges Hiſpaniæ di gnas regulis, & populis concederet. Haſce tam criminoſas & tumul tuoſas literas, noluit Ximenius, ſua bonitate & moderatione vſus, ad Carolum tranſmittere, quanuis illum multi inſtigarent. Porrò Albanus Hieroſolymitani ordinis prioratu Didacum filium è veſti

gio

gio ſpoliandum metuebat. Proceſſerat vltra ſeptennium hæc con trouerſia, & poſt multas cum Ximenio contentiones habitas, litem ſe perditurũ videbat, quo nihil durius ei poterat accidere. Ergo Cuel lar Alburquercij oppidum, quaſi Cueuam ſolaturus, cuius Franciſ ca filia Faiardi Velezani Marchionis vxor, non ita pridem defuncta fuerat, Madrito proficiſcitur: ſed re ipſa cum eo acturus de ſuppetijs Beltrano eius filio, & affini Gironio, qui Villafradæ obſeſſi teneban tur, aduerſus Ximenium cerebroſum, & iniurium hominem, ferendis: ſeq; exercitus cogendi authorem & ducẽ profeſſus eſt. At Cue ua vir prudentia & conſilio ſingulari, vt pernicioſum ſibi, & ſuis cõ ſilium mutaret monuit: nec enim aduerſus Ximenium, ſed omnino aduerſus remp. & Carolum iſta moliri monuit: quare nec ſe neq; vl lum ex propinquis arma aduerſus Ximenium capturum. Albanus rectè monenti annuit, fuit enim hic vir ſui principis ſtudioſiſsimus, & Madritum redijt. Interea hi qui Villafratro concludebantur, ne il lorum inſaniæ quicquã deeſſe videretur, Ximenij imaginem pontifi calibus indumentis veſtitam, præcone præeunte, per oppidi vicos (vt fama eſt) circũtulerunt. Hæc quanuis Ximenio nunciarẽtur, vocesq; multorum irreuerẽtes & minarũ plenæ iactarentur, nõ ideo minus rẽ propoſitam vrgebat. Nam Sarmentus Quatuoruir qui ad Villa fratrum obſidendum miſſus fuerat, mira diligẽtia oppidũ expugna re, ferroq; omnes quotquot aderant perimere nitebatur. Sed iuuenes cũ ſe impares eſſe ad reſiſtendum animaduerterent, Villafratrũ tan dẽ deſerere, atque ſuæ ſaluti cõſulere decreuerunt. Porrò Sarmentus re vniuerſa ex iuris formula in tabulas relata, nemine aduerſante per publicum præconem pronuntiari iubet. Quandoquidẽ Villafratri regiæ iuſtitiæ executores indignis modis violati eſſent, priſco maio rum inſtituto flammis incenderetur, & muris aratro impacto, op pidi area ſale adſpergeretur: in monumentum verò patrati ſceleris vt nunquam deinceps vel ædificijs inſtaurare, vel alio quouis huma no modo colere cuiquam mortalium liceret. Gironium & Roderi cum filium, cæterosque omnes, qui auxilium tuliſſent, læſæ maieſta tis reos peregit: & vt Gutterio Quixadæ, ſecundum quem lis data fuerat, damna & impenſæ reſarcirentur iubet. Extemplo ignis in op pidum conijcitur, tormentis bellicis vndiquaque quatitur, totumq; ab ipſis fundamentis concidit. Septem homines, qui accenſo Pintia ni conuentus Guterrio Quixadæ poſſeſſionem loci vindicante, ſedi

tioſis

Universidad de Deusto Biblioteca

tiosis vocibus inclamauerant,se neminem præter Gironium domi
num agnoscere,virgis de Sarmenti sententia cæsi sunt. Vnus ex An
rici almiranti familia,qui Pintiæ militum delectum,ad præsidium
Gironio ferendum,clam fecisse dicebatur,per oppidi vicos die fe
sto inusitato exemplo verberatus est. Tam atrocis animaduersio
nis in Villafratrum editæ forma,vt per Hispaniam innotuit, vires
cunctorum fregit:& qui prius minaces & arrogantes incedebant,
animos demiserunt. Ascalonius,qui Madriti aderat,& inter omnes
has turbas Ximenij amicitiam palàm ostentauerat,ea re audita,tan
tum doloris & ægrimoniæ concepit,vt per totos sex dies nemini a
ditus ad eum fuerit. Apud Franciscum verò Ruizium Abulensem
episcopum, officij gratia ad eum venientem, de Ximenij peruica
cia,& animo difficili,atque inexorabili,graui oratione conquestus
est:vtpote qui nulla amicitiæ ratione habita,ita Gironium eius pro
pinquum tractauisset:quo facto vniuersis Hispanis regulis autho
ritatem, multis de causis debitam,indignè imminuisset. Velascus
iterum regulis Vltramontanis solicitatis,Mendozio infantatio si
mul etiam adiuncto,legationem ad Ximenium mittit per quen
dam Mendozij familiarem: vt quandoquidem in Villafratrum per
summam Vrennatis contumeliam tam atrociter sæuitum fuisset,
cessaret Gironiam familiam amplius persequi, & infaustis præco
num vocibus per omnia compita exagitare. Anticus Almirantus,
qui nunquam Ximenio apertè inimicus fuit, Madritum ea de re
cum eo expostulaturus,venit. Multa ab Almiranto, reuerenter ta
men de procerum Hispanorum dignitate,& maxima in reges suos
fidelitate, fuerunt commemorata. Et tandem se mirari dixit, vnde
viro prudenti in mentem venisset,ista designare. Nam cùm pont.
Toletanus,cuius personã gerebat,Primas nõ modò inter Antistites,
sed inter regulos etiam in Hispania sit, non modò aduersus nobi
litatem, sed aduersus se ipsum ea omnia gerere videri poterat: qui
principes viros tam dirè & contumeliosè frangeret. Rex enim
qui nondum eorum animos,fidem, & promptas voluntates noue
rat, postquam tam indignis modis tractari intellexisset, paruo in
pretio erat habiturus. Quocirca etiam, atque etiam caueret, ne
in eas angustias ex quibus difficulter explicare se possent, regem,
rempub. & omnem Hispaniæ nobilitatem de principe suo beneme
rentem, conijceret. Nota enim plerisque esse,quæ de regulorum su-

perbia

perbia,cõtumaci ingenio,malisq; artibus ad regẽ iratus scripsisset.
Quare si Carolo æquissimo,potentissimoque regi more gerere vel
let,& saluti reip.cõsulere,diuersa cum illis ratione ageret,& se ad ani
mi equitatem componeret,omni deposita iracundia. Deniq; mul
ta se alia prætermittere dixit,ne dolorem suum refricaret. Ximenius
paucis Almiranto respondit. Nunquam sibi illorum artes placuisse,
qui per sęuitiam,aut aliorum iniurias,gratiã inire apud reges cura
bant:reip.curam,quam ei rex tantopere cõmendasset, pro virili su
stinuisse. Ad Carolum quędam de regulis scripsisse,quæ ad quietem
publicã pertinere videbãtur,nõ tamẽ ea verborum inciuilitate,quæ
vulgò pro cuiusq; libidine iactabatur. Quod ad Gironiũ pertinebat,
satis se hactenus dissimulasse, iã eò loci rem esse,vt à Carolo tantum
expediri posset. Interea Petr° Gironius,maior natu Gironij filius,ite
rũ in Betica nouos militum delectus cõscribere cœpit,sed nemo se il
li adiungere audebat,cũctis Ximenij indignationẽ, post Villafratrũ
deletã,formidãtibus. Ergo Gironij quid è Belgio Carolus iuberet aui
dè expectabãt:nõ enim interea cessabãt difficiles Ximenij mores a
pud Carolum increpare,vt aptissimos ad seditiones cõcitãdas. Belgę
Ximenij adhortationes,& Senatus regij literas,reiq; ipsius naturã cõ
syderantes,omnia ex Ximenij sentẽtia vt fierẽt decernunt,& eius ad
uersus Gironium actis authoritatẽ quantãcunq; postulabat prestite
runt. Ergo diploma regiũ ad Senatũ missum est, quo Ximenij gesta
vniuersa rata esse iubebãtur,& Gironijs nota læsæ maiestatis inure
batur,nisi illico se ad regiũ tribunal sisterẽt,& iudicatũ facerẽt. Tunc
demum omnes intellexerunt,quãtum reuerentię & honoris,cùm pu
blicis legibus & institutis,tum earum ministris & iudicibus esset dein
ceps perpetuò deferendũ. Ascalonius,qui Gironij fortunas in pręci
piti positas videt,amicitiã Ximenij nouis officijs demereri studet,&
omnes tẽporum opportunitates captãs,ad Ximenij animũ, quoties
occasio dabatur placãdum,tandẽ factum est,vt Gironius ad Xime
niũ supplex veniret,paratus omne iudicium subire. Ergo ex Ascalo
nij sentẽtia rebus cõpositis,Frãcisco Ruizio Episcopo Abulẽsi(vt Ca
rauajalus testatur)curante,venia criminum,quæ cõtra leges commi
serat,data est. Nã Ximenius ad Lupum Aialã scripsit,vt eius nomi
ne Carolo referat,Gironium virum primarium,satis pœnarum de
disse,qui supplex ad se venerit,& sibi liberisque suis veniam efflagi
tauerit,& animi in diuersum mutati plurima exempla dederit. Ne-

Cc que

Universidad de Deusto Biblioteca

que enim omnia ad viuum resecanda, aut principes viros ęqua cum priuatis hominibus conditione plectendos esse. Denique in hoc esse conuentum, vt res integra regis cognitioni seruaretur, vt nihil de iure suo regi, aut reipub. deperire videretur: & Gironius mirificè in officio contineretur, ne ad naturam & mores suos redeat. Fertur dũ Madriti de his rebus acturus Gironius moraretur, quanuis rebus aduersis fractus, ingenij tamen sui non oblitus, dictis non omnino ineptis Ximenium perstrinxisse. Cùm aliquando ad eum accederet, cũ biculi prępositos ecquid rex Ximenus ageret quæsiuit. Nam Ximenus inter priscos, & pauperes Hispanię reges numeratur, & quoties aliquid rude, & ab vsu iam diu remotũ significare volumus, id Ximeni regis temporibus factitari solitũ, parœmię vice, dicimus. Itẽ ab eo digrediens ministros rogauit, an Ximenius tineoso esset capite, qui tã superstitiosa cura, ne quid capitis retegeretur, caueret: visus enim fuerat nimis malignè caput aperuisse in Gironij discedẽtis honorẽ. Illo ipso tẽpore quo cõtẽtiones Gironij sunt finitę, Leo. X. Põt. Max. comitijs. v. Calẽd. Iulij habitis, inusitato cooptationis numero xxxj. Cardinales creauit, & in his Adrianum Florentiũ, qui vnà cũ Ximenio moderandis rebus præfectus erat. Ea tam numerosa Cardinalium creatio parum grata reip. fuit, multi enim Cardinales vehemẽter restiterunt, & in primis Antonius Mõtius, Ioannis Mõtij auuncu lus, qui post Max. Pot. factus Iulius tertius dict' est. Inter hos Raphaelem Vrbinatẽ, clarissimũ pictorem, cuius arte oppido quã delectabatur, nominaturus credebatur, vt hoc honore collato, ingẽtẽ æris summã quã illi ex pictura debebat, cõpensaret. Qua de causa Raphael Bernardum Bibienę Cardinalem, neptem suam in vxorẽ offerẽtem, nouis morarum causis in dies allegatis, fertur suspensum detinuisse: sed Raphaelis mors satis immatura omnes eius spes prẽuenit. Graue Ximenio visum est supremũ ecclesiæ honorem tralatitium fieri. Sed Pij quarti Pont. Max. tempore non ita dudum factum esse vidimus, vt quadraginta & amplius Cardinales crearentur, pluresq; adhuc creandi esse credebantur, nisi quinto idus Decembris, anno M.D.LXV. ab humanis esset sublatus. Adriani promotio non ingrata Ximenio fuit: nam ea occasione Didaco Lupo per arcanas literas iussit, vt suo nomine cum Carolo ageret de Adriano Romam, aut in Belgium, aut in diœcesim suam mittendo, quandoquidem à rebus gerendis natura sua abhorrens, noua tũc dignita

tis

tis accessione potius impedimento, quàm vlli vsui futurus esset. Litę elegantissimæ inter Petri Bembi epistolas Leonis. X. nomine editas, quas Leo ad Carolum de Adriani cooptatione scripsit, circunferũtur: quibus perbellè ad hominem benemeritum augendũ primo quoque tẽpore exhortatur. Nempe illũ fortuna ad summã dignitatẽ vocabat, aut potius vrgebat. Gironij simultatibus cõtentio cũ duce Albano successit, quæ cùm ob dignitatẽ maximi emolumenti, & honoris suscepta esset, magnas turbas excitauit. Erat res futura cũ regulo potentissimo, & iusta (vt videbatur) indignatione cõmoto, qui amplissima dignitate, quã per totos sex annos tenuerat, priuabatur. Ximenij etiã robustus animus, & cedere nescius capitales inimicitias promittebat. Quare cunctorũ mentes suspensæ erant, quò res esset euasura. Est ea dignitas in Hispania adeo optima, vt si ius successionis accederet, cũ cęteris Hispanię principatibus, qui potẽtia, & authoritate præstant, procul dubio comparari posset. Ab hac dignitate Valenzuela sub Enrico. IIII. malis artibus, vt illa erant tẽpora, deiectus fuit, & eius loco Aluarus Astuniga rite suffect'. Sed is vel morbis, vel senio afflictus, otium sibi necessarium illa in ętate iudicans, in Antonium Astunigam ex fratre nepotẽ, prioratum trãstulit, Philippo rege annuente, & Pont. Max. confirmante, ne quid iustæ & legitimæ solennitatis defuisse causari quisquã posset. Ferdinandus post Philippi mortẽ ad Hispaniam moderandã rediẽs, voluit Albano, cuius singularia in eum officia fuerãt, gratificari: & Didaco tertio eius filio, sancti Ioannis prioratum contra publica iura, & Hispaniæ leges, antiquamq; maiorum cõsuetudinẽ cõtulit. Ergo magistri Rhodiorum authoritate, qui per Pontif. Max. collatum esse ęgerrimè tulerat, Antonium prioratu priuauit, & Didaco Albani filio concessit. Factum est id Melioratæ in Hieronymiano cœnobio, per Rhodiensis ordinis Balionem (sic enim suos administros nominant) qui Rhodo à rege ea de causa accersitus fuerat, anno hui' seculi M.D.xij. postridie idus Aprilis. Antonius apud Pontif. Max. de regis iniuria, & magistri Rhodiorum audacia, sed frustra conquestus est, sunt enim longę regum manus: quare in Belgium ad Carolum confugit, vt patris Philippi acta tueretur. Sed postquam Ferdinãdi regis mortem cognouit, Belgis curantibus, apud Carolum egit, vt eius voluntate & fauore in integrum restitueretur. Romam proficiscitur ęquo iure cum Albano iam decertaturus. Multa Albanus, sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

ea omnia Romanis iudicibus ingrata,obijciebat.Nam ſancti Ioannis prioratum,cæterasque omnes militarium ordinum præfecturas ex Martini.V.diplomatibus Ioanni ſecundo conceſsis,ad reges Hiſpaniæ & Rhodiorum magiſtros pertinere aiebat:in Hiſpania etiã apud regium Senatum proclamabat,regem & remp.ipſam perniciosè lędi,ſi ea quę propriè regij iuris eſſent,ad Pontif.Max.iterũ incautè deuolui ſinerent.Contra Antonius ſe perinique ſpoliatum eſſe contendebat dignitate, quam iure optimo poſſederat.Iudices Romani,cauſa probè examinata & cognita,Antonio Aſtunigæ pontificia diplomata dederunt,quæ poſt cauſam dijudicatam & confectã, victori tradi ſolent,ad vltimam rei controuerſæ executionem,vnde executorialia vocãtur.Hęc ad Carolũ illico detulit,cũ Leonis.X.Põtif.Max.literis,ex quibus conſtat,regis Ferdinandi interceſsione,iudiciorum moram per bienniũ eſſe factã,quas hîc referre non eſt operæpretium,cùm inter epiſtolas P. Bembi circunferantur. Carolus partim ſua volũtate,partim Pont.Max.epiſtola incitatus,Antonium in Hiſpaniã cũ hiſce ad Ximeniũ literis mittit. CAROLVS Hiſpaniarum rex, Franciſco Cardinali Toletano,amico cariſsimo. S. Quę de prioratu ſancti Ioãnis Hieroſolymitani ad nos accuratè ſcripta miſisti,valde probata à nobis ſunt. Cauſæ tamẽ magnitudo, & cõtendentiũ dignitas,vt omnia prius experiamur, quã cũ illis ſummo iure agamus,efflagitãt.Idcirco clemẽtia noſtra dignũ duximus, vniuerſum prioratus patrimoniũ(hoſt eſt)arces,oppida,emolumẽta & prouẽtus fiduciaria poſſeſsione in poteſtatẽ noſtrã tãtiſper redigere,donec quid ſit faciendũ decernamus.Id vt citra tumultũ à te perficiatur,dux Albanus & Didacus eius filius,meo nomine tibi cõueniẽdi ſunt:quibus noſtrũ hoc cõſiliũ expones,dabisq; operã vt mihi hac in re obtẽperent.Cõpromiſſum faciãt in quo me arbitrum ſtatuant: quod fide publica cõfirmatum,ad nos quãprimũ mittatur:ſumus enim ſemper habituri honoris,& cõmodi vtriuſq; rationẽ. Id ſi fecerint,nobis erit,perquã gratum:ſin minus,quindecim dies dũtaxat ad deliberandũ damus, quibus elapſis nomine noſtro prioratũ capies: virosque regiæ maieſtatis fideles,oppidis,& præſidijs præficies. At ſi dux,aut eius filius parere recuſauerint,te in primis hortamur,Senatui verò noſtro iubemus,vt diplomata Pontificia,ab Antonio Aſtuniga Roma allata,ſine cuiuſquã reſpectu manu regia exequamini. Id ſi ex ſententia noſtra, vt ſpero, confeceris, magnam gratiam

apud

apud me inibis.Vale Bruxellis.xiix.Calend. Februa. anno Domini M.D.XVII. Aſtuniga Begerenſis dux cum Antonio fratre, conuocatis ex ſua ditione,quæ ad Anam flumen eſt,præſidijs,multisque regulis(nam Mẽdozius Infantatius,Cardenas prouinciæ Granatenſis præfectus,qui poſtea dux Maquetanus fuit,Fonſalitanus Aialæa familię primarius, aliquotque alij eum ſequebantur) nulla quidem armorum ſpecie ad Ximenium venit,cui literas regias obtulit, omnem ſuam & ſuorum operam pollicitus, ſi vſus foret. Poſtquam hęc omnia Albanus cognouit,& Ximenium flecti poſſe deſperauit, qui litem illam iurgiorum & ſeditionis plenam finire cupiebat: ſuã atque Didaci filij dignitatem,non quidem aduerſus regem, ſed aduerſus Ximenium,familiæ ſuę(vt iactabat)hoſtem, omni conatu & viribus defendere ſtatuit.Ximenius febribus tertianis eo tẽpore Madriti laborabat,vnde Albanus erectior factus,numeroſam ſuę gentis familiam,& vltramontanos regulos, ſibi neceſsitudinis vinculo coniunctos,ſolicitauit.Porrò Antonius Fõſeca Cocceiorum, in Vacceis dominus,& Aſcalonius ex ciſmontanis,qui hactenus dubij vtrã in partẽ inclinarent fuerant,tertio poſt Aſtunigæ aduentum die, ad Albanas partes tranſierunt:quod non mediocriter Aſtunigam commouit.Erat in Aſcalonio diuitiarum facultas & potentia,quam multæ propinquorum clientelę adaugebant.In Fonſeca animi pręſtãtia, & longo rerum vſu prudentia.Ruizius Abulenſis Epiſcopus prætorianam cohortem in armis eſſe iubet,cui tercentos ſtrenuos milites adiunxit,ne alterutrius factionis homines Madritum ingrederentur. Interea Ximenius à morbo recreatus,deq; his omnibus cõtinuò edoctus,vtroque regulo ad ſe accerſito,inducias pollicetur, donec receptis viribus,quid vterq; iuris obtineat,& quid ſit è reip. vtilitate, & quẽadmodũ inter eos meliùs controuerſia cõponi poſsit,accuratius poſsit inſpicere.Supplicationes pro Ximenij incolumitate,Madriti primùm,deinde per vniuerſam Caſtellã ſunt habitę:videbant enim ex vnius hominis ſalute,eo præſertim temporis articulo, vniuerſæ reip.quietem pendêre.Eo enim ęgrotãte,præſidijs arces cõmuniebãtur,& ad res nouas omniũ animi erigebãtur,qui Ximenio meliùs ſe habente pacati ſunt. Albanus donec iterũ Carolus de vniuerſis cauſę eius articulis conſuleretur,& quid exequendũ foret rurſus iuberet, quicquid Ximenius facere tentaret,armis repellere decreuerat:palãque clamitabat, ſe regiũ ius eo modo tueri, cui patronatus ratione

 prioratus

Universidad de Deusto Biblioteca

prioratus designatio debebatur. Fraudem etiam magno Rhodiorum magistro creari affirmabat, ad quem post regis designationem, collatio pertinebat. Ximenius qui rem omnem perspexerat, Albani voces vanas esse intelligens, ad Carolum scripsit, vt in re semel imperata constanter persisteret: permultum enim interesse, regias voculas vel per iocum emissas, nedum sigillis impressis publicatas, firmitatem & robur tenere. Post aliquot dies, de literis regijs ab Astuniga allatis in Senatu agere cœpit: sed non omnes ad eam executionem illico faciendam animatos offendit, erant enim qui Albani causam æquiorem esse arbitrabantur: quorum sententiam Belgæ legati, Adrianus & Laxaus, non mediocriter confirmabant. Itaque dubitari in Senatu cœptum est, an literis regijs Albanus satisfaceret, si facto compromisso prioratum retineret, donec rex arbiter certum sequestrem declararet: neque enim ex diplomate satis liquere. Item iuris formam in literis inuerti obijciebant. Quorsum enim castris, & arcibus prioratus ex regis iussu occupatis, postremo tabulę pontificię proferendę erant? Sed cùm hęc omnia tempori tantum eximendo ab aduersarijs dici Ximenius intelligeret, dedit operam vt omnes in Senatu de regijs mandatis exequendis cōcordes essent. Albanus cui aqua hęrebat, ad Germanam reginā cōfugit: quæ cùm propter antiquum in Ferdinandum cōiugem amorem, cui vnicè carum semper Albanum fuisse intellexerat, tum ob priuatū erga ipsum affectū, non mediocre præsidium tulit. Nam eius diligētia & studio factum est, vt Ludouicus Gallię, & Enricus Britannię reges, cū Carolo in primis, deinde cum Chebrio, cæterisq; Belgicę aulę principibus agerent, ne Albanus clarissimus in Hispania regulus, cuius officia in reges cōplura extarent, & qui Ferdinando in rep. Hispana amplificāda tam multiplici opera vtilis extitisset, ea dignitate, quā de veteri Hispanię instituto per sexennium tenuit, nunc inimicorum iniuria spoliaretur. Cœpit Carolus nonnihil de constantia, ob regum intercessionem remittere. Sed Ximenius cum Chebrio per literas acriter expostulauit, qui regis authoritati malè consuleret, & seditiones in remp. inueheret, ni totis viribus curaret, vt Carolus in sentētia obfirmato animo esset. Nā Astunigenses, quorum Illustris & amplissima erat, tum familia, tum clientela, parati erant depugnare, & ferro controuersiam dirimere: quod & fecissent, ni illos ipse promissis de Caroli cōstantia detinuisset. Post has literas datas, Albanū

ad

ad se Ximenius accersit, quē præsentibus legatis, senatoribusq; regijs, & Osornio comite, pro diuturna inter eos cōsuetudine, amicissimis verbis adhortatus est, vt moderatione animi & prudentia, quam in eo semper cognouisset, tunc ad eam rem componendam vteretur: se enim in ijs decernendis eius commodis non defuturum, si absque vllis reip. motibus totam rem transigi, & confici permitteret. Regi ergo prioratum traderet, vt de illo secundū leges statuere posset. Quòd si id durū videretur, se de regijs mādatis permultū remissurū, ne omnia pacifica noluisse argueretur: & Petro Bazano, Balduernæ, & Vanezę domino, & Albanæ familiæ per omnia addicto, prioratum traditurū, quem in regis aduentū adseruaret: se quoque tunc effectu rum, ne Antonio Astunigę tradi posset, nisi post tres mēses elapsos. Eas conditiones Albanus contempsit: atque inde digressus omnem culpam in Ximenium reijciebat, qui salua regis maiestate mitiùs secum agere poterat: quasi verò supremum reipubli. moderandæ munus, ea de causa Ximenius subijisset, vt iuxta leuium hominum vulgarem consuetudinem, priuatos affectus officijs anteponeret. Igitur Albanus Madrito in Vltramontanam regionem profectus, amicos regulos de ea re consuluit. Qui Villafratensis casus memores, vt quiesceret, & conditiones quas Ximenius obtulisset accipiat, consulenti responderunt. Hæc ad hunc modū acta fuisse ex Velasci comestabilis, qui eo tēpore Pintiæ aderat, ad Astunigēsem Mirandę comitē literis, quî cū sibi necessitudo intercedebat cōpertū fuit. Acquieuit tunc Albanus in amicorū cōsilijs: verū postea res incrudescere denuo cœpit, multaq; & varia hinc inde tētata & acta sunt: de quibus omnibus, in Ximenij literis quæ per arcanas notas sunt datæ, lōga admodū notitia est: nobis hęc tantū dixisse satis sit, ad vtriusque causas indicandas, quibus tandem rationibus adducti, tam acerbas simultates exercuerint. Vt igitur Albanū Ximenius nulla ratione in sententiam suam pertrahi posse videt, præsidia reip. hoc est milites à se institutos, diuersis ex locis conuocat, & Ferdinandum Andradam præfectum militū, ad eam rem designat. Legati eos motus conspicientes, quò res eua sura esset incerti, mirum in modum angi cœperunt: & Ximenium vt Caroli aduentum expectet adhortantur, ne resp. quam hactenus florentem tenuerat, nunc per eam occasionem detrimentū caperet. Antonius Fonseca vir nobilis, & rei bellicę peritia, atq; animi præstantia clarus, quem Albani partes palàm tuēdas

 suscepisse

Universidad de Deusto Biblioteca

ſuſcepiſſe diximus,multis apud Ximenium ea de re diſſeruit. Quò remp.conijceret etiam atque etiam conſyderaret:eſſe iam omnium exacerbatos animos, qui ſi cęco furore ſemel metum & pudorem abiecisſent, nullis conſilijs, aut freno cohiberi poſſent. Ad quæ Ximenius,Pone metum(inquit)Fonſeca,nec te rerum iſtarum euentus diſcruciet, ego enim proſperrimum efficiam. Mille equites cùm ex prætorianis,tum ex regijs præſidijs, quos noſtri limitaneos appellant,ad ſe accerſit,quorum ſeptingenti cataphracti erant.Item quinque millia peditum conſcribi iuſsit,in quibus veterani quingēti, qui ſub Villalua Placentino ſtipendia fecerant, & quos Ximenius cuſtodiæ cauſa in vicis Madrito proximis retinebat,ſunt annumerati. Cauit etiam,vt in diœceſi Toletana tercentum equites in procinctu eſſent,cùm non pœnitenda peditum manu, qui in ſupplementum, aut in auxilium,ſi fortè opus eſſet venirent.Hos aduerſus Conſaburenſes,vbi Didacus ſeſe munierat,omnia extrema ſuſtinere (vt aiebant)paratus,proficiſci iubet.Sed antequam ad manus veniatur,per reip.fecialem denunciari placuit,vt Didacus Conſaburēſi præſidio cedat:armatos omnes dimittat:præſidia prioratus,arceſque cūctas, & oppida tradat:& ex æquo legibus cum Aſtuniga acturus,in regiū tribunal deſcendat:regem pręterea,ex Pont.Max.pręſcripto,arbitrū ſtatuat.Sin id cōtumax renuerit,læſę maieſtatis damnatū eſſe: eiusq; bona & fautorum,fiſco addicta.Interea Albanus circiter mille pedites cum paucis equitibus Conſabronem mittit, qui multum æris & commeatus,ad Didacum & ſocios deferre dicebantur.Idcirco Ximenij cohortes prędæ cupidine feſtinantes,locorum anguſtijs & diuerticulis pręoccupatis,non modò tranſitu prohibuerunt,ſed in latiora loca procedentes,leui opera fuderunt,atque omni pecunia,& commeatu ſpoliarunt.Inde ad Conſabronem accedētes, dies aliquot ex formula iuris quieuerunt,vt fecialis regia mandata denunciaret,bellumque cruentum indiceret. Toletana iuuentus,quę cū Didaco erat, animorū vigore & pręſtantia exultās,loculos cadaueribus cōſtrui ſolitos,pullo colore illitos,è mœnibus oſtentabat:quaſi ſe omnes more Hiſpanico, de quo multis ante ſeculis, in Dionis Nicæi hiſtorijs mētio eſt,ad commoriendum cum Didaco deuouiſſe innuerent,priuſquam pręſidium Conſaburenſe traderent.Cùm hęc Albanus reſciuit,ne per tantum tumultum negotium ageretur,Madritum venire neceſſe habuit:vbi Germanę reginæ, & legati Adriani opera adiu-

tus,

tus,cum Ximenio de prioratu tradendo egit,modò cōditiones,quæ prius offerebantur,alięque quas inſuper addebat,concederentur.Nā pro tribus menſibus,quos Ximenius concedebat, de non tradendo prioratu poſt regis aduentum,tres annos dari,& vt interea tantundē pecunię ex regis ęrario,aut vectigalibus ſibi numeraretur,quantum ex fructibus prioratus redigebat.Omni conatu legati contendebāt, vt illis pactis Ximenius annueret:qui quanuis antea conditiones aliquot obtuliſſet,tunc ſine vllis pactis aut exceptionibus,vt prioratum regis arbitrio permitteret ſtatuit,quando in eum locum res progreſſa eſſet:aliôqui Albani potius metu,quàm libera voluntate id præſtitiſſe,multos fore arbitraturos.Ergo Albanus iam mutato cōſilio ad Ximenium venit,coramque cum eo egit de prioratu liberè tradendo.Factum eſt id ſub idus Iulias,hora noctis intempeſta. Igitur poſt longam inter vtrunque expoſtulationem,Ximenius ſe nunquam in cauſa fuiſſe dixit,vt eo in cardine negotia verſarentur.Præterea aliorum vicarios non poſſe vltra mandata excedere,quod vt crederet, literas Caroli archetypas protulit,quas Albano in manus dedit:& vide(inquit)quid ego,ſalua mea fide,& regis authoritate,in tuam gratiam facere poſsim,nam id omne præſtabo. Nihil aliud Albanus (inquit)quàm vt poſtquam prioratum Didacus tradiderit, noſtrę familiæ rationem rex habeat,cuius fidem atque obſeruantiam ad res omnes gerendas expertus eſt,& perpetuò experietur. Audio etiam teſtatuiſſe,Ferdinando Andradę militum pręfecto,prioratum tradere aſſeruandum,donec rex veniat.Indignum eſt, vt is qui Franciſcam Aſtunigam,aduerſario meo propinquā,vxorē duxit,in noſtras calamitates inſultet.Ęquū poſtulare Ximenio viſus eſt, quare Antoniū Cordubā,Capręcomitis fratrē deſignauit,cui prioratus traderetur: ſic tamen,vt Ferdinando Andradę primum dederetur, & is poſtea Cordubæ traderet.His ad hunc modum conſtitutis, ea ipſa noctis hora datę ſunt literæ Ximenij ad Ferdinandum Andradam,Albani autem ad Didacum filium,vt hic prioratu cedat,& ille arma continuò ponat:quæ omnia ex pręſcripto confecta fuerunt. Et ne quid deeſſe videretur,veniam & impunitatem dari pręconio promulgatum fuit cunctis,qui Albani partes eſſent ſecuti,publica fide interpoſita,ne illorum cuiquam fraudi eſſe poſſet.Interea Didacus, quòd in rem ſuam eſſe exiſtimaret,conuentum militum Hieroſolymitanorum,Paradinis commendatariorum oppido,quaſi iuſtus prior eſſet,

Universidad de Deusto Biblioteca

indixit ad.vj. idus Septembris. Nam magnus Rhodiorum magiſter Didacum tantum priorem agnoſcebat, & illi negotia ordinis demandabat. Ximenius hæc in fraudem Antonij, & contra pacta conuenta fieri animaduertit: & Didacum ſeuerè monuit, ne conuentum quoque indiceret, aut aliud quicquam quaſi prior, ſuo aut Rhodiorum magiſtri nomine, gereret. Nam Didaco imperia ſui magiſtri cauſanti Ximenius acutè reſpondiſſe fertur. Rectè quidem, ſi tu iſta in Rhodo inſula tractanda ſuſcepiſſes, non in Hiſpania, cui ego ſum pręfectus: oportuerat enim me prius conſuluiſse. Sed quanuis Didacus tunc ceſsauit, Ximenij pręſtantiam & ſeueritatem veritus, tamen poſt eius mortem, Antonio neglecto, prioris munera obibat: vnde tumultus ſunt orti, quos vix Carolus partito inter eos prioratu ſedare potuit, donec Antonius Perpenianum profectus, vt pręſidiariorum militum dux eſſet, diem ſuũ obijt: & Didacus in integrum ſucceſsit. Supererat adhuc lis vna terminanda, ex his quas Ximenius finire decreuerat: ea erat de Ripadei ad Galleciam comitatu, cuius ditionis tractus anguſtus quidem, ſed ſoli amœnitate & vbertate, cæliq́ue ſalubritate, nulli Gallecię principatui poſtferendus. Comes ob antiquam ſuę familiæ in reges obſeruantiam, priuilegio non vulgari iam olim fruitur: nam die feſto Epiphaniæ, quo reges noſtri lautiùs & conuiuantur, & ornantur, epulis regijs accumbere conceditur, & veſtitu quo rex tectus fuit donatur: idq́ue quotannis. Hunc ergo comitatum Villandradus paulò ante poſſederat. Is duas vxores ſterilitatis cauſa allegata repudiauerat: Iſabellam Caſtannam primò, & deinde Ludouici Biberi filiam: Leonoramq́ue genere Mauram, libertam ſuam, vxorem duxit: ex qua Rodericum filium ſuſcepit, cui Anricus Almirantus filiam nothã vxorem dederat. An is legitimus haberi deberet, & priorum vxorum nuptiæ ratę non eſſent, à Ferdinandi catholici tempore magna contentione controuertebatur. Nam Maria Vlloa multi nominis fœmina, Sarmento comiti Salinario nupſerat, qui Villandradi ex ſorore nepos erat, ad quem comitatus pertinebat, ſi Rodericus Leonoræ filius ſpurius iudicaretur. Qua de cauſa Maria Vlloa Roderico litem intenderat filij nomine, quem ex Sarmento genuerat. Rege catholico viuente, nunquam Rodericum legitimum eſſe declaratum eſt, quanuis Almirantus id vt fieret multum laboraret. Fuerat quidem Biberę matrimonium ſententia iudicis à Pont. Max. delegati

ti diremptum, & nuptias cum Caſtanna irritas fuiſſe non dubitabatur. Ximenius cui Rodericus pupillus certus hæres eſſe videbatur, comitem eum Ripadeum appellauit, curabatq́ue ſedulò vt talis haberetur. Sed quoniam in Mariæ Vlloæ partes multi regij Senatores inclinabant, quos Compoſtellanus & Burgẽſis Antiſtites, Velaſcus etiam, & Mendozius reguli, omni ſtudio ſolicitabant, cognitionem cauſę ad Pintianum tribunal remiſit, vbi de more ad exitum perducerent. Sed qui aduerſus potentiſsimos regulos aliarum cauſarum lites diffiniuerat, vnius fœminę opera vincitur. Nam rurſus Maria Vlloa in contrarium nitente, regemq́ue multipliciter captante, literę tandem ab ea allatæ ſunt, quibus Ximenij mandata irrita fiebant: & Sarmentus Salinarius Ripadeus comes tandem pronunciabatur. Nam Belgæ, quos pręteriti tumultus malè habuerant, cùm adhuc per Mariam Vlloam nouis terroribus retardarẽtur, feſsi potiùs rerum grauitate, quàm Ximenij potentię in re non admodũ difficili diffidentes, noluerunt poſtremò experiri, quid ille etiam in hac cauſa poſſet. Id Ximenius moleſtè tulit, & literas ad Carolum dedit querelarum & doloris plenas. Ad Belgas autem aulicos, ſe ſatis quid in Hiſpania poſſet perſpexiſſe, quare nõ eſſe cur timerent: ſed omnem potius curam in Neapolim, & Siciliam cõuerterent, vbi noui tumultus ſubinde oriebãtur. Se grauiſsimè dolere, quòd puer pupillus, cui pater viuens comitatu ceſſerat, nullis nunc allegationibus prolatis, ſtatu eſſet deiectus. Addidit etiã aliquot vltramõtanos regulos, libello ex iuris formula propoſito, aduerſus literas regias in pueri fauorem interceſsiſſe. Quoniam nihil acriùs omnium animos irritat, quàm iuſtitiæ peruerſa adminiſtratio. Nihil ſuper ea re Belgę reſponderunt, ſed potiùs cùm nouos quotidie tumultus emergere viderent, regis pręſentiam neceſſariam eſſe demum ſentientes, vt in Hiſpaniam primo quoque tempore traijciat decernunt, deq́ue ea re certiorem Ximenium faciunt. Ille claſſem apparatiſsimè inſtructã, cui Gometium Buytronum virum inter Cantabros præſtantem præfecit, ad regẽ omnium votis, ſed ſuis præſertim exoptatiſsimum, in Hiſpaniã deducendum mittit. Portus omnes & ſtationes Oceani, cum Callaici, tum Cãtabrici explorat: & quoniã nõnulla maritima loca peſtilentia laborare nouerat, ſalubriora magna diligentia cuſtodienda curat, & magna annonæ abundantia inſtruit. Ferrerę quatuoruiro, experienti viro, horum curam tradidit, & Buytrono ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad classem instruendam,executorem & comitem dat.Ipse verò quò regi aduenienti maturiùs occurrere,& rebus disponendis præsto esse posset,quanuis corpore imbecillo, regium comitatum Madrito mouet,& Arandam ad Duriam flumen sitam contendit.Placuit illud oppidum ob multa,sed ob vicinum cœnobium Franciscanum pręcipuè,amœnissimo in loco ædificatum ad Aquileram vicũ,quod eius valetudini aptissimum putabat.Turrilacunam natale solũ Ximenius obiter inuisit,veluti telluri genitrici vltimum vale dicturus: nam illac Arandam eunti transeundum erat. Secum Ferdinandum principem,Caroli fratrem,adducebat.Comites sequebantur, Adrianus,& Armastophus legati:nam Laxaus,quemadmodum & cæteri qui in comitatu regio erant,alius aliò,vt solet,diuerterat.Postridie diui Laurentij,qui dies ad tertium idus Augusti est,Turrilacuna Ximenius discedit.Venit altero die Bozeguillas,montanum vicũ, vbi prandenti fama constans apud nostros est,venenum fuisse propinatum,cuius vi paulatim contabuerit.Nam post eas epulas solito grauiùs ęgrotare cœpit:nec multò post sanies per aures,& vnguium iuncturas erupit,reduuijs persimilis. Multa veneni famam confirmarunt:nam quo die Bozeguillis est pransus,eques quidam Marquinæ Franciscano prouincię Cismontanę prouinciali ministro,& alijs magni nominis monachis,quos Ximenius accersierat,occurrit, capite fascijs obuoluto ne agnosci posset,qui Madritum petebat. Hic monachis dixisse fertur,si ad Cardinalem itis,diligẽtiùs festinate,vt eius prandium anteuertere positis:& diligenter monete,ne ingẽtem troctam,quę illi condita est gustet,habet enim venenum pręsentaneũ. Quòd si seriùs peruenerritis,curate vt animę suę de more Christiano consulat,neque enim veneni vim superare poterit.Marquina homo syncerus,totã rem Ximenio patefecit.Ille verò quãuis huiusmodi rumoribus non multum fidei habere esset solitus,si quid huiusmodi ô pater,mihi accidit,ante hunc diem accidisse certus sum :nam lectis quibusdam dum Madriti essem è Belgio literis,oculis venenum hausisse mihi sum visus:nam ab eo tempore notabiliter languere cœpi: sed hoc etiam mihi non fit verisimile.Deus qui omnia ineffabili sapientia moderatur,ęgritudines dat,& idem aufert:illius arbitrio fas est,nos & nostra permittere. Aliquando etiam dixisse medicis fertur,se proditorum perfidia perire.Porrò Franciscus Carrillus , qui Ximenio Bozeguillis ministrabat,cùm troctam de more pręgustasset,

set,vehemẽter ęgrotauit.Erant qui veneficij authorem è Belgica aula prodijsse dicerent.Nam ex literis eius,& mandatis ad Carolũ per Lupum procuratorẽ missis,abunde Ximenij animum intellexerant de regis aula mutanda,& Belgis in patriam amandandis. Et tanta esse authoritate & gratia apud regem Ximenium videbant, vt id facilè effecturum crederent.Nonnulli Baracaldum nefarij sceleris administrum faciunt.Erat ille fronte parum verecunda,& pecuniæ auidus,cuius fides ob legationẽ apud Belgas malè actam vacillauerat,videbaturque Belgis addictus plus satis,& obstrictus.Literas etiã nomine Ximenij Gallicè scriptas in Belgium tulit,quas ille suas esse negabat: & Didacum Lupum hortatur, vt eas studiosè quæsitas ad se transmittat.Ab eo tempore Ximenium decreuisse,in subsignandis libellis,literisue,Baracaldi opera non vti,ex epistolis Abulensis satis constat,qui in illius mores nimis inuehitur. Sed hic Baracaldo infensus erat, propter pensionem Caurienſem interceptam. Nec cuiquam verisimile videri poterit,nõ aliquò aufugisse, tam atrocis criminis sibi cõscium,& patroni vultum ferre potuisse:nam Ximenium illius opera,& manu semper vsum fuisse, quousq; diem suum obijt,multorum testimonijs planum est.Est apud me Baracaldi epistola,quam septimo Cal.Octob. Aranda ad Didacũ Lupum dedit, cuius tres aut quatuor versus bona fide latinos feci,qui sic habent.Illud autem operępretium est,vt scias Cardinalem communem patronum tam vegeto corpore,& prospera valetudine nunc esse,ob hilaritatẽ(vt arbitror) quam postquam rex noster oram soluit concepit, vt vel in totos viginti annos vitam sit prorogaturus.Certè tanti criminis conscientia perturbatus hæc scribere non potuisset,ad hominem præsertim adeo Cardinali intimum. Lapidibus mediusfidius appetitus & obrutus fuisset à Ximenij domesticis,qui id non potuissent non odorari. Aquilerę oppido exiguo, Valuasius, & Petrus Lerma,si quando ad Ximeniũ veniebant,comitem Baracaldũ adducebãt:neque enim in illo vitę extremo curriculo nisi intimi admittebãtur,& ibi Ximenio assiduus scribẽdi operas dabat.Didacus etiã Lupus,quẽ Baracaldus loco deturbare apud Carolũ voluit,cõstãtissimè affirmabat,falsum id esse,neq; vnquã à Baracaldo attentatũ.Abulẽsis quidẽ,qui multa hominis vitia per arcanas notas numerat,nõ erat hoc pręteriturus,sed tamen mentionem nullam facit. Confirmauit hanc vulgi famam,quanuis mendacem,Baracaldi mors.Solẽt enim homines

Universidad de Deusto Biblioteca

homines ex mortis genere, de anteacta vita iudiciũ ferre. Ille ergo vt à Chebrio repulsus fuit, domum Egidij Baracaldi parentis sui Turdesillas diuertit, qui cohortis prętorię apud Ioannã reginã præfectus erat, vbi grauissimè ęgrotare cœpit: & cũ atra bile vexatus, fenestræ prospectu se oblectare conaretur, mœrore cõfectus animã stans efflauit. Sũt qui mulę calcibus Seguntię impetitũ, dum Romã properat, obijsse affirmãt. Postquã Ximenius Arandã peruenit, tumultuari Pintię cœptũ esse accepit: & vulgo iactari, ea quę de aduẽtu Caroli dicebãtur, à Ximenio cõfingi, qui iter illud ęstuoso tẽpore fecisset nõ alia de causa, quàm vt Ferdinãdum puerũ ad Belgas transmitteret: & Hispania regia prole orba, sub illo maneret: cuius vita diutius produci nõ poterat, ob grauissimã eius ęgritudinem in ætate adeo prouecta: vnde ipsi aut bellis ciuilibus erant laboraturi, aut præda finitimis hostibus futuri. Sed legatis ad Pintiam missis, qui eos de regis aduentu, deque suis consilijs edocerent, extemplo coërcuit. Arandæ etiã ineunte Septembri, de Ferdinandi principis Magistro pædagogo, & plerisque alijs ministris amouẽdis, solicitè egit. Dictũ est supra, Ferdinandum Caroli fratrem, à regibus catholicis, Petri Nonij Guzmani, Oretanæ militię clauigeri curę traditũ: sub mortem Philippi regis, cùm è Senticensi oppido vbi diuersabatur, in arcẽ per Didacũ Gueuarã deductus esset, Catanensis Episcopi Petri fratris studio & cõsilio Pintiã translatũ fuisse: atque hunc Petrũ, Guterio Padilla militiæ Oretanæ præfecto maximo fatis cõcedente, in eius locũ suffectũ fuisse. Vtrunq; verò Ximenio parũ probante, factũ est: vnde simultates inter eos cõtinuò sunt exortę: quas Aluarus Osorius Dominicani ordinis sodalis Astur cẽsis Antistes, qui Ferdinandũ primis literis instituebat, Ximenij odio sedulò augebat. Id autẽ ab Osorij ambitione ꝓficiscebatur, qui ęgerrimè ferebat, Ximenij sedulitate omnẽ spẽ Ferdinando alumno adimi res nouas in Hispania moliẽdi. Nã vt fama incerta vulgauerat, quotquot in familia Ferdinãdi erãt, mirum in modũ cõcupiscebãt occasionẽ aliquam offerri, qua ille rerũ summa potiretur. Indicio fuerũt Guadalupani (de quibus diximus) libelli, multaq; alia temerè dicta & facta. Nam motus Pintianos de militibus publicis repellẽdis, ab Osorio Asturicẽsi magna ex parte cõcitatos esse dixim⁹. Delationibus atq; calumnijs apud Belgas Ximeniũ onerabat: Maximiliano Imperatori sese per intimos insinuabat: vt malè de Ximenio apud eũ loquẽs, irritos optimi viri conatus faceret. Postremò vt

Germana

Germana regina Imperatori nuberet curabat: nã ita fore arbitrabatur, vt aut Carolo aduentũ differente, Ximenio Maximilianus sufficeretur, aut Germana Maximiliano nupta, suis rebus, suisq; consilijs magnũ pondus & momẽtum afferret. Erant quoq; nõnulli qui affirmabãt, Petrum Nõnium, cæterosq; ministros, Ferdinandũ puerũ in Aragoniã transferre velle, & ibi regẽ cõstituere. Nã Aragonios, Ferdinandi catholici memoria, cui puerum vnicè charum fuisse cognouerant, facilè in eam sententiã pertrahẽdos esse existimabãt. Sed hæc omnia, quantum ad fidem & integritatem P. Nõnij & Osorij pertinet, vana fuisse, & ab eorum æmulis in vulgus sparsa, multis argumẽtis cõpertum habeo. Nonnius enim ob mores inculpatos, & insignẽ pietatem, ab Isabella regina pueritiæ Ferdinandi datus est custos: Osorius verò, etsi non admodum sedati ingenij fuit, animi tamẽ in reges fidelissimi habitus est. Verùm cùm Nõnius Osorio consiliorum comite, & nonnunquã authore vteretur, qui partim Dominicanę sodalitatis æmulatione, Ximenio Franciscano semper detrahebat, partim quòd eum ad supremum fastigium euectum molestè ferebat, factum est, vt vterq; Ximenio etiã parum gratus esset. Vnde nec Nõnij cooptationẽ ad prefecturam Oretanã probauerit, & postea in ordinũ militarium ordinẽ inquirẽs, illum præfectura pellere tẽtauerit. Nam Osorij cõsilijs credẽs, ab abbate Morimundensi, qui in Gallia Belgicã Cisterciensis ordinis magisterium supremũ tenet, suæ cooptationis firmitatem in regis Caroli detrimentum quęsiisse argueba tur, & Ximeniũ in Senatum inquirẽtem diplomatibus Pontificijs, quę Cisterciensi ordini sunt concessa, repellere tentauerit. De quibus Nõnius apud Carolum conquestus est, Gõsaluo fratris filio ea de causa ad Belgas misso: qui cũ Chebrio homine potẽtissimo insolentiùs expostulãs, in eius odiũ incurrit: quare & tunc repulsus est, & deinde à Ferdinãdi custodia amotus. Nã vt erat Ximenius rerum callentior, audiretq; Caroli aduentũ Ferdinãdi familiaribus nõ placere, & Belgarum mores ab illis palàm culpari, Ferdinandi verò indolẽ, & ingeniũ exosculari & prędicare, & Hispaniæ delicias appellare: ne si ipse in bonam partem acciperet, vulgus mobile erigeretur, operępretiũ magnũ esse duxit eos honesta missione dimittere, & à Ferdinando quàm longissimè amandare. Scripserat sæpius ad Carolum hac de re, & paucis ante diebus quàm è Belgio appelleret, eius literę Ximenio Calẽ. Septem. sunt redditę, quibus iubebatur, vt Petrus Nonnius

Guzmanus

Universidad de Deusto Biblioteca

Guzmanus,& Aluarus Osorius,Gonsalus etiam Guzmanus cubicu
lo præpositus,& Sanctius Paredius œconomus,qui omnes Ferdinan
do erudiendo,& in rebus quę ad eum pertinere videbantur,curandis,
egregiam hactenus nauassent operam,quietam post hac vitam age
rent:se enim eorum rationem propediem habiturum, vt homines
id ętatis otium tenere possent.De reliquis verò,qui in Ferdinādi fami
lia erāt,facultas Ximenio dabatur,vt ex dignitate regia disponeret.
Si hæ Caroli literę in tempore ad Ximenium peruenissent, magna
facilitate,quæ eius erat prudentia,negotium confecisset. Nam ad se
puerum vocare potuisset,& Caroli fratris voluntatē blandè insinuas
set:docuisset in magnam eius vtilitatem futurum esse,si Caroli iussis
acquiesceret.Sed Veredariorum pręfectus,dum de regis in Hispaniā
nauigatione suscepta in illis agi putat,& tam exoptati nūcij pręmia
à singulis regulis & proceribus per ministros corrogat, totos quinq;
dies fasciculum literarū domi retinuit. Accessit etiā & secūda remo
ra.Nā cùm Ximeni' valetudinis gratia,in Aquilerę cœnobiū seces-
sisset,nihil interesse veredari' putauit,illi redderētur an Adriano,qui
Arandę erat,vt ad Ximeniū trāsmitteret.Adrianus verò siue de ad-
uētu Caroli solicitus,de quo fieri certior cupiebat,siue humano vitio
res arcanas cognoscendi, siue potiùs à Ferdinandi familiaribus, qui
iam ali quid olfecerant instigatus,fasciculū soluit,& ex literis quę ad
se erāt datę negotium cognouit:Ferdinādus etiam suas legit, & rē o-
mnē inter suos vulgauit,adhuc Ximenio insciо:qua de causa ex Ca
roli præscripto nihil potuit à Ximenio confici. Adrianus in errore,
aut culpa potius fortasse fuit,qui integrum fasciculum ad Ximeniū
vt inscriptio faciendum esse indicabat,reijcere debuisset, aut tacitus
rem integram seruare cum illo cōmunicandam. Sed fieri potuit, vt
qua erat animi simplicitate,priùs literas Ferdinando tradiderit, quā
suas legerit,& serò factum doluerit.Ergo postquam Ferdinādi mini
stri rem intellexerunt,dolore maximo sunt affecti:& quanuis nullū
in puero præsidium esse videbant,tamen in re desperata eius etiam
opem implorandam putarunt.Quare eius se fidei & tutelę commē-
dantes, omni prece ab illo efflagitant, vt cum Ximenio enixè con-
tendat, ne ante regis aduentum quicquam moueat: & vt sunt pue-
ri creduli, in eius contemptum & contumeliam, id negotij à
Ximenio fuisse procuratum persuadere sunt conati. Postridie e-
ius diei, Ferdinandus puer Asturicensi Antistite tantum comite,

nam

nam.P.Nonius ægrotabat,& Adrianus erroris sui causa,negauit se
ad Ximenium iturum,& probè suorum oratione instructus,Aqui-
lerā ad Ximenium venit,cuit Beiarensis dux,alijq; reguli fortè ade-
rant,qui extemplo digressi,locum Ferdinando sine arbitris reliqueрunt.Ergo penè lachrymis erūpētibus,secū indignè agi cū Ximenio
conquestus est,q; antiquis fidissimis & optimis ministris,quem sui a
mātissimum esse existimabat,sine vlla causa priuaretur. Igitur illū
per aui Ferdinandi memoriam,per Isabellæ reginæ erga ipsum me-
rita obsecrat,vt tam insignē contumeliam sibi fieri nequaquā sine-
ret,integerrimo custode,præceptore appositissimo,obsequētibus mi
nistris,coæuis deniq; quibuscū libenter cōuiuebat,per summū dede-
cus & iniuriā ablatis.Pueri pectus dolore accensum Ximenius blan
do sermone demulcet:omnia magna de eius incremento,deq; sum
mo apud fratrē loco modò illi pareat pollicetur.De cōtumelia verò
quā tantopere dolebat,se longè aliter sentire,cui propter ætatē & lō
gam rerum experientiā,propterq; summū amorē,quo semper eum
prosecutus fuerat,æquum erat vt consulenti crederet.Officia in mi-
nistros iure quidē deberi,sed cariores esse qui nobis sanguine coniun
cti bene monent.Cogitaret ergo,affectu illo quē famulorum ver-
bis conceperat deposito,id à fratre omniū regū potentissimo,eiusq;
in primis amātissimo,sine vlla exceptione iuberi,cui repugnare nec
tutū nec pium erat.Quòd si aliorsum atque ille fecisset acciperet,of-
fensiq; animi,aut parū grati significationē daret,se & sua in manife
stum discrimē adducere:& suis familiaribus damna, & detrimenta
maxima creare,dum parū cautè curat consulere.Nihil Ximenij di-
ctis pueri animus semel persuasus mouebatur.Amorē (inquit) tuū
erga me multis in rebus hactenus sensi,nūc tamē cū maximè mihi
opus erat,nescio quò tandē auolauit.Ergo quādo tibi propositū est,
me & meos omnino perdere,quibus parua temporis dilatione suc-
currere possis,curabo ipse rationē inuenire,qua mei nihil detrimen
ti capiant.Ximenius iam tunc paulò irritatior, asperiori oratione
adortus,age quod libuerit Ferdinande,nā ego per caput Caroli tui
fratris iuro,quod etiā si Hispania vniuersa aliud niteretur efficere,
nō posset quin cras ante solis occasum,regis mādata sint cōfecta,qui
bus te ante omnes parere oportet.Quæ simulatq; à Ximenio dicta
sunt,Ferdinādus animum virilē ante annos gerens, tāta incessus mo
deratione,& vultus constantia ab eo Arandā reuersurus digreditur,

Dd quanta

Universidad de Deusto
Biblioteca

quanta ætate iam matura potuisset. Ximenius verò pueri & oppidi
custodiam, Cabanillæ & Spinosæ cohortis prætorianæ præfectis ad
se accersitis, commẽdat: iubetq;, vt præsidijs militaribus ex finitimis
locis conuocatis, excubias per noctis vigilias agant: omnemq; exi-
tum Ferdinandi ministris intercludant: ne quod postea ab illis ten-
tatum fuit, cum puero regio aliquò diffugerent, & motus cõcitaret,
iam rege in Hispaniam vela faciente. Ita gnauiter & strenuè Spino-
sa se gessit, vt priusquam Arandam Ferdinandus venisset, quem Ca
banillas deducebat, custodiæ expeditæ & in procinctu essent, conti-
nuoq; fuerint suis locis dispositæ, quod mirè omniũ conatus cõpres-
sit. Ea nox insomnis & turbulenta Ferdinãdo, & eius ministris fuit,
dũ inter se cõmunem fortunã dolent. Vox Ferdinãdi à cubiculi mi-
nistro, qui prope stabat, grauior quã pro ætate excepta est, Ximenio
si in proposito persisteret inimicitias capitales minãtis. Cui cũ No-
nius, Osorius, & cæteri qui aderãt dixissent, quopacto se id facere co
gitaret aduersus hominẽ potẽtissimũ, & tot præsidijs militarib⁹ mu
nitũ: simulabo (inquit) me ad matrẽ reginã proficisci, & iter quò li-
bueritdeflectã, & quẽ mihi aduersantẽ offendero interimã. Ergo cũ
aula discedendum videret, syngraphas à Ferdinãdo impetrarũt, qui
bus pollicebatur se illos in familiã reuocaturũ, simulac sui iurisfactus
esset, & maioribus aucturũ honoribus. Quod Castillegij indicio, qui
ab epistolis Ferdinãdo erat Ximeni⁹ cũ in eius familiã inquireret, co
gnouit. Ferdinãdus ex suorum consilio, regios senatores, & duos põti
ficis max. nũtios, & quotquot aderãt episcoposad se vt venirẽt, rogat.
Quibus Caroli regis mãdata exponit, sibi quidẽ, & suis grauia, sed tñ
libẽter ferẽda. Esse tñ vnum, quod pro ipsorũ debito in regiã sobolẽ
officio, ab illis peteret, vt quãdo suorũ familiariũ dignitatẽ & fidẽ lõ
ga experiẽtia nouissent, & quã paratis & obsequẽtibus semper illis
vsus fuisset, ad fratrẽ regem de ea iniuria & cõtumelia literas darẽt.
Quod cũ id se facturos respõdissent, nõ est illos amplius moratus. Xi
menius per Baracaldũ cũ Adriano egit, vt ad se P. Nõniũ, & Osoriũ
episcopũ, & Gõsalũ Guzmanũ adduceret: velle enim cõsilij sui ratio
nẽ illis exponere, & querelis, quas de eo iactabant, satisfacere. Ergo
post expostulationes factas, & Ximenij respõsiones, ad hoc tãdẽ vẽtũ
est, vt se dicerẽt quod imperatũ esset facturos: orare tñ vt authorita
te sua & gra, qua multũ apud Carolũ valebat, eorũ iacturã & dãna
curaret resarciẽda. Ximenius qui eorũ animos explorabat, vt si mi-

nus iussa comprobarent, Arandam redire omnino vetarẽtur, postq̃
obsequentes est expertus, reuertẽdi locus est datus, resq; suas eo die cõ
ponẽdi. Igitur ab alũno ęgrè diuulsi, ante solẽ occidẽte Nõnius Oso
rius, & Gonsalus Arãda discedũt. Ni id fecissent, aut Nõnius quò mi
nus id facerent impedimẽto fuisset, decreuerat Ximenius eũ ad Ore
tanũ præsidiũ mittere, vbi in arcta custodia teneretur, donec Caro
lus in Hispaniã appelleret. Ferdinandus Aquilario Marchioni, cui
multũ Ximenius deferebat, interea traditur: nã Alphõsus Tellezius
cuius curę cõmendari à rege iubebatur, Arãdæ nõ aderat. Tres de
trigintaveteres ministri ex familia Ferdinãdi sunt amoti, in quorũ lo
cũ inferioris cõditionis homines, ne animos efferrẽt, cõsultò assum-
pti sunt. Seuerũ Aquilã equestri rei propositũ, & Moschosum puerũ
Altamiræ vicecomit ẽdimissos fuisse, mirũ fuit: nã ille Sãctij Aquilę
& Isabellę Carauaialæ filius, matris causa retinẽdus credebatur, quæ
Ferdinandũ omni diligẽtia & cura nutriuerat, tãtaq; fide de reuerẽ-
tia Carolo fratri exhibẽda apud puerũ assiduè agebat, vt Nõnius &
Osorius inciuiliùs nõnũquam cũ illa egerint, exploratricẽ appellan
do, quã pollicitis Ximenius submitteret. De Moschoso verò, parẽtis
optimi viri & fortissimi causa, qui in Africanis expeditionibus obie
rat, oĩa fausta & ꝓspera sperari poterãt, præsertim illa in ætate & prę
clara indole. Erat Moschosus liberali facie, corporea gili & cõpacto,
& ingenio ad res oẽs tractãdas dexterrimo, ob quas dotes semper Fer
dinãdo fuit carissimus. Nã siue artẽ armorũ ludicrã exerceret, siue se
rij quid tractaret, siue ad literarũ studiũ cogitationẽ cõuerteret, hic o
perã similẽ daturus pręsto erat. Idcirco hũc à se diuelli impotẽter Fer
dinãd⁹ doluit: atq; ob hoc multũ sibi Carolũ debere affirmabat. Co
gitauerat Ximeni⁹ de Moschoso nõ amouẽdo, & proculdudio fecis
set, ni illi Orosius fuisset patruus. Hinc facilè cognosci põt, quã seue-
rus ac penè dur⁹ Ximeni⁹ fuerit, qui puero bene nato amabiliq; & ho
minis de se benemeriti filio parci noluerit, ne apud Ferdinãdũ vlla
Osorij soboles relinqueretur. Ob rẽ tã celeriter cõfectã oẽs admira-
tio inuasit, & religiosè curabãt officiũ facere, vt à Ximenio probarẽ
tur. Alphõsus Castillegius in familia Ferdinãdi mãsit, nã homo mu
sis, & poẽsi dedit⁹ innocẽtiã suã prę se ferebat. Belgæ tñ nõnihil sedi-
tiones subueriti, vt ad Marchionẽ Asturicẽsem, & ad Lemosiorũ co
mitẽ, Nũnij & Osorij ꝓpinquos, literas Carolus daret, effecerũt: quos
hortabatur, ne vllo modo Ximenij actis impedimẽto essent. Sed Xi

Universidad de Deusto
Biblioteca

menius suæ virtutis & potentiæ conscius, ex authoritate regia nõ se
facturũ putauit, si eas literas Asturicẽsi & Lemosio redderet: atq; hoc
ipsum sæpe multis in rebus fecit, parũ curans quid Belgę trepidarẽt.
Seniores quos vsus ac rerũ prudentia edocuerat, rerumq; euẽtus attẽ
tius contẽplabãtur, Ximenij factum, vt quieti reip. necessarium, ma
ximè laudabant. Paulò anteq̃ hæc gesta sunt, Antonius Rogius Gra
natẽsis antistes, qui regio senatui præfectus erat, ad Carolum scripse
rat, Ximeniũ ambitione cuncta moderãdi, quid Ferdinandi familia
res agerẽt præsensisse, & cum eis quoq; fœdus fecisse, vt in omnẽ euẽ
tum puerum sibi magis deuinciret. At Ximenius hęc quæ diximus
de familia Ferdinãdi tacitè machinabatur. Aquilarius cuius vicariæ
curæ Ferdinãdus cõmissus fuerat, ita probè seueritatẽ cum comitate
miscẽs, puerum tractauit, vt ipse per literas sit Carolũ deprecatus, ne
Aquilarius, donec ipse in Hispaniã veniat, quod propediẽ futurũ spe
rabatur, à sua familia amoueretur. Ximenius etiã literis suis Aquila
rij fidẽ & industriã mirificè cõmẽdauit: & vix aliũ inueniri posse dixit
qui incorruptiùs & obsequẽtiùs quicquid ipse pręscribat exequatur.
Nã Alphõsus Tellezius, quẽ ad id munus obeundũ designauerat, om
nia ex Ascalonij voluntate, cui cognatus erat, facturus videbatur. Di
dacus aũt Gueuara, de quo pręficiẽdo cõsultabatur, Velasco comesta
bili admodũ deuinctus erat. Quod si incõstantię notãvererẽtur, pos
se Chebriũ de regis voluntate, illius muneris curas partiri, & Aquila
riũ cubiculo pręficere, Telleziũ verò vniuersæ familię. Quanq̃ nullã
leuitatis animaduersionẽ incurreret, si donec ipse adsit, Aquilarius
in munere cœpto perseueret: idq; ita reperio essefactũ. Posthęc, cũva
riavaletudine apud Aquilerã Ximeni' esset vsus, sanie, quã diximus,
copiosiùs ex auribus dimanãte, visceribusq; ipsis grauiùs affectis, quo
rum in homine sene difficilis semper curatio fuit, magis de eius salu-
te timere familiares & amici cœperũt. Fama igitur crebra iactauerat,
Ximeniũ morbo lethali laborãtẽ, in cœnobio Frãciscano abditum,
reip. curã prorsus abiecisse. Quod vt in Bętica vulgatũ fuit, indeq; in
Africã delatũ, Petrus Gironius Assyndonẽses cõtinuò inuadit. Mau
ri cũcta eo ægrotãte negligẽtiùs curari existimãtes, orã maritimam
Granatę proximã infestare audacter tẽtauerunt. Turcæ, qui nuper
Algeriũ occupauerãt, Horuscio Barbarossa duce, Oranũ Ximenij de
cus, & trophęũ, magna vi militũ adoriri destinãtes, ipsam propediẽ
inuasuri nunciabãtur. At Ximenius qui animi vigore, quãtũuis cor
pore

pore debilitato esset, nunquã destituebatur: ad Gironij motũ cõpri-
mendũ qui mille & quingẽtis peditibus ex agro Vrsaonensi congre-
gatis, apud Moronũ alias copias conuocabat, Quignonio Lunę co
mitĩ, Hispalis præfecto, reip. præsidijs accersitis, iustũ exercitũ cogat
iubet, eoq; in Gironiũ feratur, donec aut captũ ad se viuũ perducat,
aut interimat. Id à Quignonio præclarè curatum est. Anna Aragó-
nia Assyndonẽsis reguli vxor, gẽmas & lapillos, omnemq; mundũ
muliebrẽ, ne reip. ærariũ exhauriretur, Quignonio liberaliter obtu-
lit. At Gironius pater intelligẽs Villafratensem culpã denuo suscita
ri, cuius nõdum veniã à rege cõsecutus fuerat, & publica pręconis vo
ce eius bona fisco regio addici, & adhuc Ximeniũ spirare & valere,
supplices literas ad eum mittit, quibus filij errorẽ & peccatũ depreca
tur: & se protinus operam daturum promittit, vt ab armis discedat.
Quod quanuis continuò factum fuerit, Ximenius tamen grauibus
interim literis Carolũ hortatur, vt digno aliquo exẽplo, tantã tamq;
assiduã contumaciã eorum plectat. Ex Mauris qui ad tercentũ in ter
rã descẽdentes prædas ex maritimis oppidulis agebant, quinquagin
ta duntaxat elapsi, cæteri capti aut occisi sunt. Aduentũ Turcarũ ad-
uersus Oranum, cum Carolus quoq; dum vela facit, per nauticos a-
liquot prædones cognouisset, de ea re simulatq; in Hispaniã appulit,
certiorẽ Ximenium facit, & vt Orano primo quoq; tẽpore subueniẽ
dum curet imperat: nihil enim grauius eo tẽpore posse accidere, quã
si ille in Africana regna aditus aliquo casu, aut negligẽtia occludere
tur. Se enim assiduè animo voluere, quonã pactõ nomẽ Christianũ
dilataret, & Hispaniæ littora à piratis tutaretur. Ad quæ cõficienda
peraccõmodã stationẽ Oranum esse: ob cuius expugnationẽ, & se,
& rẽp. multum illi debere fatebatur. Lætus eas literas Ximenius ac
cepit, eiusq; proposito laudato, reges eos si historias repetat, beatissi-
mè in Hispania vixisse ait, qui ad eũ modũ religionẽ adaugere cõtẽ-
dissent. Cæterũ de Orano, tanq̃ de propria solicitũ prouincia, per il-
lius vrbis custodes quotidie admoneri, & omnia necessaria prouidis
se. Sed quoniã magnũ hostiũ numerum esse audierãt, cui milites no-
stri pares nõ essẽt, Didaco Fernãdo Comario marchioni, Orani pręfecto præcepisse, vt se intra mœnia cũ suis contineret: satisq; agi à se existimaret, si eã fortiter & strenuè tutaretur. Postea cognitũ fuit, Nu
midas Turcarũ immanitatẽ & potẽtiã formidãtes, eos Oranũ venię
tes adortos, & conserta pugna fudisse, nostros verò solicitudine &

Universidad de Deusto Biblioteca

cura liberasse. Carolus septimo idus Sept. cunctis ferme aulicis inuitis, quibus eo tempore nõ satis tuta nauigatio videbatur, suo tãtum modo cõsilio vsus, orã è Belgio soluerat: & ad Tazones Asturię oppidũ, horridis cautibus vallatũ, & importuosum, quod nemo vnq̃ existimauisset quinto Cal. Octob. cogẽtibus vẽtis classem appulit. Est nõ lõgè oppidũ Villauiciosa appellatũ, quò Carolus corpus è maris æstu curaturus, nauseãq; illam, quã ex molesta & immodica iactatione cõparauerat, depositurus se contulit. Carolũ Leonora soror, quæ primùm Emanuelli Lusitanorũ regi, deinde Francisco Gallorũ nupsit, Chebrius inter cubiculi ministros princeps, Laurẽtius Gorrebotus, Veranius familæ regiæ præfectus, Seluagius magnus cãcellarius, Carolus Lanoius equestris rei curator, Laxaus qui Arãda iã ad illum venerat, sequebãtur, & è nostris permulti, qui in Belgiũ profecti fuerant, quos superius recensuimus. Aiunt eorũ montium incolas insuetam classem littora sua occupasse cernentes, dũ Gallicas insidias, hostilesúe aliquas incursiones timent, fœminas, pueros, & senes in mõtana loca seposuisse, ipsosq; telis assumptis, in mari proximos colles ad vim repellendũ paratos aduenisse: Carolũ eo spectaculo lætatum Hispaniã è regia naui proclamari, & vexilla explicari & erigi iussisse, castella simul & leones ostentantia, regum iã olim Hispanorũ insignia. Armis proiectis regẽ suum in genua procũbentes Astures salutant, regẽq; Villãuiciosam ouantes deducũt, quã Villã dichosam hoc est, fortunatã, vocari voluerũt, satis apposita literarũ permutatione. Velascus comestabilis, qui amplissimã in eo tractu regionẽ possidet, simulatq; ad ea loca regẽ accessisse cognouit, rebus omnibus necessarijs oppidula instruit: annonãq;, quãtũ terra inculta patiebatur, sine vllo pretio omnibus suppeditari iussit. Ipse equitibus septingentis comitatus, qui oẽs familiares, clientes, & propinqui eius cẽsebãtur regẽ reuerẽter salutaturus venit: & protinus est reuersus, ne tãto apparatu commeatum & hospitia augustiora faceret. Nemini postea ex proceribus aut regulis, ea in loca adire cõcessum fuit, donec rex ex illis montiũ angustijs explicatus, in latiorẽ regionem perueniret. Ximenius quẽ morbus ingrauescens per eos dies immodicè afflixerat exoptato nuntio exhilaratus longè valentiùs habere cœpit: atq; ita pristinæ saluti nõ nihil restitutus, qui paulò ante lecto decumbebat, quarto non. Octo. qui dies diuo Frãcisco dicat' est, sacra ad arã astãs celebrauit, & cõmuni mensę, quam refectoriũ vocãt, cum sodalibus Fran-

Franciscãnis accubuit. Sed hæc vt Carolo perquam grata erant, qui animo verè regio, Ximenio de se tã multipliciter benemerito multũ deferebat, & crebris nuncijs Abulẽsem hortabatur, vt in eo recreãdo & restituẽdo accuratè, vt faciebat, occupareturi: ita aliquot ex Belgis molestissima fuerunt, qui illũ omnino sublatũ è medio cupiebãt, priusquã in colloquiũ cum Carolo veniret. Videbant, hominẽ maximæ authoritatis, & ob res gestas summo apud regem in pretio habitum, omnia ex sua voluntate confecturũ: ipsosq; statim, quod palàm Ximenius parũ cõsyderatè sępiusculè inter familiares dixerat, & in notis arcanis ad Carolum scribens subindicauerat, à regijs consilijs esse deturbandos. Igitur ex Parræ & Ianguensis medicorum relatione, à quibus in singulas horas de eius salute certiores fiebant, in quot dies spiritum vitalem producere posset intelligentes, Caroli itinera, dedita opera remorabantur, id vnum solicitè curantes, vt ille priùs viuere desineret, quàm cum rege congrederetur. Non cessabat ille interea per crebras literas regem admonere, quid in singulis rebus facere, quo pacto in obuijs excipiendis pro dignitate se gerere deberet. Nam cũ Belgarum consuetudo & conuictus simplicior multò, quàm Hispanorum sit, vt ad nostros mores vultum simul & sermonẽ componeret, suadebat. Adiecit pręterea, se summo pere curasse, vt nõ mediocris pecunię summa ad Bugię custodẽ mitteretur, quã à Simone Ruizio publicano obtinuerat, datis ad Alphõsum Sãctiũ Valẽtinũ quæstorẽ literis, vt primo quoq; tẽpore ea summa Bugiã deferretur. Nihil enim libentiùs agere, quã ea Africana præsidia cõmunire, & militibus illic collocatis stipendia debita persoluere. Vehementer quoq; probare se ait, quòd ex Panormitanis multis Neapolitanum exercitum sustinere rex cõstituisset. Siculos enim illos re atrocissima & inaudita edita, qui Vgonẽ Panormo eijciẽtes, cũctos senatores trucidarunt, omnẽ pœnã cõmeritos esse. Imò verò ita necessariò faciendũ, modò classis aduersus Mauros instruẽda esset, quẽ admodum sibi per literas significauerat: aliòqui ærarium nostrum, tot impensis nequaquã suffecturũ, quanuis esset probè per ipsum curatũ, vt ditissimũ haberetur. De cũius incrementis, deq; summa vigilantia, quã ne regius cẽsus dissiparetur adhibuisset, rationẽ se coram redditurũ: ob quã gratias non vulgares se reportaturũ esse existimabat: nullas tamẽ maiores optare, quã vt eius animũ, mẽtemq; in corruptam cognoscat, integramq; fidem suam, quam semper in mu-

Universidad de Deusto Biblioteca

nere commisso præstitisset:& illi remp.incolumẽ de manu(vt aiũt) in manum traderet.Atque ita pro laboribus in ea hactenus moderanda exhaustis,id solum petere,vt si quid ipsum deinceps admoneret,ab eo homine proficisci intelligeret,qui paulò ante cunctorum mortalium inuidiam eius duntaxat causa sustinuisset. Mira animi propensione hæc omnia à rege auscultabantur,& omnia ex eius cõsilio gesturus proculdubio videbatur.Belgæ id durè accipientes , in proposito persistebant,ne vnquam congrederentur : atque ita Villa uiciosa profecti,sanctum Vincentium oppidũ,cui Barquera cognomen est,deueniunt,vbi multos dies immorantur:& quò reguli, cæteraq; Hispana nobilitas minus de rege adeundo cogitarent (nam & illos quoque verebantur, ne vt primi apud Carolum essent laborarent) in Aragoniam prius,deinde in Castellam eundum esse, vulgo iactant.Id ne faceret Ximenius monuit,addens vt nihil de rebus publicis aut priuatis constituat,donec ab ipso de regnorum statu, & ærarij facultate doceatur:sed interim omnia negotia in aliud tempus reijciat.Ferdinandum fratrem in Germaniam ad Maximilianum imperatorem vt transmitteret,consulebat:ea tamen prudentia conficiendum,vt omnes intelligerent in Ferdinandi rem id esse, eiusque referre maximè.Sibi autem commodissimam rationem videri,si ex Maximiliani aui patrimonio bonam partem,aut totam illi cederet;quandoquidem ipsi tam amplissima regna Dei opt.max. consilio & prouidentia obuenissent.Post Ximenij mortem hoc Carolum fecisse certum est: neque id tam Belgarum consilio, quemadmodum multos credidisse video,quàm Ximenij monitu:Nam cũ Carolus aquam manibus lauandis posceret,curasse Chebrium aiũt, vt id ministerij Ferdinandus præstaret, quasi inferiorem fortunam sic melius laturus:Carolum verò,quòd pius frater ad id se demitteret,doluisse:cuius hæc tunc vox audita est.Quàm bene Ximenius admonebat.Protinusque illum Verani principis curæ,qui palatij præfectus erat,commendatum,ad auum in Germaniam mittendũ decreuisse,omni studio id Chebrio curante,æmulum amandandi causa,vt tunc peruulgatũ fuit.Ergo dũ Aquileræ valetudinẽ Ximenius curat,testamenti etiã sui tabulas,quas anno eius seculi cũ duodecimo tũ quatuordecimo Cõpluti cõdiderat,& hoc ipso anno antequã Arãdam veniret sub mensem Iulium Madriti recognouerat, mira sedulitate euoluit.Et animæ suæ rebus consulens,quasi vitæ actæ iam iã

Christo

Christo Deo rationem reddituru,omnia attentè inspectabat:& siquid minùs rectè factum videretur,id emẽdari & corrigi studebat. Ob vnum tamen Deo immortali semper gratias se egisse dicebat, quòd in tanta rerum magnarum & variarum mole , neminem damno aut iniuria affecisset:sed vnicuique,citra vllum amoris aut odij affectum,suum ius tribuendum curasset.Antonius Rogius Granatensis antistes,senatus regij præfectus,qui Ximenij rebus semper iniquus fuit,tunc ei incommodandi occasionem nactus,omnes ferme senatores regios solicitauit,vt Ximenio inconsulto Aranda regem salutaturi discederent.Et ne speciosæ causæ defuisse videretur, Ferdinandum puerum secũ deduxisset , ni Aquilarius repugnasset. Præsensit Ximenius quid illi molirentur,& binas Caroli literas ad Antonium Rogium misit,quibus cauebatur, ne ipse aut senatores supremi à Ximenio digrederentur.Non tamen ob hoc ab incœpto cessauit Rogius,tempus iam non esse iactans,vt cuiusquam nutum expectaret.Senatus quæstorius,cæterique aulæ Hispanæ administri in Ximenij comitatu iuxta Caroli præscriptum,manserunt . Postquam id Ximenius resciuit,literas ad regem dedit,quibus de Antonij Rogij & senatorum profectione conqueritur,qui regijs mandatis neglectis,se remq; publicam,& negotia deseruisset.Quòd si ante regis aduentum tale quid designauissent,ita se in eos animaduersurum fuisse,vt triduo nouum senatum,& eius nouum præfectum deligeret:illos verò per summam ignominiam gradu senatorio deiectos,in ordinem redegisset.Quamobrem illos statim indignabundus Arandam redire iubeat,vt qua par erat dignitate,omnes simul illum adeãt.Egrè id factum Carolus tulit,Rogium & senatores acriter per literas increpauit,& vt ad Ximenium reuertantur imperat. Iam prope Pallantiam venerant , quando Caroli literis susceptis eadem via redeundum sibi esse intellexerunt.Omnia potiùs perpeti maluissent,quàm rursus ad Ximenij conspectum reuerti , quem adeo temerè offendissent.Itaque facti culpam deprecantes , Almeriam & Polancum senatores ad eum legatos mittunt,qui ne rursus idem iter relegendum esset cum tot vxorum & familiæ impedimẽtis,vt illic vbi aderant,aut Pallantiæ saltem,expectare cõcederet, obsecrarent,donec aliud à rege ediceretur.Humaniter hi à Ximenio accepti sunt,& nulla animi offensi significatione data,omnem culpam,quæcunq; illa esset,remittere se ait.Cæterùm de Arandam nõ

 redeun-

Universidad de Deusto Biblioteca

redeundo verbum nullũ esse faciendũ,regijs enim mãdatis aliquid detrahere,nemini vnq̃ ex subditis licuisse.Itaq; Arandã Rogio irascentes sunt reuersi,qui itineris suasor extiterat.Longè aliter à regulis factum,qui ad officiorum obseruantiam ex antiqua nobilitate propensiores,sese comites Ximenio obtulerunt.Anricus Almirantus legatum misit,obtestans vt se comite in primum Caroli regis cõspectum venire dignaretur.Ximenius gratias se illi agere pro tãto officio respondit:Anriquesiorum tamen familiam,cuius ipse princeps erat,adeo nobilem & illustrem esse,vt nefas videri posset, hac occasione cuiquã comitem accedere.Iret ergo bonis auibus regi obuiam,sua gente & familia stipatus:vt Belgę intelligeret,quantũ illis nostri proceres antestarent.Haud absimili elogio cõplures alios regulos & proceres,qui se illi obtulerant,dimisit.Hyems interea, quæ in regione illa multò maturius q̃ in Cismõtana aduẽtare solet,rigere cœpit:& Ximenius ex cœnobij Aquilerani nimia humiditate graue damnũ sentire.Decreuit ergo,Roã Siruelani comitis oppidũ,vbi prima literarum rudimẽta didicerat,tanq̃ in terram patriã proficisci,& illuc senatũ etiam regiũ ducere.Ergo socci,chirothecæ, & manicæ pretiosis pellibus,quas Zebellinas vocant, suffultæ erant, ipse etiã villosis vestibus bene contectus,lectica ingressus est.Erat ad pedes prunariũ argẽteum,accensis iuniperi carbonibus,manibusverò argenteũ orbẽ ferro candenti incluso gestabat.Ergo cũ Roã appropinquaret,secũq; Ferdinandũ puerũ adduceret, comes Siruelanus illi obuiã fit:& se vereri ait,ne quoniã olim Roa municipiũ,Infantum patrimoniũ fuisset(sic nostri regũ filios appellant)vnde & eiusmodi ditionis oppida Infantatus quoq; vocarẽtur,Ferdinãdus arcẽ in suũ detrimẽtũ occuparet:nã leuioribus occasionibus propria possessione dominos sępe deturbatos fuisse.Omnia salua se viuo speraret,Ximenius iussit,quo dicto ille cõquieuit.Sedecim aũt millibus passuũ remotior est à Pintia Aranda quã Roa.Facta est hęc migratio.XVI cal.Nouẽbris tãta celeritate,vel quia pestis grassari Arãdæ cœperat vt Abulẽsis scribit,vel q̃ Roa eo in loco situm est,vt facile Pintiã aut Segobiã inde posset iri:nam in alterutrum propediẽ migrandũ esse non dubitabatur.Sed Ximenius Segobiã maluisset,vnde in suã Carpetaneã facilè transire posset.Certè subextremum Sept.cũ meliuscũlè valere sibi est visus,Pintiam laudauit vt splendidam & capacẽ vrbem,& à pestilentiæ fama liberã,& regio comitatui aptissimã postea

stea tamen cùm à sancto Vincentio oppido Aquilarium Campense Carolus venisset,vbi multi ex aulicis Hispanis illum,vt iussi erant præstolabantur:Ximenius literas ad eum.XI.cal.Nouemb.dat,quibus ne Pintiam deueniat iam pestilentiæ morbo laborantem deterret:se enim eo die nuntium accepisse,non ita pridem quatuor homines Pintiæ peste obijsse:totamq; finitimam regionẽ eo morbo grauiter infectam esse.Quare Segouiã diuertendum esse videbatur,vrbem Pintia non minorem,eique rerum abundantia parem:vbi de negotijs agere,& locum conuentibus agendis deligere, & transuectionem militum publicorum contemplari posset, quod se Pintiæ facturum proposuerat:nam stationibus æquo interuallo ab vtroq; oppido distantibus,in hybernis legiones erant.Quanquam de conuentibus statim habendis sibi quidem parum probari:nam populi rebus anteactis commoti,ad res nouas petendas animati erãt.Quare plurimum referre, vt aliquandiu conquiescerent,donec reip.negotijs sine tumultu compositis,regis præsentiam atque imperium vererentur.Esse enim vehementer curandum , vt à principio per summam reuerentiam reges à subditis excipiantur.Hoc prudentissimum consilium neglectum fuit:quapropter parum abfuit , quin resp.euersa fuerit.Dum de loco designando tractabatur,commodũ Roam legati Toletani aduenerunt,qui ab vrbe sua ad regem mittebantur de aduentu gratulaturi , & cum supplicibus verbis oraturi, vt vrbem Hispaniæ amplissimam primis conuentibus celebrandis optare dignaretur.Nam præter eius celebritatem, & aëris salubritatem qua semper fruitur,opportunissimo in loco situm esse,vt vndique ab Hispaniæ ciuitatibus,cuius vmbilicus uideri potest, commodè adeatur.Ximenius,qui iam tum Toletanorum fidẽ, & vrbis naturam,situm & pulchritudinem commendauerat,Regem ita se posse ad Cismontanos deducere sperans,senatus Toletani factum vehementer collaudat:atq; eis ad Didacum Lupum Aialam.XV.cal. Nouemb.literas dedit,quibus ostendit,quàm illi cara vrbs Toletum esset:iubet enim vt legatis se comitem adiungat,& eorum causam Ximenij nomine regi commendet:ciuium integritatem,salubres loci auras,annonæ vbertatem edisserat.Benignè & comiter legati Toletani à rege sunt accepti:verũtamen Belgis parum id probantibus, qui littori proximi esse cupiebant,& in Hispaniæ interiora penetrare formidabant,Pintia tandem commodior visa est.Didacus Lupus

Universidad de Deusto Biblioteca

per hos legatos Ximenium consuluit an Roam iret, de rebus singulis copiosiùs ipsum edocturus. Id ne faciat Ximenius iubet, pedéúe à curia discedat, donec aut ipse alium substituat (nam principem aliquem virum se propediem missurum cogitabat) aut coram, quod mallet, Carolum conueniat: nam sibi vires firmiores iam esse, vt itineri dare se possit. Ergo Carolus priusquam Pintiam veniret, Turdesillas matrem salutaturus ire decreuit. Iam itineri accinctus ad Ferdinandum fratrem, Ximenium, senatumq; regium, & ad omnes regulos literas dat, quibus multis verbis suum consilium de matre regina visenda, declarat. Nam ea de causa, relicto Belgio in quo natus atque educatus fuerat, in Hispaniam potissimùm venisse se dicebat, vt aliqua curarum & solicitudinis parte matrem leuaret, ad cuius nutum semper se accommodare certus erat. Collaudauit Ximenius animi pietatem in parentem: cæterum tam multis de ea re egisse non placebat. Nam si re integra sententiam fuisset rogatus, id ne faceret vehementer hortatus fuisset. Neque enim tam id scribere rex videbatur, quòd factum suum probari vellet, quàm metu aliquo impulsus, ne quid negotij facesseretur, matre ad reip. curam capiendam, peruerso malorum hominum consilio, instigata. Nam multa per reges agenda esse censebat, quorum ratio reddi non deberet. Incidere enim persæpe negotia, quorum ea natura est, vt prius sint cõficienda quã euulganda. Interea Pintiæ hospitia signabantur: vbi quod animum Ximenij offenderet, per quatuoruiros Belgas hospitiorum præfectos, factum fuit. Bernardini iurisperiti domum qui hospitium Ximenij curabant à Belgis poscebant, vt salubrem & Ximenij valetudini peraccommodam. Illi verò Germanæ reginæ esse designatam contendunt, quam Ximenio præferri par erat. Hoc cũ Ximenij ministri ad Ascalonium, qui Pintiæ aderat, & multis à Ximenio beneficijs affectus, eius amicitiam perpetuò coluerat detulissent, cum Teneramunda quatuoruiro, quo cum sibi à Philippi regis tempore familiaritas intercesserat, multa de Ximenij amplitudine, & meritis disseruit: cui non modò in hospitio deligendo, sed in omnibus apud regem officijs, primæ partes iure deberentur. Non esse igitur, cur domum quam eius procuratores postulabant, negaret: ni fortè regium dari palatium mallet, quod ille paulò ante, regis vicarius biennium obtinuerat. Omnia modesta Teneramunda respõdet, sibiq; hominis clarissimi dignitatem iam diu cognitam: cæterũ

regias

regias ad se literas fuisse perlatas, quibus vt Bernardini ædes Germanæ reginæ relinqueret, iubebatur. Ascalonius hæc singula ad Abulẽsem scripsit: & se à Bernardino eiusq; vxore accepisse ait, Albani ducis opera id esse factum. Nonnihil eo nuntio Ximenius cõmouetur, quòd ea de re tractari indignum sua authoritate iudicaret: sed tandem illi domus Bernardini data in hospitium fuit. Sed dum familiaribus quoq; hospitia petuntur, in vicum Pintiæ proximum ire iubẽtur, quod periniquo animo Ximenius tulit. Nam neq; sub regibus catholicis, aut sub Philippo Caroli patre, quando non modò principibus, sed militum cohortibus regia curia erat referta, tale aliquid cũ familia sua actum fuisse dicebat. Nuncverò post tot merita, post tot labores pro Carolo exhaustos, contumeliam sibi pro beneficio reponi, indignissimum esse arbitrabatur. Sed qua erat prudentia & grauitate, omnem animi molestiam cõprimebat: & rege aulicisq; ignaris, id fieri per ministros rerum nostrarum inscios dicebat. Aulici Belgæ, quibus permolestum & graue erat, quicquid in gratiam Ximenij fiebat, nihilq; auidiùs cupiebãt, quã omnem eius authoritatẽ imminutam esse, cũ nimia eius viuacitate offenderentur, repulsam illi struunt: nempe validissimum mentis quãntumlibet cõstantis arietem. Mota Paxaugustanus episcopus, in Chebrij patroni gratiam & sua priuatim causa, vt Carauajalus prodit incitatus, author pessimi consilij fuit: qui vt rex ad hunc modum ad Ximeniũ scribat suadet. Se Turdesillas iter instituere, curaret igitur vt ad Moiados antistitis Segouiensis oppidum, occurreret: vnde postquam de reipu. rebus in commune egissent, consiliumq; ab eo de priuatis rebus componendis, totaq; familia constituẽda sumpsisset, domum quieti suæ consulturus discederet. Sat enim laborum pro rep. subijisse: quorum præmia, quando nemo mortalis dignè tribuere valeret, à Deo opti. max. expectaret: se verò quandiu viuere daretur, memorẽ futurum, & ea obseruantia prosecuturum, qua liberi bene instituti optimos parentes prosequi consueuerunt. His literis à Carolo acceptis, Ximenius se planè reijci repellique sentiens, febri lethali (vt ferunt) correptus fuit. Abulensis verò, qui de hac re ad Lupum scribit, pridie quã hæ literæ Ximenio redditæ essent, sub vesperam ea febri laborasse ait: atque idcirco Caroli literas grauiter iam ægrotanti datas non esse, sed ad senatum regium missas. Adriano verò qui eas literas miserat. VII. idus Nouembris rescripsisse, quo in statu Ximenius esset:

nam

Universidad de Deusto
Biblioteca

nam eo ipso die quo literas receperat, decimam octauam horam à febris incremento numerari, & medicos affirmare vigesima quarta è vita migraturum: quare certiorem regem faceret, nã fortasse hoc accepto nuncio, propositum de Moradis petendis erat mutaturus. Vt igitur se mori sensit, vitæ sanctissimè actæ præclara documenta dedit. Nam quanuis corpore nimis afflicto & debili, animo tamen, & iudicio firmo, de rerum humanarum instabilitate & vanitate, de immensa Dei misericordia, apud suos breui quodam sermone piè & doctè disseruit. Deinde Christi crucifixi signum complexus, veniam à Deo multis lachrymis efflagitauit, vocans interim in suum patrocinium Diuos omnes, sed ante alios Deiparam virginem Mariam, Michaelem archangelum, Petrum & Paulum apostolorum principes, & Iacobum Hispaniarum patronum, diuum etiam Franciscum, sub cuius instituto vixerat, & Toletanæ ecclesiæ præsides Eugenium & Ildephonsum. Quæ tanta ab illo pietate, atque animi Christiani affectu dicebantur, vt circunstantes amici lachrymas tenere nõ potuerint. Ergo postquam religionis sacra omnia absoluit, vt oleo sancto perungeretur postulauit: & astantibus Petro Lerma, Antonio Roderico, Fontano Archidiacono, & Balbasio, qui moriẽtem pijs precibus iuuabant, & fidei constantiam augebant, subinde versus illos Dauidis repetens. in te domine speraui, antistes sanctissimus & amplissimus, qualem posteritas vix est habitura, animam efflauit. VI. Idus Nouemb. die Dominico, anno sui põtificatus. XXII ętatis verò circiter octogesimo. Cunctis qui aderant mœstissimis, fletus ingens obortus est, qualem patronum, qualemque dominum amitterent inclamantibus. Vox moribundi audita est, qua se libenter quidem mori dicebat, quanquam eius morte rebus Hispaniæ incõparabilis iactura pariebatur. Paulò antequam moreretur, epistolam dictare ad Carolum cœperat, qua illi suam academiam, & cœnobia à se constructa & dotata, familiamque suam suppliciter commendabat, sed digitorum rigido stupore subscribere non valuit. Aderant in vlteriori cubiculo multi ex aulicis dum animam Ximenius ageret, inter quos Vadillus & Collazus militares tribuni, qui Ximenij aulam frequentabant, simulatque obijsse vulgatum fuit, argentea vasa, quæ in abaco de more permulta erant, cæteramque ad manum expositam supellectilem deprædari adgressi sunt: idque omnino confecissent, nisi Coronellus Spinosa, aliquotque ex proceribus

bus prodeũtes, & præsertim Alphonsus Arellanus Aquilarij comes qui cognomentũ ab obtorto capite habuit, eos deterruisset. E cubiculo in quo decubuerat, in proximũ tricliniũ Ximenij cadauer productum fuit, & pontificijs vestibus indutum, in sella vt viuẽs solebat est locatum. Post hæc lecto pretiosis stragulis ornato, & conopeo pẽdenti intecto, componitur. Continuò per Roẽses vicos publica vox præconis audiri cœpit, qua & Ximenij mors denuntiabatur, & oẽs ad deosculandas manus de more inuitabãtur, proposita erratorum indulgentia. Magnus hominũ concursus factus est, non eorum solũ qui Roæ aderant, sed ex finitimis circum circa oppidis. Conditũ fuit cadauer vnguentis & aromatibus, & multò inprimis sale, vt Complutũ asportari posset, vbi se humari iussit. Sed dum iter adornatur, à Roense templum transfertur: vbi quotãnis. VI. idus Nouẽbris illi sarcentatur. Eo ipso die Cisnerus vir iurisperitia & prudentia non vulgari præditus, quem Ximenius semper magni fecerat, & omniũ consiliorum participem habuerat, diem suum obijt: cuius cadauer Cisneros municipiũ, ad paterna monumenta deportatum est. Qui Ximenium Complutũ afferebant, imbribus assiduis toto itinere vehementer impediti, qua nocte vicum Roblegordum deuentũ est, largioribus delapsis aquis magno in discrimine fuerunt. Turrilacuria, Ximenij natale solum, altero die eos excepit: vbi mœrens patria tanto alumno orbata, iustissimo dolore squalens & lugẽs, per agros effunditur: & ad virginis deiparæ cœnobium, quod ipse sumptuosum & splendidum condiderat, innumeris facibus comitatur. Ibi iustis per cœnobij sodales parentationibus exolutis, postridie Cõplutũ delatum est. Academia temporarium sacellum, vndique gradibus funebri veste stratis cinctum, & in eo cenotaphium ad portam Burgensem constituerat. Vt autem proximè aduentare cognitum est, iuuentus studiosa, cœnobitarum fratrum collegia, ordines literarij, omnes mœstissimi, postremò Michael Carrascus iterum rector patribus theologis, collegisque suis comitatus, obuiam ad sacellum processerũt. Altera ex parte, Abbas & capitulum sanctorum Iusti & Pastoris, aduenere, funesta etiam & atrata Ximenij familia paulo post accessit. Tantisper eo in loco constiterunt, dũ preces aliquot funebres, & carmina expiandis manibus accommoda, tam capituli quã collegij sacerdotes, mœstis rhythmis incinuerunt. Cõtentio illico inter canonicos, & collegas exoritur, dũ vtriq; Ximenij cadauer ad suũ fanum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſanum deducere cupiunt. Eam ægrè Abulēſis compoſuit, qui prolatis teſtamenti tabulis, diui Ildephonſi ad collegium Cōplutenſe ædē ſuæ ſepulturæ Ximenium deligere recitans, tandem capitulo vt deſiſteret perſuaſit. Populum verò Complutenſem obuiam progreſſum & multa mœroris ſigna dediſſe certū eſt, quāuis alij cōtrariū aſſeruerint. Nā & duūuiris, & decurionibus pullas veſtes ex publica pecunia datas fuiſſe ſatis conſtat. Certè ea extabant Ximenij merita in ciues Complutenſes, vt ſine piaculo ſecus facere non potuiſſent. Illud tamen diſimulari non poteſt, villas quas ad fœnicularium agrū, non longè à Cōpluto, in aruis Benedicto nepoti vectigalibus, inuitis Cōplutenſibus Ximenius extruxerat, extēplo ab eis dirutas fuiſſe. Ildephonſi collegæ Cardenā canonicum Toletanum rationibus collegij prepoſitum, & communes ædes cum eis incolentē, Ximenio defuncto ſtatim eiecerunt: nōnullaq; alia, quæ magis eius voluntate, quā vllius decreti virtute fiebant, abolere neutiquā ſunt veriti. Multum à Ximenij voluntate Abulenſis teſtamenti executor in parentalibus celebrādis deflexit. Nam cū antiſtes religioſiſsimus palā in teſtamēti principio prohibuiſſet, ne quid ſuperbæ vanitatis, aut vulgaris ambitionis, & arrogantiæ, in eius funere fieret, ampliſſimū factū eſſe ſcimus. Siruelus theologus concionē de eius laudibus, & de temporum inſequentium deploratione habuit. Is quaſi proximā calamitatē diuinans, quæ remp. cōtinuò occupauit, verſiculum illum Dauidis concioni ſuæ thema propoſuit. Increpa feras arundinis, cōgregatio taurorum in vaccis populorū, vt excludant eos, qui probati ſunt argento. Quē aliòqui obſcurū, & myſterijs perplexū, graui & diſerta oratione ad Belgarū aulicorū mores detorſit: qui noſtratibus pulſis, ſibi ſolis apud adoleſcentē regem locū relinquerēt: & aſsiduis ac immodicis prædis ſe, & ſuos locupletarēt. Dies quo humādus Cōplutum infertur, diuo Eugenio primo archiepiſcopo Toletano, lōga olim maiorū religione, nō modò in Toletana diœceſi, ſed per vniuerſam tā Hiſpaniā quā Gallia ſācer eſt. Quā ob cauſam rector, & theologi patres, qua pietate in diuū ſanctiſsimum Ximenius fuiſſet nō obliti, in cuius, & diui Ildephonſi tutela ſuam academiam eſſe voluit, lege cauerunt, vt eo die ſacris anniuerſarijs conditori Ximenio parētaretur fierentq; exequię ampla & illuſtri pompa, concione etiam habita in eius laudē, quemadmodum quotannis celebrari videmus. Sepulchri verò monumentū quo eſt cōditus, è lunenſi marmore cādidiſsimo

factum eſt, in quo eius ſimulachrū indumētis Pontificijs, & paſtorali pedo ornatum viſitur, multaq; alia ſigna rerū variarum in ſepulchri lateribus, tam molliter omnia ſcalpta, vt Praxitelis, aut Phidiæ manibus ducta videri poſsint. In ſepulchri frōte hexaſtichum eſt à Ioāne Vergara elaboratum, quod eius iuuenile ingeniū ſatis oſtēdit. Erubeſcebat uir eruditiſsimus ętate iam matura, cùm hęc carmina multis alijs fuiſſe prælata meminerat. Sed ſic illa ferebant tempora: adſcribam autem ipſum epigramma.

Condideram muſis Franciſcus grande lyceum,
Condor in exiguo nunc ego ſarcophago.
Prætextam iunxi ſacco, galeamq; galero,
Frater, dux, præſul, cardineuſq; pater.
Quin virtute mea, iunctum eſt diadema cucullo,
Cùm mihi regnanti paruit Heſperia.

Anno ab Academia cōdita. LVIII. Alphōſus Mēdocius rector, ſub cuius auſpicijs, vt ſupra diximus, noſtri hi cōmentarij cùm ab Academia probati, tū honeſtiſsimo præmio ſunt affecti, ferreis cācellis miro itidē opere, per Nicolaum Vergarā egregiū ſcalptorē, elaboratis, monumentum cingēdum curauit, ſēdecim quibus licuit ſpatijs, totā Ximenij vitā cælaturis præclaris oſtēntantibus. Nō ab re futurum arbitror, ſi paucis cōplectar, quæ anno M. D. LXV. in trāſferendis diui Eugenij reliquijs geſta ſunt. Nā pręterquā quòd ſempiterna memoria ſunt digniſsima, ad Ximenij etiā hiſtoriā facere videri poſſunt.

PHILIPPVS. II. Hiſpaniarū rex potētiſsimus, eccleſię Toletanę precibus, apud Carolū. IX. Gallorum regē operam piiſsimā dedit, vt ſanctiſsimi martyris Eugenij corpus eccleſię ſuę reſtitueretur. Quo votis eius annuente, quanuis Gallię populis dolentibus, ac potiſsimū ſancti Dionyſij monachis, in quorum cœnobio multis iā ſeculis aſſeruabatur, numenq; martyris non vulgaribus miraculis preſentiſsimum ſentiebatur, in Hiſpaniam per Petrum Manricum canonicū Toletanum, iure quodam poſtliminij reductum fuit. Conſultabant interea Toletani templi patres, an ad ipſos Gallię, & Hiſpaniæ limites obuiā venerabundi procederent, indeq; Toletum Eugeniū deducerent. Qua de re cùm regem conſuluiſſent, viſum eſt, vt Manricus Turrilacunam, Toletanæ diœceſis limitaneum oppidum, & Ximenij natale ſolum, cum ſanctiſsimis reliquijs feſtinaret, vbi tandiu conſiſteret, donec quid facto opus eſſet moneretur. Ventum eſt

Universidad de Deusto Biblioteca

Turrilacunã postridie Cal. Iulias, vbi Eugenius in successoris Ximenij patria magna populorum frequẽtia exceptus, post tam diuturnã à diœcesi sua absentiã, quasi Ximenij laribus sese oblectaret, per totum autumnum diuersatus est. Fuit ea dilatio peropportuna, vt interea Episcopis, quos Toletani Antistitis suffraganeos vocant, ad Synodum prouincialem Toleti congregatis, primus Toletanus præsul Episcoporum suorum humeris in ecclesiam Toletanam inferretur. Sub extremum Nouembris diem, qui inter festos in fastis ascriptus fuit, id factum est, põpa celeberrima, varijs diuorum ferculis, & passionis dominicæ insignibus, reliquiarum capsam multis gemmis & margaritis fulgentibus illustratam, præcedente: quam per vices Philippus rex, & Carolus iuuentutis princeps, & proceres alij subibant: quibus in partem pijssimi laboris Episcopi prouinciales, & templi maximi sacerdotes succedebant. Hoc tanto apparatu, in vrbẽ nostrã multis fornicibus, & amplissimis arcubus ornatã, & magno mortaliũ cõcursu ex omni fere Hispania frequentatã, reliquiẹ illatæ sunt. Nihil illustrius, magnificentius, aut splendidius eo in genere vrbs nostra vnquã vidit. In ẹdicula Dominici sepulchri, quẹ subter arã maximã in templo est, rege iubente, depositẹ fuerunt. Quanquã multi patres in sacello Mozarabũ, quod Ximenius dicauit, Eugenio (vt credi par est) inspirante, collocãdas esse contendissent. Ximenij mors, vt fuit bonis & remp. amãtibus grauis & acerba, sic malis hominibus & seditiosis iucunda & grata. Nam cùm quosdam Senatores regios Senatu eiecisset, & alios, vt merebãtur, ignominia notasset, & inferioris nobilitatis hominibus salaria regia, quibus vt inutiles fuci fruebãtur, abstulisset, potẽtiores verò antiquis stẽmatibus & ditionis amplitudine superbientes, ex ẹquo cũ cæteris viuere primus omniũ edocuisset: fieri non potuit, quin illo sublato gauisi fuerint. Mors enim vtcunq; accidat, quibus ob damna aut iniurias illatas malè volumus, in vindictæ locum libenter accipitur: quãquã generosos homines, in ẹmulorum aut inimicorum morte, & doluisse, & prẹclaras illorũ virtutes laudasse, accepimus: carẽt enim odio & inuidia. Certè Fadricus Albanus regulus, quo cũ de prioratu extorquẽdo tam acriter Ximenius cõtenderat, miris laudibus post mortem efferebat: vnumq; Ximenium fuisse affirmabat, in quo priscum illud robur eluceret, quo nostrates olim excellebant. Quòd si vultus & corporis lineamẽta, animum & mores produnt, operẹprẹtium erit Ximenij habitudinem,

& sensuum instrumenta cõpendio describere: vt qui hac naturẹ parte delectantur, habere possint quo animũ oblectent. Procero fuit corpore, firmo tamen & cõpacto, incessu cõposito innatam grauitatem prẹ se ferente, voce virili & stabili, qualis in heroibus à poëta laudatur, facie oblonga & macra, Fronte ampla sine vllis rugis, Oculis mediocribus, conditis potiùs quàm eminentibus, acutis tamen & acribus, sed vuidis, quales esse lachrymantium solent, Naso oblongo & adunco, quem Grẹci grypum vocant, Narium foraminibus latis amplisq;, Dentibus bene iunctis, sed caninis prominentibus, vnde à ridiculis parasitis elephantus vocabatur, Labris crassioribus & aliquantum diductis, nã superius nonnihil attollebatur, sed citra deformitatem, Infimis auriculis non pendulis, sed perpetua serie ad maxillarum iuncturas hærentibus, Superiore totius corporis parte longior erat quã inferiore sesquitertia ferme proportione. Anno M.D.XLV Andrea abbate rectore, cùm fornix subterraneus, in quo Ximenij cadauer cõditum fuerat, reficeretur, eius calua foras ad lucẽ deducta fuit, quẹ nullis futuris compacta erat, sed osse cõtinuo constabat, qualem aliquando in homine reperiri Aristoteles notat. Animi sententiam breui explicabat, respondebat disertè, nec vnquam extra rẽ vagabatur, erat enim verborum parcissimus, etiam cùm iratus minabatur. Nam cùm beneficij loco aliquid promittebat, multò liberalius rem ipsam prẹstabat, & cumulatiorẽ quã verbis: neque vnquam temerè, prẹterquã de rebus serijs, sermonem faciebat. Sẹpeque illud Ciceronis vsurpabat, nequaquam ita nos à natura generatos esse, vt ad ludũ & iocum facti existimaremur, sed ad seueritatẽ potiùs, & ad quædam studia grauiora. Tamẽ nõnunquam inter familiares suos, qui natura simpliciori & aperta erant (nã hisce hominibus impẽdio oblectabatur) iocis, & risu animũ laxabat seriarum rerũ mole fatigatum. Sed adeo parcè & rarò, vt comitatem potiùs illi non defuisse, quàm comem & facilem esse iudicari potuerit. Dictis Francesij scurrẹ, quẹ sale nigro carerẽt, delectari videbatur: erat enim acri ingenio & dicax. Domi hominẽ mẽte lapsum alebat, qui olim Theologiã didicerat, & tũc memoriter multa recitabat, cuius cõfusis & nõnunquã certis allegationib' oblectabatur. Sãctij Pumilionis breui statura, & ingeniolo gaudebat: quem Ildephonsi collegis & rectori moriens cõmendauit, & mensarũ ministrũ esse iussit: id enim munus diligenter obibat. Maderolli militari & simplici libertate nõnunq̃; fruebatur,

Universidad de Deusto Biblioteca

dum illi per iocum vt monachus fieret ſuadebat,quò mentem ſcele ribus impiatam purgaret.Fuerat hic ad Oranũ tribunus, qui mira quadam dexteritate,multis hoſtibus quibuſcum cominus pugnauit, dextros oculos punctim feriens effodit. Literis mirè videbatur recreari,quarum ſemper ſtudioſus fuit.Solenne hoc illi fuit,vt à prandio & cœna,doctę quæſtiones de rebus præſertim ſacris proponerẽtur,de quibus viri eruditi,qui ſemper illi aderant,diſputarẽt.Audiebat etiam dialecticas iuuenũ dimicationes:bonũ enim agricolã non minus delectari nouis dicebat virgultis,quã arboribus iã fructuoſis: Atra bile nõnunquã vexabatur,quo tẽpore negotijs ſe ſubſtrahebat neq; temerè ab alijs quàm ab intimis cõueniebatur. Quam obrem nõnulla furore potiùs animi,quàm cõſilio geſsit:quemadmodũ Granatenſium Maurorum per baptiſmatis aquam luſtratio ,& Africæ debellandę propoſitum teſtimonio eſſe poſſunt.Cum potentiſsimis regulis obſtinatiſsimè cõtendit,ſed iuſta ſemper ratione pręcedente, vt ſuperiùs oſtendimus.Nam qui difficilium negotiorum exitus perhorreſcũt,atque ea de cauſa rerum agendarũ occaſiones pręternittunt,nõ tam prudentes aut cauti,quàm ignaui & timidi cenſentur. Nihil vnquã grauioris conſilij aut operę aggreſſus fuit,quin priùs ad canonicos Toletanos referret:quibuſcum re cõmunicata,Deum precari iubebat,vt negotium fortunaret.Nam Africanã expeditionem facturus,& Arandã cum regio Senatu profecturus,Toletum ad patres venit,quibus conatus & cõſilij ſui rationem edidit.Quod ſemel faciendum propoſuerat,dicto citiùs confectum volebat:illud Salluſtij vſurpans. Vbi conſulueris maturè opus eſt facto.Si quis parũ cautè aliquid egiſſet,etiam in rebus magni momenti, modò animi voluntas ad nocendum abeſſet,per omnes ætatis gradus nulla indignãtis ſignificatione data, ſiue ea humanitas ſiue potius prudentia erat, diſsimulauit.Dũ Academię exędificandę intentus,in diui Ildephonſi templo fabro lignario crucem ſupra aram maximã clauis trabalibus figenti adeſſet,penè vitæ diſcrimen ſubijt, delapſo in Ximenij caput malleo,ſed numine quopiam ictum auertente, cutim tãtum perſtrinxit.Statim inde diſceſsit nulla voce emiſſa,vitæ humanę caliginem,& pericula reputans. Verborum libertatem in nonnullis magna animi moderatione tulit. Nam Vxamenſi ſacerdoti iudicem priuatũ ſuę cauſæ poſtulanti, cùm reſpõdiſſet optimos vicarios ſe tribunalibus præpoſuiſſe,quibus meliores nec Guadalfajara , nec Madritum

Madritum erat datura. Potuit (inquit ille) Turrilacuna huic regno præſulem dare,& hæ ciuitates non habebunt iudicẽ idoneum tãtulæ cauſę?Ximenius,reguli alicuius fiducia illum procacem fuiſſe exiſtimans,quæſiuit quẽ patronum haberet:pari cõfidentia retulit,ſe ſibi patronũ eſſe,neq; alio indigere.Pol(inquit Ximenius) non poteris te digniorem inuenire.Et hac caſtigatione cõtentus,de iudice dãdo cœpit agere.Contreram cõcionatorem,qui pręſentem Ximenium,ob pretioſas pelles quibus induebatur,acriùs quã par erat reprehenderet,magna animi lenitate ſuſtinuit,& ad prandiũ vocari iuſsit , & eius cõcionem laudauit.Qui perſonã publicã ſuſtinent, vti nõ poſsũt plebeio veſtitu & apparatu:nã purpurę ſplẽdore,& ſupellectilis lautę copia,maieſtas quædam cõciliatur,qua homines in officio continentur. Sed Ximenius,quanuis iſtis in vſum quẽ diximus vteretur, interiores veſtes,& lecti quo indormiebat ſtragula,ſemper ex præſcripto Franciſcani inſtituti habuit.Vitę itaq; triſtioris perpetuò cultor,& ruſticitati quã delitijs propior ſemper fuit,quod de M.Agrippa dictum legimus.Salzedam auſterioris conuictus cauſa ſecedens, cùm menianum,quanuis anguſtum,ante quoddam cubiculum proiectum vidiſſet:hęc eſt(inquit)illa Salzeda,in qua omnia acida eſſe dicebantur?quaſi curioſum opus,& voluptati factum notaret.Quoties ſodales Franciſcani panem & vinum oſtiatim mendicabãt, panem ſine quo viuere commodè non poſſent, iure ſuo expoſcere aiebat, vinum verò delitias meras eſſe,cùm tot perennes fontes vbique ſcaturirent.Nocturno tempore plerunque tõdebatur,ne vllam diei particulam reip.ſubtraheret: quanquam nec illud tempus perire patiebatur,audiebat enim qui grauem aliquem authorem recitabat.Preces horarias,adiutore rarò accerſito,ſolus & plerunque obſerata ianua abſoluebat,vt interpellandi occaſionem adimeret.Sacram ſynaxim celebraturus, publico item loco non gaudebat:frequentiùs in priuata ædicula operabatur,duobus Franciſcanis,viris bonis & eruditis pręſentibus,quos in id munus apud ſe habuit. Simplicem in eccleſijs cantum(quem Gregorianum appellant)amabat,theatrali offendebatur.Templis nec admodum ſpatioſis,nec plurimam lucem admittentibus capiebatur:nam alterutra res mentis intentionem diſturbat , quę in locis ſubobſcuris colligi ſolet. Extremis vitæ ſuæ temporibus,negotiorum & morborum agmine irruente , publicis ſacris intereſſe deſijt:& aliquãtò ſeriùs quã ſolebat in publicum prodibat

Universidad de Deusto
Biblioteca

dibat. Vtrunq; æmuli culpabāt: & apud regem per literas sæpe conquesti, multū detrimēti ex ea re lites capere aiebāt. Qui respōsum re ge dignū acceperunt, plus momēti in vnius Ximenij salute ad reip. in columitatē verti, quàm in omnium priuatorū negotijs. Liberalis ani mi erga posteros argumēta, testimonijs ęternis, de quibus iā dixim⁹, cōprobantur. Quæ verò singulari beneficētia in sui ęui homines cōtulit, multa cōmemorari possunt. Quiomaram Castrā Mārici Naja rensis vxorē, quam ille vt erat ingenio difficili & feroci, domo per cō tumeliam expulerat, Ximenius apud se eo splēdore & dignitate To leti habuit, quā vix apud maritū ducem tenuisset, donec inter eos cō ciliata gratia, in pristinā fortunā restituta fuit. Cuius afflictio cò indi gnior videbatur, quòd Māricus factus fuerat Najaræ dux, ab Enrico IIII. in vxoris gratiam. Huius beneficij Quiomara deinceps memor, quotannis ad Ximenium linteam supellectilem, dulciārij operis bel laria, aliasq; eiusmodi lautitias, veluti perpetuū vectigal, misit. Cùm olim Seguntiæ capellanus maximus esset, Alphōsi Iannij suaui vo ce delectatus: est cur doleas Ianni (inquit) me Archiepiscopū Toleta num nō esse, nā ego te primiceriū creassem. Est autem primicerius, qui chori cantum curat, nunc capiscolum vocāt. Post verò Archiepi scopus creatus, promissi memor ea dignitate illū donauit, addito in literis propria manu elogio, ad cātorem Guadalfajarēsem, ibi enim natus fuerat. Brunetum, qui vt diximus, Ximenio à latronibus ad A quas sextias despoliato, viatico est prosecutus vt Romā adire posset, ad se officij causa venientem, benignissimè accepit: cumq; eo non se mel semotis arbitris familiariter est collocutus, quod perpaucis ille pręstabat. Voluit apud se Brunetū peramplis pręmijs retinere: at ille siue quòd ætate prouectus iā esset, siue quòd aptum nidū, & quod si bi satis erat Segouię haberet, gratias Ximenio egit, à quo multis mu neribus donatus discedit: quę ille tā facili & hilari vultu largiebatur, vt nemo esset qui plura in posterum impetrāda sibi nō promitteret. Quoties digna aliqua aut opima sacerdotia, Toleti in tēplo maximo vacua esse acciderat, ea in filios regulorū, aut in viros aliquos doctri na pariter & moribus pręstātes, iuxta summorū Pōtificum decreta, quę in hac parte mira quadā cōsyderatione ecclesiarū cōmodis cōsu luerant, propositi tenax ad mortē vsq; cōtulit: nam ex claris & nobili bus viris fauorem, ex doctis verò authoritatem rebus sacris conciliā ri aiebat. Qua in re nullo in discrimine nothus, an legitimus esset,

apud

apud eum habebatur, modò is virtute cōmendaretur. Benigna fuis se natura satis cōstare poterit, qui qua fuerit in domesticos caritate cōsyderauerit, & eius epistolas legerit, quibus catholicis regibus, & deinde Carolo nepoti, viduarum & pupillorum causas pijssimis ver bis cōmendat. Fuit in Ximenij familia Ferdinādus Valdesius Archie piscopus Hispalēsis, vir amplissimus, qui duos viros alterū theologū, alterum iurisperitum Ximenium habuisse referebat, diœcesi Toleta nę lustrādę causa, vt pudicas puellas dote cassas, aut parentū auxilio destitutas, honestis viris in matrimonio locarēt. In beneficijs ecclesia sticis cōferendis, pręsertim quę animarum curā annexā habēt, haud vulgarem cōsyderationem adhibuit. Nā proximis quibusq; ex fami lia prętermissis, sæpenumero ignotos aduocabat, homines probos, & in aliorū cōmodis curādis piè solicitos: quos vel mediocri literatu ra pręditos, alijs quanuis doctioribus, minùs tamen strenuis pręfere bat. Dum hęc secū pōderabat, & de singulorū virtutibus certior fie bat, multa nōnunquā sacerdotia penes se retinebat, donec dign⁹ mi nister occurreret. Quod tamē ęmuli quoq; vt cętera culpabāt: ipse ve rò cōsilij sui cōscius, quicquid illi calumniarētur cōtemnebat. Sacris potissimùm Pascharum solennijs, eiusmodi sacerdotia benemeritis distribuebat. Amabat, homo beneficus, habere quod donaret, ne ho mines indignè egētes expectare, donec vacua essent sacerdotia, cogē di essent. Quę vt libēti animo in ignaros spōte conferebat, ita si quis aliquid huiusmodi ab eo peteret, molestè, & grauiter ferebat, & veluti procacē, & parum sui reuerentē auersabatur. Ministris & familiari bus, viris optimis, & efficacibus est vsus: eosq; semper in maius prouehere, nouisq; incremētis adaugere, vt solēt patres carissimos libe ros, curauit. Si quis à familia discedere vellet, nihil aliud rogans aut inquirens, illico abeundi cōmeatum dabat, neq; vnquā rursus admit tebat. Rerum occultarum, quarū sibi notitia à rege nō daretur, adeo se parum curiosum esse ostendebat, vt Lupo apud regē Ferdinādum diuersanti, ne quid tale rogaret per epistolā interdixerit, nihilq; opere in illis rebus inquirendis sumeret. Esse enim vanum & molestum studium in negotio præsertim non admodum necessario: cùm alio qui ita omnia priusquā euulgarētur cognita habuerit, vt nihil sibi re pentinū acciderit, aut occultum diutiùs fefellerit. Ęqui semper ob seruantissimus, iustitiam per se, & per ministros coluit. Quòd si quando munera sua aut parum integrè, aut negligenter obire

Universidad de Deusto Biblioteca

intellexerat,illico magiſtratibus amouebat,quantunuis vinculo arctiſsimo coniunctos. Erat Talabricæ pręfectus Sãctius Villaroellus, quem ille loco propinqui habebat:hic dum rapinis potiùs, quàm reip.curandę ſtudet,eò res impudentiæ deuenit,vt palàm concuſsiones per miniſtros,& per pręfectum fierent. Quare Talabricenſes cõmoti, duos decuriones ad Ximenium mittunt,qui pręfecti flagitioſos mores declararent:quibus auditis,iudicem Ximenius conſtituit, qui in Villaroelli acta inquireret,& querelas,qui illum reum facerẽt cognoſceret,adminiſtratiq; magiſtratus rationẽ ſeuerè repoſceret, poſt quę ſucceſſorem illi dedit. Supremo ſuæ diœceſis tribunali iudices viros doctiſsimos,& maximi ponderis ſemper delegit:ex quibus multi ad Pontificatum deinceps aſſumpti,magiſtri diſciplinã probè retulerunt. Ioannes Velaſcus Petri comeſtabilis filius, Bernardini & Inachi frater,aliquot annos huic tribunali præpoſitus,Calagurritanus Antiſtes demum conſtituitur,& deinde Pallãtinus. Veruntamẽ poſtquam Calagurri præficitur,prępoſiti munus triẽnio apud tribunal Ximenij exercuit: nec recuſauit homo generoſus, Pontificatu haud contemnendo auctus,in familia Ximenij recẽſeri. Sed fuit hæc olim Toletanorum Antiſtitum ſiue authoritas,ſiue maieſtas,vt aliarum eccleſiarum Antiſtites publicis muneribus præfectos,& officijs priuatis adminiſtros habuerint. Nam Rodericus Ximenius Toletanus Pontifex,is qui hiſtoriam Gotthicam ſcripſit,memoriæ prodidit,ſe Guadalfajaræ ægrotantem,in ſuum locum Dominicum Placentinum Epiſcopum,qui ſibi à ſacris agendis erat,ſubſtituiſſe:vt interea regem Ferdinandum Alphonſi noni filium,ad Giennẽſes,Toraphos,& Plegianos Mauros, qui in Carpetaniam incurſus fecerãt debellãdos,comitaretur. Rurſus vt ex hiſtorijs noſtratibus intelligimus,Petrus Tenorius,cuius aliquot ſunt in diœceſi Toletana illuſtria monumenta,Epiſcopos Conchenſem & Segouienſem,inter ſui tribunalis iudices habuit. Petrus autem Gonſalus Mendozius,generalẽ vicarium Epiſcopum Caurienſem conſtituit. Poſtquam Ximenij mors diuulgata fuit, Alphonſus Aragonius Ferdinandi regis catholici filius,Cęſaraugustanus Antiſtes,quem in Toletanum Pontificem creare pater exoptauerat, Turdeſillas Carolum ſalutaturus venit, & ſimul de eccleſia Toletana obtinenda acturus. At Chebrius, qui vt Guillielmo Croio nepoti,pręclarę indolis adoleſcenti cõferretur adnitebatur,aliquot noſtrorũ ſtudijs adiutus,qui diuerſæ factionis odio,

Croium

Croium opibus & honore auctum mallebant, Alphonſum Aragonium Turdeſillas ingredi vetuit,quanuis multum deprecantem, vt ſibi reginam ſororem,& Carolum nepotem viſere liceret. Ergo ad cęteros proceres Pintiam proficiſcitur,vnde poſt regem ſalutatũ, ſpe fruſtratus in Aragoniam ſub extremum Decembrem dimittitur. Quatuordecimo Calen. Octob. Carolus Pintiam ingreditur,ibique conuentibus habitis,procerũ & vrbium ſuffragijs ſexto idus Februarij rex Caſtellæ à cũctis acclamatur. Supererat de diſsidijs inter Chebrium & Gorrebotum,deque Guillielmi Archiepiſcopi in Flãdria, & Seluagij magni cancellarij in Aragonia morte,& de cõuentibus Pintię celebrari cœptis & Compoſtellam tranſlatis,de Hiſpania etiã Belgarum rapinis exhauſta,vnde motibus ciuilibus data eſt occaſio, poſtquam ciuitatum procuratores ad ſuos redierunt, & rex Carolus in Belgium vela fecit,vt ſe poſt mortẽ Maximiliani aui,imperij Romani candidatũ oſtenderet,& Gallo eius æmulo præferri ſatageret, ſcribere. Sed nos iſta alijs copioſiùs tractaturis relinquimus, ſat habentes diſertis verbis profiteri,vniuerſa illa incommoda, quę & tũc maxima fuerunt,& in noſtra prorepſerunt tempora,ceſſaturа proculdubio fuiſſe, ſi Ximenio vita longior Dei beneficio contigiſſet.

Universidad de Deusto Biblioteca

DE REBVS GESTIS

LIBER OCTAVVS.

POTVISSEM hîc desinere, doctis omnibus fortasse approbãtibus, postquam Ximenij rebus pro virili satisfeci. Sed quoniã Cõplutensis Academia, à morte Ximenij conditoris, magna subijt discrimina, & ex altera parte magnos fecit progressus, & vberrimum doctorum hominum prouentum tulit, qui tum illi, tum Hispanię vniuersę Illustri fuerunt ornamento, ad Ximenij etiam historiã pertinere putaui, quędam de vtraque re compendio scribere. Neque enim eruditi homines, qui ab illa prodeunt, minus Ximenij opus censendi sunt, quàm ipsa studiosarum ædium structura, quę vt quotidie nouis fabricis illustratur, sic etiam nouos fœtus subinde edit, qui eas perpetua successione inhabitent, conditorisque sui beneficentiam, & virtutem repræsentent. Ergo Theologiæ schola successorem accepit Michaelem Carrascum, virum doctum, & in disputando acerrimum. Erat in hoc homine tanta morum & vitæ integritas, vt ad summũ magistratum, qui rectoris est, iterùm sit assumptus: & Ximenius perpetuum rectorem esse voluerit, syngrapha etiam data paulò ante mortem, qua id honoris Carrasco tribuere profitebatur. Conditio erat, vel in maiori fortuna nequaquam aspernanda: nam vniuersa Academia, & quicquid ab ea emolumenti emanat, quod & multiplex & non vulgare est, ab vnius pendêre rectoris arbitrio Ximenius voluit. Cæterũ vir prudens, literarias cõtentiones, odia, & communem hominum ingratitudinem, ambientium studia, & eos cõmendantium molestias consyderans, decreuit conditionem oblatam repudiare. Sed amicis ne id faceret suadentibus, coactus fuit syngrapham antequam magistratu abiret, suis collegis ostendere, & eorum sententias rogare, anno primo à Ximenij morte, ab Academia verò condita decimo. Tãtus illico tumultus est exortus, vt Senatu in longius producto, totus ferme dies collegarum contentionibus consumptus fuerit, Carrãza inter alios, & Çuria, & Almarazio, magna vi admittendam pernegantibus. Quod cùm ille animaduertisset, syngrapha discissa, se magistratu extemplo abdicauit. Hic post aliquot annos scholam Theologicam

logicã deserere coactus, in Alphõsi Fonsecę Archiepiscopi Toletani familiam ascitus est, cui à cõscientia expianda fuit. Datus fuisset Philippo principi magister, nisi corpusculi breuitas obstitisset, matre Augusta iudice, quæ illi Siliceũ prętulit: hi enim duo, & Siruelus designati fuerãt. Huic suffectus fuit Ioannes Metina, iuuenis adhuc, sed perspicacis ingenij, & grauis iudicij. Hic plusquã viginti annos Theologicæ scholæ prępositus, tantã sibi laudem cõparauit, vt eius nomen breui celeberrimum per vniuersam Hispaniã fuerit. Erat in eo admirabilis in explicãdo distinctio, adeoq; materiam propositam sine vllis ambagibus colligebat, vt nihil esset tam perplexum aut obscurum, quod vel tardissimus non assequeretur. Et in argumẽto nõnunquam arido & ieiuno, tanta verborũ volubilitate & copia, tãto ordine, tamq; apta & connexa serie, tam intenta contentione, tam firmis sensibus ad rem semper facientibus, tam acutis & veris rationibus vtebatur, vt nihil in illo ad perfectam eloquentiã præter verborum delectum desyderaretur. Qua nempe re animos omnium attẽtos faciebat: qui si semel vagarentur, frustra postea intentionem reuocarent. Concursus vndique ad eum fiebat in rebus dubijs, aut certè parum cognitis, tanquam ab oraculo claritatem petentium. Ex immoderato studio varios morbos contraxit, qui illum indignis modis cruciabant: podagram, calculum, & iliorum dolores. Atque ita ante tempus è viuis sublatus, scholam Theologicã, atq; adeo vniuersam Academiã, sua morte mœstissimã reliquit: neque enim annum quinquagesimum septimũ attigit. Situs est in diui Ildephonsi sacello, obijt anno Domini M. D. XLVI. quod insculptum epigramma testatur. Reliquit suę doctrinę monumenta, libros de pœnitẽtia & restitutione, qui etsi manibus studiosorum circunferuntur (sunt enim multis in rebus cumprimis vtiles) verùm longè maiori cum veneratione is sua verba sonans audiebatur, quàm postea eius scripta leguntur. Eo mortuo Andreas Cuesta scholam suscepit, acri ingenio, & non vulgari prudentia vir, quem ob doctrinam & virtutem, Philippus. II. Hispaniarum rex, Legionensem Episcopũ fecit. Vnde ad Tridentinũ cõcilium proficisci iussus est, & rediens bene rege sta, & doctrinæ opinione clarus, apud Mõtem Sarratum diem suũ obijt. Fuit in eo mira subtilitas, acre ingenium, & certum iudiciũ. Liberales disciplinę multos percelebres viros habuerũt, de quib° alij copiosiùs tractabunt: à nobis tres tantùm hic recensebuntur, Thomas Villanoua

Universidad de Deusto Biblioteca

Villanoua, Alphonsus Pratus,& Didacus Nauerius. Thomas in Ildephõsi collegium cooptatus, artes liberales professus est, & discipulos satis doctos Academię dedit: inter quos Dominicus Soto,& Ferdinãdus Enzinas numerantur. Hic cùm raram indolẽ & ingenij acumen opusculis editis ostentasset, magnamq; sui spem cõcitauisset, immatura morte prereptus fuit: ille verò inter Ildephõsi collegas adlectus, tantos in liberalibus disciplinis, in req; Theologica progressus fecit, vt Salmanticam cõcedens,& in Dominicanam sodalitatem ascitus, in ea Academia Theologicam scholam multos annos fuerit moderatus: scriptisq; eruditissimis orbem repleuerit: & ad res grauissimas tractandas à Tridento per Carolum. V. Imperatorẽ, cui à cõfessionibus fuit, accersitus, magnã sibi authoritatẽ cõparauerit. Thomas verò,& ipse Ildephonsi sodalis, Augustinianum ordinem postea professus, cũ vitæ sãctimonia magis ac magis quotidie claruisset, Archiepiscopus Valentinus factus est: in quo munere obeundo sanctissimè se gessit. Alphonsus Pratus Toleti ortus, ingenij acumine & acrimonia præditus, scholam philosophicam, non mediocriter illustrauit: proutq; illa tempora ferebant, in illis plusquã chrysippeis quęstionũ subtilitatibus, quibus immodicè illa ætas indulsit, magnum nomen adeptus, multos & illustres doctrina discipulos reliquit: inter quos Hieronymum Velascum, virum iudicio & doctrina clarum, qui ad Ildephonsi collegas tunc assumptus, nunc Episcopus Ouetẽsis est. Hic Prati præceptoris in sancti Thomæ cathedra petenda competitor, nõ sine multorum reprehensione, victor euasit, quẽ magistro de se & de rep. literaria benemerito, cedere fortasse æquum iudicabant. Pratus ob hanc repulsam à Ioanne. III. Lusitaniæ rege non multò post vocatus, Conimbriacæ Academiæ, quam rex ille florentissimã instituit, cancellarius est factus. Nauerius ingenij acrimonia, & non ingrata quapiam iactatione feruentioris spiritus homo, rectè eruditos discipulos eduxit, & doctrinæ suę documenta exhibuit, editis de dialectica & philosophia libellis, qui multos annos sunt publicè prælecti. Medicorum schola Petrum Leonem,& hũc quoq; Toletanũ suscepit, virũ excellenti memoria & doctrina, atbilis feruore nonnũquam adeo percitum, vt vix dum publicè profitebatur, sese posset continere. Quare magno impetu in gymnasio deambulans, corpus mirè cõtorquens docebat, nõ sine offensione discipulorum quorũ attentioni officiebat. Habuit hic Ioannẽ Remosum lectionis æmulum

lum, qui cùm non ita pridem ex Italia venisset, ac pręceptorẽ Leoni cenum referret, literarum Gręcarum pręsidio adiutus, in quibus nõnullos profectus fecerat, vniuersam scholã medicinę inuertit, & quæ ad id tempus Arabũ medicorum placita apud Hispanos persanctè coluerat, totam se ad normã Gręcorum cõposuit, Leone ferè destituto. Mirũ in eo homine fuit, quòd cùm ad reliqua omnia ingenio præcipiti, & inquieto esset, in morbis curandis lentus erat, & gradarius: vnde factum est, vt rarò in remedijs ministrandis aberrarit. In diui Francisci templo, magna Academię frequentia sepultus est. In rhetorum gymnasio Ioannes Ramirius Toletanus Nebrissensi successit, vir leni quadam facũdia, & styli elegantia ac puritate excellẽs, tanta verò probitate, & in rebus domesticis tractandis vigilãtia, vt meritò frugi appellari potuerit. Multa scripsit, partim dialogis, in quibus scribẽdis multũ oblectabatur, partim oratione perpetua, ferme ad œconomicẽ cuncta pertinẽtia, quę in lucem nõdum venerũt. Alebat domi adolescẽtes ingenuos, quos & moribus & literis probè instituebat. Ramirio cloquẽtię scholã tenẽte, cũ magis ac magis studiosorũ adolescẽtum cõpia crescẽret, ne ille annis iam ingrauescẽtibus nimio labore fatigaretur, visum est rectori & collegis, legẽ Ximenij de hac re sequentibus, alteram cathedrã rhetoricę cõstituere. Hęc primum Ioanni Fernãdio Hispalẽsi, cuius nũc doctrina Conimbricensis Academia permultum iuuatur, deinde Io. Petreio Toletano commissa est, iuueni ingeniosissimo, qui non ita pridem Complutũ venerat: cuius indoles & dicendi vigor, quemadmodũ excellẽtis artificis signo accidere Cicero ait, simul aspectus & probatus est. Eius tam prompta erat & extemporalis ad dicendum facultas, tã amœno amne, & perenni fluens, tamq; liquido, & minimè turbido, vt medio in latio natus & eruditus, iudicio etiam Italorum, qui illum audierant, videretur. Pangebat etiam venustissima carmina, cuius rei amplum testimonium, editis aliquot per Antonium fratrem eius poëmatibus, quæ apud nostros circunferuntur, datum est. Iustum opus de vita & actibus Mariæ Magdalenæ poëticis virtutibus refertissimum scripsit: cui si vltimam manum addere licuisset, esset profectò opus pręclarum, & vndique absolutum. Lætam sæpenumero Academiam fecit facetissimis comœdiarum argumentis. Multum de eius ingenio sperabatur, ni immatura morte præuentus fuisset: neque enim (vt opinor) quintum & trigesimum annum attigerat.

Universidad de Deusto Biblioteca

gerat.Igitur cùm Academia omni genere disciplinarum florens in dies magis ac magis augeretur,resque theologica quam Ximenius sibi excolendã sumpserat,eò gloriæ, & incrementi processisset, vt Complutensis Academię comprobatio ad res maximas religionis requisita sit:ad integram corporis literarij magnitudinem,atq; mẽbrorum perfectam absolutionẽ,professor in primis desyderabatur, qui sacra bibliorum volumina interpretaretur,quorũ cognitio viro Theologo propositus est finis:qua de re inXimenij legibus nihil cautũ est,quòd eius tẽpore antiqui authores à perpaucis versabantur:sacrasq; literas & primitiuam illã scholã,vt facilem negligebant: quã quia sine disputatione procedebat,positiuã vocabant. Postquã verò homines euigilare cœperunt,& se frustra quęstionibus vacare intellexerunt,nisi antiquitatis & bibliorum cognitio haberetur, magna diligentia virũ ad hanc rem aptum quęsierunt.Oportebat autem linguarum peritia esse prędituin, in sacrisque authoribus euoluendis bene versatum,& maturo iudicio,atq; adeo vaticinãtis spiritu, quod Paulus alicubi prophetiæ donũ appellat,instructum, qui ad id munus exequendũ accommodus esse videretur. Tandẽ post longam cõsultationem,diuino numine rem suam curante,Dionysius Vasquius Toletanus Augustiniani ordinis sodalis, ingenij monstrusi vir, qui tunc in sacris concionibus apud Hispanos principatum tenebat, ac propterea Carolo Cęsari in primis carus,cuius potissimũ erudita & peracri voce,inter palatinos cõcionatores oblectabatur,quẽ nõnunquã stãs audire solebat,ne vel somnus obreperet, vel negotiorũ cogitationes aliò auerterẽt,accitus est. Nouos ipse scripturæ sacrę sensus, qui cũ antiquis certare possent,ingenij acumine,quod in illo admirabile fuit,grauitate iudicij plenos passim eliciebat:materiam magna cũ iucunditate dilatabat:amplificationibus cũ primis eminebat:affectus mirificè inde cõcitabat: & quoties ad ipsam perorationẽ veniebat,tanto dicẽdi ferebatur impetu, tã pręcipiti torrẽte decurrebat,vt animos omniũ vel nolẽtes raperet,& in quãcunq; vellet partẽ flecteret:adeo vt Ramirius de ipso dixerit,nullũ ętate sua pręter vnũ Dionysium oratorem natũ vidisse.Ingenio aliôqui viuacissimo, ex doctrinæ adiumẽtis,quam sibi iuuenis conquisiuerat,multũ roboris additum fuit:nam & in linguis discendis assiduus,in Theologicis disputationibus frequens,& sanctorum patrum lectioni quotidie intẽtus,illustre nomen sibi cõparauit:& in tribus celebribus Academijs

Parisiensi,

Parisiensi,Complutensi,& Toletana doctoratus titulum promeruit, ipsis certatim honores deferentibus.Incidit Dionysius postremis suę vitæ diebus in linguę paralysin,qua mirè eminebat.Quare maximo omnium mœrore Academiã deseruit,& in patriã secessit, vbi eodẽ ferè quo natus est die,vita functus est,vix sexagesimũ excedens annũ. Huic successit Georgius Nauerus,nõ tam excelsi spiritus vir, at doctrina & iudicio insignis,atq; quod maximè illũ cõmendabat, vitæ puritate & sanctimonia clarus.In Theologia tam grauiter,& eruditè instructus fuisse dicitur,vt in primis illis Theologię studijs,cũ nihil aliud quã scholasticæ quęstiones versãtur,quę in priuatis aut publicis disputationibus asseruerat,ex veterum authorũ placitis,suis in fontibus cõsyderatis,cõfirmabat.Is doctrinę causa Pallãtinus canonicus factus,Louaniũ literas Græcas discẽdi cupidine incẽsus,ętate iam decliui cõcedens,nõ mediocriter in eis profecit.In ecclesiã suam reuersus,Complutum accersitur,vbi quanuis Dionysiacę magniloquentię longè impar(erat enim minoribus lateribus,& lẽta ad loquendũ prolatione)attentionẽ audientium retinebat,ad mirabili diligentia omnia veterũ scriptorũ arcana enucleãs.Quod nimirũ in causa fuit, vt Frãciscum Vergarã,Grękę linguæ professorẽ,& magnæ eruditionis grauissimiq; iudicij virũ,aliquot annos auditorẽ habuerit,qua ille re impẽdio delectabatur. Interim à Cęsare apud Belgas Diuodurũ,quã Metin vulgo vocãt,obsidẽte,ad vulneratorũ,& ęgrotãtiũ curã vocatus est.Quod munus cũ religiosè,& sanctissimè Nauerus obiret,è viuis cũ cæteris sublatus fuit.Successit in schola Cyprianus,Cisterciẽsis ordinis monachus,vir tam latina quã vulgari eloquẽtia illustris:qui cùm nõ ita pridẽ vnus è numero scholasticorũ haberetur & ordinis causa inter pręceptores tantũ, & amicos notus esset, post peracta Philosophiæ,& Theologię scholasticę curricula, in linguarũ studijs assiduus, breui tãtũ ingenij acrimonia,qua pollebat,profecit, vt incredibili totius Academię cõsensu,ad eam pręfecturam cęteris omnib⁹ Prælatus fuerit.Magna de eius ingenio,& eruditione in dies sperabantur,sed in medio vitæ cursu omnibus doctis dolentibus raptus fuit,relictis nonnullis doctrinę suę monumentis. Petrus Campus,qui vt retulimus,primus rector, cum vi & potestate Academiã gubernandi creatus fuit,postea inter canonicos Toletanos ad sacrarũ cõcionum munus cooptatus,plusquã.xxx.annis ita piè,& eloquẽter,atque tanta cum varietate eam rem tractauit,vt eo ad populum

verba

Universidad de Deusto Biblioteca

verba faciente, templum aliôqui capacissimum semper auditorum frequentia repleretur. Mirum habebatur in ciuitate acuta & delicata, post tot annorum curricula, nunquam ex sacietate fastidium cui quam fuisse subortum. Vtebatur sermone eleganti & culto, graui tamen & seuero, qui non artificio quæsitus, sed sponte sua fluere videbatur. Accedebat motus gestusque aptissimus, qui eius orationem adeo commendabat, vt vnus eo tempore fuerit, quem aures Toletanæ auidissimè auscultarent. Io. Vergara sepulchralem inscriptionē in amici gratiam composuit, quæ sic habet.

Reuerendo in Chr. Pat. Doct.
Petro Campo, Episcopo Vticen.
Can. Tolet. Theologo, ex cuius
ore concionantis Pop. Toletan.
totos xxxiij. annos cupidissimè
pependit, Dec. Cap. q; Toletan.
Sodali B. M. P. C.
obijt.
Anno Domini M·D.LI.

Alij deinceps insecuti fuerunt viri excellentes: de quibus qui acta Compluten. Academiæ sunt scripturi, multa nō indigna relatu memorabunt. Primus Academiæ cancellarius Petrus Lerma fuit, vt diximus, vir doctrina clarus, & cui plurimum Ximenius in primordio nascentis Academiæ detulit. Hic post Ximenij patroni mortē varijs casibus exagitatus, Hispania relicta Lutetiam concessit. Ibi antiquioris in Theologia dignitatis ratione, primarium locum quoad vixit obtinuit. Ludouicus Catena huic successit, qui in re Theologica Lermam patruum æquauit, & linguarum peritia, & multiplici variarum rerum cognitione superauit. Sunt apud eius hæredes orationes multis eloquentiæ luminibus claræ, quibus studiosorum hominum encomia, qui ad gradus, seu promotiones ascendebant continentur, maximo totius theatri applausu recitatæ. Pangebat argutissima epigrammata, & fauebat ingenijs: barbariemque à Complutensi Academia pro virili propulsandam curauit. Sed hic quoq;, vt eius patruus, graues fortunę ictus pertulit. Episcopus Abderitanus in Granatēsi prouincia, senectute ferme decrepita erat, quāobrē Ludouicus Catena, de quo agimus, Pontificiæ dignitatis cōsors (quem coadiutorem vocāt) est illi datus, vt in eius locum eo mortuo suffice-

sufficeretur: sed maleuolorum hominum, qui eius gloriæ inuidebāt calumnijs, & vt nonnulli credunt, Silicei archiepiscopi opera, alius Abderitano vita functo in episcopatu successit, & noster intra priuatam fortunam neglectus mansit. Hæc repulsa sic totam Ludouici mentem occupauit, vt mœrore confectus intra paucos mēses obierit, relicto epitaphio, quo animi dolorem est testatus: negat enim fas esse sibi infelici cælum intueri. Hactenus nonnullos viros eruditos, & sapientia præstantes retulimus, quorum nonnulli ad dignitates haud vulgares prouecti sunt, ex ijs qui partim à Ximenio relicti sunt, & partim post eius mortem in eius academia eruditi fuerunt. Nunc nonnulla referemus, quæ aut addita sunt eius constitutionibus, aut in meliorem formam sunt redacta. Quarto volumine retulimus, quemadmodum doctore Valladario occasionem dante, Ximenius cogitauerat, de licentiarum (quas vocant) ordine mutando. Nam cùm nostrorum hominum id ingenium sit, in honoris & dignitatis contentione semper primas obtinere, siue id iure siue iniuria fiat, quoties promotionum comitia fiunt, de prioribus locis acriter decertatur: & omnis modestiæ obliti, quisque proximum deturbare cupit: adeo vt is, cuius aliàs nulla ratio aut postrema haberetur, primum sibi locum dari impudenter postulet, eumque per omne flagitium conquirat. Iam cùm ex Ildephonsi collegij seminario, patrum animi, atque adeo totius academiæ, in factiones diuisi sint, postquam semel turbatis sententijs, hæc aut illa factio aliquem præferendum esse contendit, nihil non ad id faciendum tentat, vel publica academiæ tranquillitate conturbata. Nam cùm ingenij spreti iniuria alta mente recondatur, odia in nonnullis ad mortem vsque durant: & nonnunquam peractis comitijs, neces iudicum intentantur. Anno ab academia condita. XXIX. accidit, vt ad Nauerium malè multandum, qui cancellarij vicem eo anno gesserat, quidam Ęthiopica larua tectus, stricto pugione, penè incautum & inermem noctu post cœnam confoderit. Quod & fecisset, ni aliquot famuli accurrentes, tumultu audito suppetias tulissent. Versatur etiā in hac honorum contentione vtilitatis ratio, ob sacerdotia Iusti & Pastoris, sed quæ minima sit præ honoris ambiti repulsa. Nam in medicorum schola, vbi illa emolumenti causa cessat, grauissimis furijs rem agi videmus: & suffragia, quæ studiorum industriæ debentur, assentationibus, vilissimisque obsequijs, & muneribus mercan

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur. Ergo de totius academiæ sententia, Ximenij legem abrogandā esse maximè necessarium visum est. Nam studiosorum iuuenū mutuam contentionem, cui ea lege prospectum esse creditur, nihilominus duraturam esse dicebant, cùm eadem pudoris vis, apud homines præsertim Hispanos, quocunq; tandem modo reprobentur maneat. Huius rei apud Salmanticensem, cæterasq; Hispaniæ academias satis magnum exemplum est, vbi. R. literæ timore, qua reprobationem significari volunt, non minori studio, quam Compluti desudatur. Reclamatum est à senioribus patribus, quibus semper, quicquid ab ea forma quam illi retinuerunt mutatur, insolens & iniquū solet videri. Quorum adhuc pertinacia apud regium senatum perseuerat, studiorum ardorem ea re sublata perire clamitantium. Sed cùm in honorum petitione ea lex seruari semper debeat, vt quamquisq; meretur dignitatem ea contentus sit, & maiorem etiam oblatam recuset, & ad præstantiorem deferendam esse iudicet, vt septē Græciæ sapientes in tripode aureo recipiendo fecerunt, humanæ tamen naturæ vitio quisq; res suas immodicè amat, & maiora de se quàm æquum est concipit. Quare nulla potest grauior esse pestis ad reipub. tranquillitatem tollendam, quàm si ea ratione honores tribuantur, vt de multis pariter in re aliqua iudicium fiat, & plerisque neglectis alij publica sententia præferantur. Nemo est enim qui se contemni velit, & pauci alios prælatos patiuntur. Quare qui parum ingenio & virtuti fidunt, preces importunas, epistolas solicitatrices, minas denique plerunque adhibent, vnde egregiè meriti de suis locis pelluntur, & ipsi primarias appellationes manibus (quod aiunt) illotis vsurpant. Hac de re Ludouicus Catenacancellarius multis in locis grauissimè conquestus est, sed nullibi prudentiùs aut elegantiùs, quàm in oratione anno ab academia condita. XXVIII. ad competitores de liberalium disciplinarum titulis habita. Sed tandē anno ab academia cōdita. LIIX. supremus regius senatus illum locorum ordinem abrogauit, quanquā multis indignè ferentibus, qui maximos studiorū aculeos retundi clamabant, quos illa locorum æmulatio subministrabat. Inter cætera quæ per Ximenium prudenter sunt cōstituta, illud etiā (vt alibi scripsimus) memorabile est, de redituū incrementis in noua collegia ædificanda consumēdis. Hinc factū est, vt anno ab academia cōdita. XX. Matthęo Paschali Catalonio rectore, homine theologo, & nōnulla linguarū peritia

ritia instructo, in bonisq; authoribus assiduè versato, trilingue collegium Hieronymo dicatū sit. Triginta adolescētes, quorum duodecim in eloquentię arte exercētur, duodecim græcis literis incūbūt, sex Hebraicā literaturam discunt, perpetuò ibi alūtur. Nā pręterquā q̄ sacra pontificum decreta linguarum peritiam in academijs excolēdam adhortantur, pullulantium circa religionem sectarū inuētores qui se fontes ipsos sacrarū literarum petere præ se ferunt, quantū viris theologis necessaria sit, improbitate sua declarauerunt. Sed quoniam ex Ximenij lege, singulis grāmaticorum collegijs, seni qui græcas literas profiterētur adscripti fuerāt, duodecim illi in nouā Hieronymi ædē sunt translati. Habet vniuscuiusq; linguæ familia certas quasdam leges præscriptas: nā rhetoribus declamationes, græcis in latinam linguam versiones, Hebræis interpretum sacrorū librorū differentiæ demādantur. Hæc domi inter se crebrò meditantur: nā quotidie ad epulas aliquod laboris diurni testimonium, à nōnullis eorum siue per prorectorē designatis, siue ordine ita exigēte, poscitur. Nonnūquam in publicū proceditur, atq; rectore præsente, & academiæ patribus, magnaq; omniū frequentia, fructus studiorū constat. Trienniū singulis in ea ædē cōmoratio conceditur: tantusq; fit in linguis profectus, vt inter cæteras academię Cōplut. laudes hęc potissima haberi possit. Certè ab eo tempore ita bonis literis pleriq; excluti sunt, vt paucissimi quiq; reperiantur, quos græcæ aut hebraicæ citationes remorētur. Ex hoc seminario principū & optimatum filijs institutores egregij dantur: & grammaticorum per vniuersam Hispaniam gymnasia, ad iuuentutē instituendam excellentes pręceptores sortiuntur: deniq; eloquentiam cū sapientia ita feliciter omnes coniungunt, vt vel theologis ipsis, quod olim monstro par esse videretur, Cicero placeat & Demosthenes, atq; scripta Platonis & Aristotelis sua lingua legāt. Igitur si quis ex nouis cū incrementis, tū diuisionibus collegiorum, numerum ad calculum deducat, nouem contubernia esse reperiet: iuuenes verò, qui in eis aluntur, plusquam ducentos. Quòd si collegiorum præfecti, & famuli annumerētur, vltra trecentos esse deprehēdemus: qui omnes perpetua Ximenij liberalitate singulis diebus ad vitæ vsus necessaria suscipiunt. Quòd si Ildephōsi collegas, & capellanos, cæterosq; ministros cōputarem⁹, summā quadringentorum hominum excederent, qui à Ximenio perpetuò vestiuntur, & aluntur. Inter hos, iuxta Ximenij de conditione eligendorum

Universidad de Deusto Biblioteca

dorũ legem,qui ex Toletana diœcesi sunt,non sine magnis rationi
bus præferuntur. Nam & academiæ Complutensis conditor in hac
diœcesi est natus,& Toletanus præsul fuit,huiusq; regni Toletani o-
pibus omnia construxit,& reditibus locupletauit. Accedit etiam To
letani cæli benignitas,quæ ad omnes disciplinas & artes aptissima
ingenia producit:vnde meritò illis subuenitur, præsertim si patri-
monij angustia premantur. Huius trilinguis collegij gratia, acade-
mia Salmanticensis legatos Complutum misit,Ioãne Ruizio recto
re,qui formam & instituta non solũ intuerentur,sed accuratè tran-
scriberent. Cupiebant enim & ipsi collegiũ trilingue constituere no
stro persimile. Ergo paulatim academia Complutensis in tãtam cre
uit magnitudinem,vt inter orbis Christiani scholas celeberrimas an
numeretur,& eius in rebus arduis & grauissimis sententia, semper
requiratur,& apud omnes magno in pretio sit. Permulta sunt huius
rei testimonia,aliquot tamen referam. Statim sub nascentis acade-
miæ initijs,cùm Erasmi Roterodami scripta passim apud omnes le
gerentur,& nonnulli apud regem contenderent,multa esse in eius li
bris,aut temerè asserta,aut affinia damnatis dogmatibus, aut arro-
ganter scripta:visum est,vt censura de Erasmi operibus fieret. Ergo
Pintiam theologorum concilium,per Alphonsum Manricum car
dinalem,Hispalensem archiepiscopum,& inquisitorem maximum
indictum est,à quibus ea res disceptaretur. Complutenses inter pri-
mos sunt vocati. Petrus Lerma scholæ cancellarius,& Petrus Sirue-
lus illuc venerunt:ex quorum sententijs studiosè auditis, permulta
Manricus vt fierent decreuit. Anno ab academia condita. XXII.
Christophoro Loaisa rectore,cùm Enrricus octauus Anglorũ rex
Catharinam vxorem fœminam pudicissimam,Ferdinãdi regis ca
tholici filiam repudiasset,Romani pont. potestate in dubiũ voçata,
qui nuptias cum prioris vxoris sorore ratas habuisset,academia Cõ
plutensis sententiam suã dixit,Carolo Cæsare postulãte. Anno verò
XL. Ferdinando Barriouero rectore,cùm noui orbis per Hispanos
patefacti indigenæ,duro & acerbo seruitio à militibus nostris pre-
merentur,seruos eos esse contendentibus,quasi barbari homines,&
cõtumaces,palamq; Christi religionem auersantes,iure belli iustis-
simè capti essent: Genesius Sepulueda,vir nostra tempestate doctri-
na & eloquentia illustris, illorum causam libello elegantissimo a-
lijs contra asserentibus, defendebat. Huius rei cognitio nostræ aca-
demiæ

demiæ commissa est: quæ post longam cùm Genesio disputationẽ,
hisce verbis ad regium senatum scripsit. Doctrina huius libri accu-
ratè probat quod assumit:sed quoniam non est satis tuta,librũ hũc
imprimi aut euulgari æquum non est. Atq; ita iuxta Complutensis
academiæ decretum factum esse,in hunc diẽ videmus. Anno,XLV
Entrena rectore,cùm libri canonici hæreticorum nostri temporis
flagitio vitiati essent,& multa passim bibliorum sacrorum volumi
na,ab illorum excussorijs officinis annotatiunculis perniciosis, &
capitulorum pestilentibus periochis fœdata,circunferrentur:visum
est Ferdinãdo Valdesio,Hispalensi archiepiscopo,& inquisitori ma
ximo,vt ea per viros doctos & orthodoxos pristinæ puritati restitue
rentur:huic negotio academiam Complut. elegit,cui eam curã com
mendauit. Theologi patres inter se laborem partiti, facilè rem ne-
cessariã perfecerunt:ex quorum censura formula præscripta est, vt
expunctis peruersis quæ notarunt dogmatibus,libri distrahi per bi-
bliopolas possent, quique essent distracti tuto retineri. Anno verò
XLIII. Roldano rectore,Philippus. II. Hispaniæ rex quanti faceret
academiam declarauit:nam cùm ipse adhuc iuuentutis princeps,nõ
dum mole rerum occupatus,ad eam visendam nonnunquam diuer
teret,eiusque institutis & studijs caperetur,collegium Compluti in
stituere decreuit,in quo ministrorum aulicorum filij,quorum angu-
stæ facultates essent, aliquotque etiam academiæ adolescentes ale-
rentur & instituerentur, quemadmodum eorum etiam filiæ (vt a-
libi scripsimus) donec aut nuberent, aut religioni sese addicerent,
in sancti Ioannis,cognomento pœnitentis,cœnobio,quod à Xime
nio ædificatum Compluti fuit, Philippi liberalitate pascuntur &
instruuntur. Illud etiam insigne beneuolentię in nostram acade-
miam argumentum fuit, nam post Caroli patris cessionem, re-
gnorum moderatione suscepta, mandata ad academiam dedit,vt
quod in cæteris ditionis suæ vrbibus de more in Castella fiebat,
ipsi quoque facerent: vexillaque sustollerent,ipsumque regem Hi-
spaniarum acclamarent. Hoc Agesio rectore, anno ab acade-
mia condita. LVIII. ingenti lætitia & apparatu factum fuit. Sic
præsidium potentissimum academiæ nostræ datum est, ne quid
aduersus eam, Archiepiscopi Toletani deinceps tentent: quam
eo honestissimo mandato, & fauoris pleno, sibi rex propriam &
peculiarem fecisset. Certè inter alia monumenta, hoc etiam aca-

 demia

Universidad de Deusto Biblioteca

demia Complutensis perpetuo asseruabit : vt posteritas intelligat, quanti à rege potentissimo facta fuerit. Diximus supra, theologorum collegium, quod matris Dei cognomine appellatur, eo proposito ædificari à Ximenio cœptum, vt ibi pauperes scholastici, si quãdo ægrotarent, medicorum nostrorum opera, & academiæ sumptu, in pristinam salutem restituerentur : aut si morbi grauitati succumberent, id solatium parentes haberent, omnem diligentiam adeos curandos adhibitam fuisse. Est enim acerbum & graue nuntij genus, cùm is morte immatura interceptus dicitur, quem aut senectutis præsidium, aut decus suæ gentis, aut columen familiæ, literarum beneficio olim fore sperabant. Semper enim aliquid incautis inuenibus, suorum cura in peregrina regione destitutis, per incuriam accidisse existimatur, quod vitam præter fati rationem ademerit. Ędium illarum angustijs Ximenius offensus, in eum quem diximus vsum conuertit: animo tamen semper volue bat de ægrotorum contubernio ædificando. Nam & in legibus quæ de collegijs sunt, Valetudinarium diuo Lucæ ædificari præcipit: eiusque formam diligenter prescribit. Regni tamen gubernatione, quã statim suscepit, retardatus, morteque inter hæc præuentus, quæ nullo non tempore viris excellentibus immatura accidit, vnum id ex destinatis ad academiam consummandam operibus, neq; attingere neq; dedicare potuit. Seruata est ea laus Ioanni Angulo, Eugeniani grammaticorum collegij patrono. Is enim cùm sæpius rectorem, & Ildephonsi collegas de ea re cõsultãtes videret, nihilq; tandẽ perficere, scholasticos ęgrotãtes miseratus, quos ad publica oppidi valetudinaria, indignissimè deferri videbat, vbi prẹter priuatas sordes, quas inter viles homines decũbentes tolerare necesse erat, negligenter & malignè curabantur, anno ab academia cõdita. XXXII Ioanne Vergara Conchensi rectore, spatiosas ædes, quas extra oppidũ ad eam portã, quæ tunc Iudæorũ, nunc diui Iacobi appellatur possidebat, in Valetudinarij vsum academiæ dono dedit, cũ perpetuis aliquot reditib⁹, prout eius fortuna patiebatur: cubicula singulis ęgrotis, vt Ximenius proposuerat, sunt diuisa. Id cùm rectori & collegis pergratum accidisset, Ximenij mandata in memoriã reuocãtes, quãuis ex Anguli benignitate ęgrotis esset pro facultate satisfactũ, vt rei pręclarę ipsi quoq; incrementũ adderent, fruméti centũ quinquaginta trimodios, centũ item aureos nũmos in singulos annos à collegio

in

in vsum ægrotorum pendenda constituerunt. Hæ tam amplæ ędes diuo Lucæ dicatæ sunt, quod is medicus fuisset, sic enim Ximenius faciendum proposuerat. Oblata est academiæ patribus, cæterisq; viris studiosis satis honesta occasio pietatem colendi. Permulti enim cubicularia m supellectilem, alij perpetuos prouentus his ægrotantium ædibus attribuunt. Valladarus, de quo supra diximus, hoc valetudinarium, suum ex asse hæredem esse voluit: vnde plusquam ducentorum aureorum summa quotannis fit. Petro Salasio Cisterciensis ordinis sodali, homini ad hæc munia obeũda perstrenuo, deinde eo mortuo, Ioanni Seguræ doctori theologo, disciplinarum mathematicarum professori, domus cura commissa est: quorum prudentia & solicitudine ea est eius loci lautitia & mundities, vt nonnulli ex primarijs academiæ viris, in eam se domum curandos deportari frequenter iubeant. Post Ximenij mortem egit aliquoties academia de mutandis sedibus, non quidem leuitate aliqua & animi inconstantia, sed magnis de causis, quas nunc lectori planas faciemus, ne hanc historiæ partem reliquisse videamur. Post tumultuosam illam seditionem, quam viuente Ximenio Carolus Mendozius sopiuit, longa quies academiæ & indigenis Complutensibus fuit. Sed tertio postquam Ximenius viuere desijt mense, ex leuiusculæ rei initio, vt omnium mortalium fœlicitates lubricæ sunt, ea paulatim certamina inter academiam & Compluti incolas adeo infensis studijs exarserunt, vt non modò Salmanticam vrbem opulentam, & studiorum ratione ad conuiuendum perutilem, sed quóuis potius terrarum transmigrare academiæ patres deliberarint. Anno ab academia condita, X. postridie nonas Ianuarias, qui dies Christianis hominibus, ob Magorum aduentum ad Christum recens natum adorandum, religiosus cum primis est, adolescens quidam Arenillas nomine, formosæ puellæ amore captus, cùm fortè ad eius ianuam, quæ in fronte spatiosæ plateæ, de qua supra diximus, sita erat, spatia aliquot lasciuo gradu & effracto gestu faceret: Carillus quidam, vnus ex his qui Ildephonsi collegio eo tempore famulabantur, illius mulieris cognatus, adolescentis petulantiam non ferens, cui iam pridem ea de causa infensus erat, non desines (inquit) o bone, fœminam pudicam, in loco oppidi celeberrimo solicitare? Quòd si minus te mouet diei religio, erubesce saltem prætereũtium oculos, tuam tacitis nutibus impudentiam auersantes.

Universidad de Deusto Biblioteca

Ad hæc verba indignatus adolescens, stricto gladio in Carrillum fertur: qui quoniã inermis ex academiæ more, quo pacto vim illatã propulsaret, non habebat, intenta voce academiæ auxilium implorat. Idq; cùm sæpius alta voce inclamaret, momento temporis tantus confluxit academiæ populus, vt multi oppidani, ne Arenillas à multitudine furente occideretur, qui etiam Complutenses appellabat, conuenerint. Ergo mutuò sese ferociter intuentibus, in eum furorem noxio quopiam instigante dęmone venerunt, vt sese ictibus sæuis impeterent, & cladem, vastitatem, & internicionem mutuam minarentur. Cùm acrior in singula momenta cõcertatio fieret, monachus quidam ex scutiferorum ordine, quos vulgus mercenarios appellat, linteum quo sub meridiem dormiturus caput alligarat, in vsum fundæ pro tempore conuertit, & Ramiriũ Complutensem, armorum apparandorum magistrum, tam certo & valido ictu percusit, vt pectus comminuerit, & in omnium conspectu exanimẽ prostrauerit. Vargas regius senator, qui pecuniæ Vzedanæ deferẽdæ gratia non ita pridem Complutum venerat, equo sublimis in aciẽ progreditur, multisq; obtestationibus regis nomine ad vtrosq; factis, cùm & ipse quoque lapidibus impeteretur, furenti populo tantisper cessit, & in sacram Dei genitricis ædem, quæ in postrema plateæ parte est, sese quamprimum potuit recepit: & templi parochũ vestibus sacris indutum, Christiq́ue corpus manibus gestantem, ad eos continuò vt prodiret curauit: ad cuius pręsentiam religione tacti sedatioribus animis ira compressa est. Michael Carrascus rector, & Vargas regius senator, increpationibus & minis ad paulò iam sobriores contenderunt, vt armis depositis discederent: quod & fecerunt, sicq́ue finem certamen habuit: quanuis odia non perinde desierint, quæ in multam postea ætatem durauerunt. Obuersabatur ante patrum oculos, inconditus ille oppidanorum frementium furor, quo veluti rabie correpti, inclytam Ildephonsi ædem, auguratò conditam, sese in eo tumultu demoliturós non semel iactauerant. Terrebat Complutensium animos prompta illa adolescentum audacia, qua extrema omnia aduersus eos implacabiles tentauerant. Quare cum similia certamina quotidie expectarentur, tunc primũ de academia in alium locum mutanda, deliberari inter patres & collegas cœptum est: cùm præsertim opportuna occasio aliôqui se obtulisset, Hieronymianis Lupianensibus, ad ædem Ildephonsi vsibus

bus suis peraccõmodam, quouis pretio & conditione emendam paratis. Madritum & Guadalfaiara, quas olim Mantuam & Caracam fuisse existimant, altera ad orientem, altera ad occidentem, confines Compluto vrbes, de recipienda academia inter se contendebant. Nam episcopus Placentinus huius Vargæ, de quo nuper diximus filius, in patriæ gratiam, cuius ingens futurum incrementum ex academiæ aduentu prospiciebat, largissima pecunia vt Madritum venirent inuitabat. Petrus Siruelus, vt cum Madritensi senatu de ea re ageret, legatus est missus. Quominus tamen factum id fuerit, Franciscus Prato Madritensis decurio in causa fuit: qui gentem in lubricõ ætatis positam, atque ex diuersis nationibus constantem, postremo recenti finitimorum hominum exemplo odiosam, in partem ciuitatis assumendam non esse dictitabat. Quod potissimùm Madritenses deterruit, id fuit, quod sub finem orationis à decurione dictũ est. Vrbem hanc nostram o ciues (inquit) à regibus frequenter habitari nostis, inuitantur enim cæli salubritate, & rerum omnium in hoc loco abundantia, sed potissimùm iucũdissimis nemoribus, Pardõ & Aranfueso tam propè positis, quorum hilaritate & aspectu, rerum publicarum tædia voluptate honestissima discutiuntur. Præclu ditis igitur regum aduentum, si academiam Complutensem recipitis: nouamq́ue sibi in hac potiùs regione vrbem reges nostri condẽt, quàm penates communes cum studiosa gente habeant. Nam quî conueniunt negotia cum musis? quî detrita philosophorum pallia cum augusta principum purpura? quî diffluentes voluptatibus homines, cum frugalibus? Certe prouidis principibus quietem literariam aulico strepitu interturbare animus non erit. His dictis cum mentes suorum ab academiæ coniunctione abalienasset, re infecta ad academiam Siruelus discessit. Guadalfaiarensibus cùm illa nota essent, cõmodorum suorum soliciti, ad academiam legatos miserunt, qui in vrbe sua non modò situm & locum, sed annuam vini & olei quantitatem non contemnendam, & in totum quadrienniũ ad diuersandum, non illauta & gratuita hospitia pollicerentur. Erat hæc Guadalfaiarensium amplectenda conditio, multò magis quàm vllius alterius oppidi: nam & locus amœnis montibus, quos vocabulo Arabico Alcarianos, hoc est mirabiles & spatiosos vocant, cingitur: vnde auræ salubres assiduè flantes, cæli temperationem gratissimam faciunt: fontibus etiam gelidis scaturiens, æstum corpora sub cane in

Universidad de Deusto Biblioteca

flammantem mitigat,& per totum deinceps anni tempus solum pingue & fœcundum est,ad necessarios vitæ vsus.Proinde si quis illã collium hilaritatem,syderum fœlicem influxum,Henaris fluminis irrigationem,quam liquidiorem & amœniorem habet, quàm tractus Complutensis,contemplari velit,statim eandem cum Alphonso Fonseca archiepiscopo Toletano acclamationem faciet:qui sæpe numero demirans dicebat,hoc esse in rerum natura obscurum & abditum,vnde in tam breui locorum interiectu,tanta terrarum dissimilitudo proueniret:nec enim sibi quatuor leucarum (vt nostri dicunt) distantiam videri,sed quadringentarum. Adeo cæli & soli dispositio, longè aliæ vtroq; in loco sunt. Multum in hoc academia inclinabat,gratiæque sunt Guadalfaiarensibus actæ, quòd tam humanis conditionibus remp.literariam ad se pellicerent:sed ne gymnasium suum illuc transferrent,gentis Mendoziæ aulam in causa esse, quæ nimirum peculiari quodam genio eam sibi sedẽ elegisset, quã cùm fortunarum patronam colerent,nullo pacto quietem intermare volebant. Quare ad concordiam cum Complutensibus, Ximenij voluntati obtemperantes,sese componere conati sunt. Tandem ab illis temporibus ea animorum consensio ex mutuis commodis & beneficijs contracta est,vt æterna futura existimetur: tot præsertim ædificiorum molibus,& tot amplissimis operibus pignorum loco & obsidum extructis. Hunc externum cum Complutensibus tumultum,intestina & ciuilis seditio biennio post excepit. Nam anno ab academia condita. XIII. cùm Carolus ad Belgas rex Romanorũ designandus,Hispanijs relictis profectus esset,grauesq; illi populorum motus,qui per ea tempora Hispaniam afflixerunt, exorti fuissent:nulla ciuitas,aut oppidum,aut vicus fuit,qui non ciuilibus discordijs concuteretur:Ildephonsi etiam ædes consuetis factionibus laborarunt,& communi reip.contagione inuadente,academiæ populus desertis musarum studijs,furia aliqua mentes hominum tunc occupante,ad domestica prælia acriùs quàm vnquam se conuertunt. Quoties igitur in Ildephonsi æde senatus de rebus literarijs per rectorem Hontagnonum cogebatur,qui rem facere ex voto non valebant,quòd potentia & suffragijs minores essent,furore ex temporum calamitate concepto,illico ad arma conclamabant. Sancitum est in Ximenij legibus,vt vltra numerum collegarum, aliquot studiosi & ingenui adolescentes,quos portionistas Ximenius vocat,im

pensis

pensis victus(prout ille taxat)exolutis,intra ædem Ildephonsi à collegis reciperentur. In qua quidem re variatum aliquoties est,nã cùm rerum domesticarum externos testes habere displiceret,ex Romani pont.consensu ea lex abrogata fuit. Nunc tamen academia crescẽte,virisque nobilibus ad natorum suorum institutionem eam mansionem à collegis petentibus,ad reip.literarię vtilitatem,quibus procerum fauor necessarius est,pertinere visum fuit,antiquatam legem reuocare. Erat igitur in Ildephonsi collegio per illud tempus, inter portionistas iuuenis quidam,excelso & generoso animo,atque maiorum nobilitate clarus, Alphonsus Petreius Guzmanus nomine, Ramirij Guzmani Legionensis,Toraliæ ditionis domini filius. Rector Hontagnonus & vltramontani collegę,hunc sibi ducem quem sequerentur elegerunt. Contra Bætici & eorum clientes,illorum conatibus & decretis,quanuis rectore aduersante,forti animo se opposuerunt. Aderat Bæticis consiliorum hortator & princeps, Petrus Gasca,qui Seguntinus pontifex nunc est,corporis statura, & vultus specie parum commendabilis,ex ignobili vico in Abulensi tractu ortus,sed iuuenis ingenij solertia,& senili quadã maturitate, ad res omnes prudenter & sobriè peragendas præditus. Hic postea Compluto Salmanticam concedens,theologicis studijs relictis,breui iuris vtriusq; peritiam nactus,atque ad res graues à regibus nostris gerẽdas accersitus,magnam quidem animi virtutem ostendit. Nam in senatum inquisitorum ascitus,& ad Mauricæ gentis tumultus sedãdos Valentiam missus,quantum prudentia polleret ostendit. Et postremo orbis noui Peruanos motus,totamq; illam Pizarrorum fratrum erectionem,qui velut sub alio sole degentes inexpugnabiles esse credebantur,admirabili animi præstantia supplicio de tyrannis sumpto,abstulit:& prouincias post tam vastum oceanum positas, consilio suo & prudentia pacauit. Vnde admirabili temperantiæ exemplo,eadem veste amictus quam illuc detulerat,& quidem detrita,& pileo etiam eodem in Hispaniam redijt. Quod de Atheniẽsi Aristide authores Græci referunt,cùm ad Ęgei maris insulas tributorum componendorum causa, à suis ciuibus missus esset. Ergo vecordes & insani iuuenes studiorum suorum obliti, cùm nocte qua in priuato senatu per rectorem habito,res contra Bæticorum sententiam gesta esset,idque principes eorum malè haberet,de rectore cæterisq; transmontanis confodiendis consilio inito,vnà impetum facere

Universidad de Deusto Biblioteca

cere decernunt. Sustulissent eos è medio, nisi vigiles oppidi custodes qui temporis turbulenti ratione acriùs nocturnis circunlustrationi dus intendebant, illac ad multam iam noctem fortè transeuntes, di micantium strepitum, funestasque voces clarè per noctis silentium audiuissent. Frustra tamen grauissimis repagulis obseratas portas, aut reserare aut infringere tentarunt. Quare igne ad meridianã ianuam, aut quod aliqui malunt, ad sodalium franciscanorum posti cum, quod iuxta illam situm est admoto, iter ad eos patefactum fuit. Prefectus oppidi & satellites ingressi scholasticos homines, in quorũ olim disputationibus concertatio quædam togata à sedentibus con serebatur, nunc ab infestissima & cruenta pugna, qualis nunquam inter immanes milites commissa fuisset, mutuis sese vulneribus affi cientes, vix vt cessarent efficere potuerunt. Rectorem in ea noctur na pugna mortis periculum subijsse ferunt, Cueto Cordubensi, qui postea monachus factus est, hominem vrgente. Illi motus in collegio durauerunt, donec Cæsaris aduentantis auspicijs, & regulorum eius maiestatem fideliter tuentium strenuitate, totius regni tumultus sunt sedati: respublicaque ipsa ad pristinam tranquillitatem, & legum nostrarum obseruãtiam restituta. His ipsis diebus Antonius Acunius Zamorensis episcopus, qui vnus spe Toletani pontificatus regiam inprimis authoritatem conuellebat, Compluto iter faciens, cum Fernando Pintiano græcarum literarum professore, qui maxi mè inter alios popularis habebatur, arcanis consilijs egisse fertur, vt pollicitis optimatum eius oppidi animos solicitaret, eosque in popularis status fauorem quanta posset diligentia pertraheret. Sedulã operam in ea re Pintianus nauauit: nam quem vnum cæteros pellicere posse existimauerat, tum quòd familiæ nobilitate illustrior, tum quòd clientelis potentior videretur, Alphõsum Castellam præfracti animi, nec multum opibus affluentem iuuenem, vana spe & promissis lactatum, sexagenis millibus nummũ in singulos annos interim oblatis, vt partes populi susciperet effecit. At rebus paulò post in contrarium mutatis, totaque illa tempestate discussa, popularibus in ordinem redactis, illorumque ducibus capite multatis, cùm Castella Pintianum vt promissa perficeret vrgeret, illeq; rerum mutatione se excusaret: Castella magis ob reip. proditæ pudorem, quã quòd promissa à Pintiano homine priuato exigenda arbitraretur, gladio stricto in illum irruit, & brachium viri eruditissimi vulnera uit.

uit. Ob eam iniuriam ab homine potenti illatam, quem vlcisci non posset, relicta Compluto, Salmanticam Pintianus non sine magno academiæ dolore, concessit. Erat enim græcis & latinis literis cum primis eruditus, magnusque ad eas ingeniorum excitator. Recensuimus superiùs, quemadmodum Antonius Nebrissensis timere se dixerat, ne Complutensis academia, quæ in oppido ad ditionem ar chiepiscoporum Toletanorum pertinente ædificabatur, perpetuas lites cum illis habitura esset, tum de iurisdictione, tũ de sacerdotijs conferendis, aut fortasse leuioribus de causis, vt sunt potentum animi facilè irritabiles. Ergo postquam primam partem confecimus, magnis viris annumeratis, qui post Ximenij mortem ab eius academia exierunt, & de discordijs dissidijsque cum ciuibus Complutensibus: superest, vt quemadmodum iuxta senis Nebrissensis vaticinium, ab archiepiscopis Toletanis fuerit Ximenij academia agitata & exercita, exponamus. Ergo postquam Guilielmus Croius, qui Ximenio successerat, intra annum, nondum visa Hispania obijt, Alphonsus Fonseca ad pontificatum Toletanum assumitur. Is vt mori bus perurbanis, & clementi animo præditus erat, academię rebus iniquus non videbatur. Palàm enim prædicabat, Complutum academiæ causa sibi veluti pretiosum margaritum esse. Tamen simultatis quam cum Ximenio quondam exercuerat, & doloris ex ea concepti memor, conquisitis causis academiam cœpit diuexare. Duę potissimùm res fuerunt, ob quas Fonseca vindictam optabat, altera quidem omnibus nota, quam nos etiam diximus de Compostellano antistite à Ximenio iure primatus inhibito. Hanc simultatis causam dicto aculeatiori Ximenius auxit imprudens: nam cùm anno insequenti Compostellanus à Ferdinãdo rege impetrasset, vt apud pontificem max. liceret agere de archiepiscopatu Compostellano in Alphonsum filiũ transferendo, sibi ne gradu honoris decederet, Patriarchæ Alexandrini titulo concesso, Ximenium inter sermones familiares, ad proceres priuatis dicterijs insolentiam rei notantes dixisse ferunt, pontificatum Compostellanum gentilitiam hæreditatem ex restitutione esse factum, proinde dispiciendum esse, an fœminarum exceptio facta fuisset: acerbo scommate prolem vtriusque sexus in Alphonso perstringens, nec non regis Ferdinandi parum iustam concessionem: cuius ipsum postea pœnituisse Carauaialus in annalibus author est. At secunda illa posteriùs multò gubernationis

Ximeni-

Universidad de Deusto Biblioteca

Ximenicæ tempore,ex notis arcanis ad Carolum regẽ ſcriptis exor
ta fuit.In ijs Ximenius ſuæ modeſtiæ nõnihil oblitus,paulò liberiùs
in Fonſecæ mores inuehitur.His igitur de cauſis , aut fortaſſe quòd
ita ad rem ſuam pertinere Fonſeca arbitraretur,primùm ſacerdotia
eccleſiæ Iuſti & Paſtoris,quæ per Alphonſum Carrillum archiepi-
ſcopum Toletanum inſtituta ſunt,ſuæ diſtributioni & curæ aſseren
da omnino contendebat:cùm id regio ea de re diplomati in acade
miæ fauorem conceſſo palam aduerſaretur.Deinde quoniam pon-
tificis max.priuilegio Ildephonſi ſacerdotes rectori academiæ ſubij
ciuntur,& ab eo in mores eorum inquirendum eſt, iniquum eſſe,
aut potiùs flagitioſum proclamabat,ſi ſuę ditionis clerici aliũ quàm
ipſum iudicem haberent:eam eſſe inquiens,dum ſe rector,& illi mu
tuò,iuxta prouerbium,ſcabũt, per accommodam ad peccandum li
centiam. Idcirco quo iure,quaque iniuria,de eorum moribus con-
quiſitionem facere eſt aggreſſus : ſed hanc vim præſenti animorum
conſtantia noſtri repulerunt . Nam ſimulatque id à canonicis ſacer
dotibus,recens è theologis patribus per Ximenium adauctis, reſci-
tum fuit,rectoris ope & præſidio imploratis,in Ildephonſi collegiũ
ſe receperunt:ibiq́ue pluſquam triginta dies templo abſentes mora
ti ſunt:donec pontificis maxim.tutelares literæ Rõmã aduenerunt,
quibus ea ſolum Archiepiſcopus curare iubebatur,quæ ad templi
cultum , & preces horarias ritè perſoluendas neceſſaria eſſent : cæ-
terùm morum, & vitæ inquiſitionem rectori relinqueret.De colla
tione tamen ſacerdotiorum,quæ per Alphonſum Carrillum inſti-
tuta ſunt , quandiu Fonſeca vixit controuerſia fuit: quòd nullo mo
do in alterius præiudicium , ſiue per regem ſiue per ſummum pon-
tificem , ea facultas (vt ille aiebat) potuiſſet concedi. Ergo tutela-
res illæ literæ quibus in mores ſacerdotum inquiſitio vetabatur,eius
animum eò acriùs pupugerunt,quòd per ea tempora à regio comi
tatu ſponte abſens,Compluti quandiu illi vita ſupereſſet, morari
conſtituerat. Nam cùm in Cardinalium S. R. E.ſenatum , pri-
uatis legibus , nothus cooptari non poſſet , & Cardinales nonnul-
li in curia cæſarea tunc diuerſarentur , quibus propter eius ſena-
tus maieſtatem , maior honos quàm Fonſecæ Archiepiſcopo defe-
rebatur : indignum ſua authoritate eſſe duxit , qui Hiſpaniarum
Primas eſſet , tàm inſigni nota quotidie affici . Nam cùm ad Au-
guſtam aliquando veniſſet,ſellaq́ue ſibi ex earum forma allata fuiſ-
ſet,

ſet,quæ nullis hinc inde lateribus cinguntur, atque ea de cauſa raſæ
appellantur, Ioannes verò Tauera archiepiſcopus Compoſtellanus
quòd cardinalis eſſet,in multò digniori ſederet , dolore & indigna-
tione affectus , non multum apud Auguſtam moratus,aula egredi-
tur,& vltimum vale comitatui regio dixit . Hac ergo occaſione,
quod iam diu cogitauerat,Complutum ſeceſſit.Secedentem ingens
familia ſecuta eſt : decreuerat enim Compluti ampliſsimè viuere,
& animum honeſtè oblectare. Nam & muſicis concentibus lectiſſi
marum vocum ad peragenda ſacra vtebatur , & ſtudioſis iuueni-
bus digna præmia proponebat , qui confecta themata apud illum
eloquentiùs peroraſſent.Ad quod ſpectaculum,in ædes pontificias
academia vniuerſa confluebat: & crebrò ſex , nonnunquam octo
declamationes habebantur . Vbi præter iuuenum diſertas oratio-
nes,& ambiguam de præmijs ſententiam , Petri Lermæ cancellarij
verſiculi ſtudioſè audiebantur,quos aut è Virgilio,quem ille ad vn-
guem ſenex memoria retinebat,aut ex alio quopiam poëta in ſingu
los iactabat.Quale fuit,Luſitano quopiam non inuenuſtè cauſam
ſuam agente,multumq́; iudices obteſtante,ne ſibi quòd eſſet Luſita
nus fraudi eſſet.Tros, Tyriusúe mihi,nullo diſcrimine agetur.Dum
hæc in fauorem academiæ gerebantur,clam per accommodos mi-
niſtros,non modò iam ſacerdotes ipſos,ſed vniuerſam literariam
remp.ſibi ſubiectam facere curabat.Ildephonſi collegium per ea tẽ
pora in duas factiones diuiſum erat Bęticam,& Tranſmontanam,
quam Caſtellanam vocant.Hæ verò cùm alternis vicibus in acade
mia,prout ſors dabat,regnarent , qui numero & potentia maiores
erant,dignitatibus,cathedris,& emolumentis contrarios pellebant:
vnde atrocibus odijs interſe laborabant.Igitur Villichio ex Bætica
factione rectore Caſtellani multò inferiores,in magnis anguſtijs,&
dolore ſunt cõſtituti.Peropportunam eam occaſionem Fonſeca ra-
tus,quãuis tunc Compluti non aderat,aliquot tamen academiæ pa-
tribus,qui in eius aula verſabantur internuntijs,Moiam qui inter ca
ſtellanos præſtantior habebatur,pollicitationibus permultis ineſca
tum, modò iuri ſuo renuntiet,& ipſi demum academiam traderet,
conſtituere rectorem parat.Id autem facile factu Fonſecæ erat,Ber-
nardini Alphonſi viſitatoris opera , qui ex Ildephonſi collegis,
quos liberet ſuffragio priuare poterat. Procuratum eſt tandem à
Bernardino homine multis de cauſis Fonſecæ addicto , vt Moia
rector

Universidad de Deusto Biblioteca

rector crearetur. Nam sub mensem Augustum, qui secundæ visitatoris censuræ deputatus est, secretum & obsignatum edictum in Michaelis festo, ne quid remedij interea quæreretur, publicare decreuerat: aliquot ex Bæticis suffragio ad finem Octobris sunt priuati, vt sic eis exclusis comitia de rectore creando præterirent. Id edictum, cùm apud censuræ tabellionem magna cura & studio seruaretur, Didaci Agramontij, & Ioannis Cueuæ Cordubensis, & Santacrucij cuiusdam industria, noctu ex serinijs clam est abductum. Et ne quęstione per antistitis vicarium facta, alicubi gentium edictum compareret, ab eisdem confestim deuoratur. Is enim erat Ioannes Figueroa, vir ingenio vehementi & seuero, qui postea nostro tempore magnis reip. numeribus functus, ad regij senatus præfecturam per Philippũ II. assumptus fuit. Qua in re cùm Agramontij sedulitas illustrior fuisset, Bedellatus officio per rectorem donatus est. Cùm itaque censuræ tempore elapso, Bernardinus nihil contra efficere valeret, & Fõseca tunc spe sua frustratus, postea in Academiam (vt diximus) venisset, atque Castellanorum factionem commutata fortuna, tertio post anno potentiorem offendisset, quod per suos absenti nõ succesſerat, præsens maiori contentione aggreditur. Quendam itaque Alexandrum ad se vocari iussum, qui inter factionis Bæticę collegas & prudentior & cautior habebatur, ad hunc modum alloquutus esse fertur. Miraberis fortasse vir optime, quid ego vestræ reip. (nã ita existimatis) tantopere infestus, te accersi in præsentia curauerim, quem vnum eius amantem ante omnes esse audio, ac proinde mihi (vt vestra fert opinio) minimè propitium. Veruntamen hæc ipsa ratio vt tuum colloquium expetere effecit, cui ex omnibus qui hanc literariam remp. gubernatis, voluntatem meam aperire, & consilium approbari volui. Atque vt primum omnem animi erga vos maleuolentis suspicionem à me remoueam, intelligere te cupio, nihil mihi in tota pontificatus Toletani ditione, siue carius, siue pretiosius Academia vestra esse: idque & passim, & libenter prædico, ac testimonijs quotidie declaro. Nam crebrò ad vestras literarias disputationes in collegium venio, & studiosos iuuenes partim publicè in vestro conspectu, partim priuatim inter meos familiares, siue declamantes, siue pugnas eruditas conserentes ausculto. Verùm dum audio, quod de viris theologicis nunquam credidissem, contentiones priuatas inter vos

vos esse, odiaq; tantum inuicem creuisse, vt animis implacabilibus, alteri alteros deturbare conemini, totamque illam literariam quietem, cui vos vir ille termaximus Franciscus Ximenius dedicare voluit, amittatis, non possum non grauiter dolere, & labanti gymnasio qua potuero ratione succurrere. Id autem si opera tua mihi præsto fuerit, me facilè consecuturum spero. Fontem & originem huius mali, qui res vestras penitus nouerunt, in rectoris magistratu, qui prorsus tyrannicus apud vos est, esse aiunt. Nam cùm in hanc Academiam ex varijs Hispaniæ locis conueniatis, patriæ nomen apud omnes mortales, natura ipsa dictante, tam sanctum est, vt quoties in transmontanis imperium fuerit, Pelendonem, vel remotum Cantabrum, sint Toletano, atque adeo ipsi Cõplutensi, sine vllo delectu antepositurì: atque idem Carpetani, & Bętici cõmutata fortuna in suis sunt facturi. Huic ego malo vnicum remediũ esse video, si hic rectoris magistratus auferatur, & vnus aliquis opulentus vir & potẽs, quẽ nihil vestra emolumenta moueant, Academię curam suscipiat. Ille enim priuatis vestris rationibus liber, æquum sese erga singulos prębebit. Neminẽ autem huic rei magis cõuenientem quam Archiepiscopum Toletanum inuenio: qui vt potentiam, authoritatem, & reliquam omnem amplitudinem taceã, quæ ad populos regẽdos necessaria sunt, certè personę, quam profitetur causa, & officij proprij ratione, eruditis sacerdotia largiturus est, & omnibus studiosis suum fauorem pręstaturus. Hãc tu si meã sententiam approbaueris, ego te in annum sequẽtem rectorẽ esse faciam, dũmodo factus fidem tuã des, hoc quod dixi, testatim curaturum: & mihi in manus potestatem vestram tradas: quę multò magis (vt modò se habet) dissidiorum, & seditionum fomes existit, quàm vllius commodi, aut profectus studiosi causa. Et ne te ad tam manifestam vtilitatem torpor aliquis segnis retardet, quamprimum in Toletano templo canonicatus vacuus erit, ego te incunctanter donabo. Defixis humi oculis aliquantisper Alexander constitit, non tam reipub. suæ proditionẽ consyderans, ad quam fucatis causis, & pręmio insuper non contemnendo ferme iam persuasus fuerat, quàm aduersæ factionis odium, & suæ maiorem potestatem illa ratione futuram. Quare gratijs Fonsecę actis, quòd secũ ea de re tractare voluisset, collaudatis eius sermonibus, difficile esse dixit se rectorem creari posse, cùm Castellanorũ factio sesquialtero maior quàm Bęticorum esset: nec enim tunc sor-

Universidad de Deusto
Biblioteca

te,quemadmodum nunc fit,ſed ex maiore ſuffragiorum numero, rector vt Ximenio placuerat,creabatur. Facilè hoc Fonſeca, inquit,modò tu firmus & fidelis maneas,effectum dabo.Iuſti & Paſtoris canonici,ſub Andreæ feſtum,ex Ximenij veſtri legibus viſitatorem,quem vocatis,inter ſe eligunt,qui in acta præteriti rectoris inquirat,omnesque alios magiſtratus exploret.Eius poteſtas quàm lata ſit,intelligis:vosque ipſi ſæpenumero apud me conqueſti eſtis,gravem iugum & intolerabile à Ximenio ceruicibus veſtris impoſitum fuiſſe,cùm quicquid ille ſanxerit ratum ſit habendum,neq; vlla ratione prouocandum eſſe iuſſerit.Hunc ego deligi in præſentia curabo, qui non vt cæteri ad omnia annuentes,ſibique gratiam viciſsim captantes,ſed rebus diligenter examinatis perſpectisque,iuxta munus ſuum ſontes vlciſcatur,atque quatuor aut quinque ex Caſtellanorũ factione collegas,quos ego moribus corruptis inter alios eſſe noui, ſuffragiorum iure priuatos,donec comitia Lucanalia prætereãt,atq; ab octauo Calen.Auguſti,quando ſecunda inquiſitio agitur,ad Lucæ diem exulare iubeat.Quamobrem tu ita ſuperantibus Bæticis facilè rector ab eiſdem declaraberis. Nam & Egidius, qui rectoratu fungitur,cui tu in primis es amicus,vt reliqui omnes earundẽ partium ad te creandum ſtatim inclinent, curabit. Senſit tyrannicas technas Alexander,nihilque tale commeritos vllos ex collegis Caſtellanis ſciebat,cur ea eſſent pœna afficiendi. Sed tamen diuerſę factionis odio, quam omnino ſublatam cupiebat, ad ea animo lætabundo annuit: & quod antea arduum videbatur, ſine moleſtia & difficultate ita effici poſſe non negauit. Digreſsi ſunt datis dextris vterque,ſilentiumque ante alia pollicentur, donec ad finem optatum perducta cuncta eſſent. Alexander interea ſuos pertentabat,varieque ipſis ſermones inijciebat, de Academiæ ſtatu mutando. Sub Andreæ feſtum, Fonſeca curante, Albornotius Seguntienſis Viſitator factus fuit, vnus ille quidem ex Academiæ patribus, ſed quem minimo negotio in ſententiam ſuam Fonſeca traheret. Huic magiſtratui in rectoris præteriti acta, & mores omnium collegarum inquirere, ſummia poteſtas abſque vlla prouocatione, eo tempore erat, quam poſteri bonis legibus coarctarunt. Venit, vt mos eſt, poſtridie diui Andreæ ad rectorem & collegas ſalutandos Albornotius,ſeque ſtatim iuxta Ximenij legem,pręſante rectore,ſacramento deuouit, citra vllius iniuriam in eorum acta inquiſiturum,

ſiturum,in quos ſibi poteſtas ex lege eſſet:neminique vnquam reuelaturum,quæ vel collegij, vel magiſtratuũ dignitati fraudi eſſent futura:nullisque verbis,literis aut ſignis, vel pecunię impenſæ numerum,vel rerum geſtarum notitiam ſignificaturum:omniaque piè,& ſanctè curaturum,quæ ad Academię vtilitatem pertinerent. Dum ergo muneris ſui partes exequitur, & anni pręteriti magiſtratus examinat, & dati & accepti rationes expendit, quęſtionem de moribus ſingulorum agendam, in paucos quoſdam propenſiùs dirigebat. Senſerunt illico quorum intererat, Albornotium non admodum ęquum Caſtellanis futurum: nam per omne fas ac nefas, eorum potentiam & conditionem labefactare velle videbatur. Hoc Alexandrum machinarum conſcium in ſpem maiorem erigebat, & omnia ſibi ex voto ſucceſſura ſperabat. Elapſi ſunt interea quinquaginta quatuor dies,per quos viſitatori in rectorem & collegas ius eſt:cumque nihil rei noue accidiſſet, pauore quẽ Caſtellani conceperant depoſito,rurſus animis ſedatis quieuerunt. Inter hæc in collegium Fonſeca ventitare, & ne quid beneuolentiæ pręter mitteret, ludorum die, quos poſt Pentecoſten in Chriſti corporis cultum ſplendidiſsimos quotannis Academia exhibet, epulis eorum, quas tanti conuiuę cauſa lautiſsimas collegę apparauerunt, comitatis plenus accubuit. Inſtabat iam ſancti Iacobi dies, qui per octauum Calend.celebratur,quando Albornotius iuris depoſiti cõpos denuo factus(durabat enim id ſpatio minori,nempe ad.iiij.idus Auguſti,quod ferme tempus ſemeſtre eſt) cœpit animum ſuũ magis prodere: & quibuſdam cauſis prætentis, quinque primores Caſtellanę factionis viros per quatuor menſes exilio multat, & ſe magiſtratu continuo abdicat. Collegę qui ſunt in exilium miſsi, Didacus Vuagus, Martinus Malus, Inachus Angulus, Ioan. Morenus,& Martinus Luiandus fuere. Seceſſerunt in proximum Compluto vicum, qui Turrijonus Ardozus appellatur, vbi amœnis ruſticationibus pręfinitum exilium traduxerunt. Comitijs Lucanalibus,iuxta Fonſecę votum Alexander rector creatus, Caſtellanis qui rem vt acta erat iam reſciuerant,non mediocrem curam iniecit de rep.literaria cõſeruanda,cuius negotia ſub nouacula(quod aiunt) eſſe, Alexãdro rectore intuebãtur. Grauiora ſunt enim domeſtica quãuis remiſſa mala,quã vlli hoſtiũ duriſsimi incurſus. Quare Caſtellani qui comitijs interfuerũt,interpoſitis appellationis tabulis,eũ rectorẽ

Universidad de Deusto Biblioteca

ſalutare noluerunt,donec rite comitia fierent,exulibusque rurſus ſuf
fragia redderentur.Nam archiepiſcopi academiæ inſidiantis nutu
ea eſſe facta clamitabant:virosq; optimos & prudentiſsimos ea de
cauſa exilio pulſos,vt is tandem rector crearetur,qui antiſtitis par-
tes ſequebatur.His querimonijs in tam iuſto dolore effectum fuit,
vt is annus,quod nunquam contigerat,ſine nouo rectore principiũ
habuerit,Ęgidio magiſtratum,donec lis componeretur, in ſexqui-
menſem & amplius prorogante.Id autem non mediocriter Fonſe-
cam conturbauit,qui conſilia ſua palàm iam innotuiſſe cerneret.
Proinde ad regium ſenatum,vbi Caſtellani aduerſus potentiſsimũ
aduerſarium cauſam agere conſtituerant,procuratores mittit,qui
omni criminationum amplificatione Caſtellanam factionem one-
rarent,culpamque cunctam à ſe depellant ,cui id vnum in primis
curæ ſit,vt ſeditioſis hominibus pulſis,academia indies augeatur.
Irritus Caſtellanis conatus fuit aduerſus hoſtem ingentem dimican
tibus,nam rectoratus Alexandro confirmatur:& res illas ad ſe non
pertinere ſenatores regij pronuntiarunt.Interea miſſi in exilium re-
dierunt,& tanquam in publico commodo, quemadmodum viros
bonos decebat,depoſitis odijs & ſimultatibus,viros ex Bęticis pręſtã
tiores ad commune periculum cohortantes,conſilia inire promiſ-
cuè cœperunt,ne quid reſp. detrimenti caperet . Cuncti igitur ad
eam rem vnanimes,quinq; illis ab exilio reuerſis, qui ob recentem
iniuriam magis archiepiſcopo infenſi credebantur,curã rectorẽ cõ
pellandi demandauerunt.Ex quibus Vuagus homo priſcæ ſeueritatis & conſtantiæ,qui poſtea ad Cæſaraugustanos inquiſitor à Cæſa
re eſt miſſus,ita in vtriuſque factionis conſpectu Alexandrum allo
quutus eſt.Si ego ſolus,& non potiùs hi vniuerſi præſtantiſſimi vi
ri,ad id perſuadendum quod in præſentia dicturus ſum ,animatus
eſſem,fortaſſe tanquam nihil profuturus,aut occaſionem aliam ex
pectaſſem,aut prorſus in ſilentio me continuiſſem. At cùm eiuſmo-
di periculum metuatur,ad quod euitandum depellendumque om-
nes animis paratiſſimis accedere fas eſt:eorum , quos in conſpectu
tuo tanta conſenſione congregatos cernis,meam vocem eſſe exiſti-
mato.Quam cùm non poſsint ſine tumultu & confuſione ſimul om
nes emittere,mihi vni prouinciam dederunt,non tam quidẽ ob elo
quentiam,quæ in me parua aut nulla certe eſt,ſiue ob maioris pru-
dentię opinionem,cum tu ipſe vir iudicio eximius,quales hi omnes
ſint

ſint abunde noueris,ſed quòd rerum præteritarum, & contumeliæ
ſuſceptę cauſa, mihi maiorem notitiam eſſe exiſtimant fœderis in-
ter te,& Fonſecam Antiſtitem icti. Quod vt certum eſſe cognoui-
mus,vobisque tantum non ſanguine humano firmatum, ita facilè
vniuerſi ſperamus id te protinus depulſurum, poſtquam ex meo ſer
mone intellexeris,cuncta ea quę in Academiæ perniciem clam pepi
giſtis,in lucem tandem prolata fuiſſe. Neque enim hominibus pru-
dentibus cogitandũ erat,viros innocentes per ſummũ dedecus col-
legio pulſos,omnem operam non adhibituros,ad huius calamitatis
cauſas pręcognoſcendas,ipſaq; adeo principia perſcrutanda.Fucum
ille tibi fortaſſe fecit,vt eſt magnus verborũ artifex:neq; enim de ho
mine,qualis tu es,incorrupto & probo,vllam proditionem ſuſpica-
ri animus eſt:tuumq; iſtum rectoriũ magiſtratum tanquã ſeditionũ
& turbarum fomitẽ atrocibus verbis inſectatus fuit,ac deniq; noſtrã
hanc optimatũ remp. democratiæ nomine traduxit. Et vt ſunt o-
mniũ potentiorũ mores,vbi vim inferre nõ poſſunt,pecunia & mu-
neribus impudenter oppugnant:tu aliquid humanum in hac re paſ-
ſus,prẽmij alicuius ingentis ſpe eius perniciioſis cõſilijs aſſenſiſti. De
vtroq; breuiter in pręſentia dicam:neq; enim lõga oratione opus eſt
ad tuam mentẽ tibi reducendam,hoc eſt,integram,& reip.amicam.
Atq; vt ad primum ſtatim reſpondeam,quantam vigilantiã recto-
res hactenus adhibuerint ad hanc remp. cõſeruandam & augẽdam,
numeroſus populus tanto cum profectu literarum,& Academię no
ſtræ maieſtas,in quam tam paruo temporis ſpatio creuit, argumẽto
& teſtimonio ſunt.Nam cùm publicum cõmodum agi videremus,
ſi ęquè omnibus in Academiam cõfluentibus,modò apti ad diſcipli
nas habeantur,aditus ad collegia & cathedras ſit,nulluſq; fauor aliũ-
de requireretur,præterquã à cuiuſq; natura & virtute,cõditoris hu-
ius gymnaſij leges ſecuti,omnem in hoc operam poſuimus,vt cun-
ctis hoc perſuaſum eſſet,cõmunem eſſe literariam fortunã, & pari-
ter opulentis & egenis,nobilibus & obſcuris,tardis & ingenio valẽti
bus,patẽre:primum verò locũ & honores labore improbo ſibi quẽ-
que parare oportere. At quo pacto hoc potuiſſemus facere,niſi libe-
ris legibus vteremur ? niſi in eodem ludo exercitati cuiuſque merita
cognoſceremus ? niſi quotidie eos explorantes,laboris induſtriã, in-
genij acrimoniã,operam indefeſſam,noctes inſomnes,inuictam de-
niq; in euincendis diſciplinarum difficultatibus cõſtantiam,ante ocu

Universidad de Deusto Biblioteca

los ſemper haberemus? At id credo Toletanus antiſtes accuratè per ſpiciet, non me hercle magis q̃ rex Perſarum. Satis illi cum ſacerdotibus ſuis negotiorum eſt: ſatis de rege demerendo, de ſe cæteris præſulibus anteponendo, ſolicitudinis & ambitionis habet. At id faciet eius vicarius, totaq́ue illa tabellionum, fiſcalium, & lictorum, quibus ſtipatur, cohors? multò minus profectò: cùm vix litibus diiudicādis, dies & noctes illi ſatis eſſe videamus. Noſtra hæc Minerua ambitione & auaritia vacua, libertatem & otium requirit, quæ non ab alijs quàm à nobis ipſis præſtari queunt. At fingamus nos, vt Fonſeca dicit, per omnia negligentes eſſe, nihilq́ue quod noſtri muneris ſit curare. An non videtis, vniuerſum ſtudiorum profectum, qui vnicus nobis ſcopus eſſe debet, ita funditus cadere & perire? Statim ad eius nutum cathedræ dabuntur: gradus qui licentiarum appellantur, quibus à nobis de ſingulorum ſtudijs iudicium fit, non iam ex cuiusque meritis, ſed ex eius voluntate, aut quod grauius & intolerabilius eſt, ex ſuorum miniſtrorum libidine, conferentur. Quorum inſolentiam non ita pridem experti ſumus, quando tuipſe, & competitores tui de theologicis gradibus contendentes, vnius mulierculæ, quæ Maldonato præfecto domus Fonſecæ nupta eſt, arbitrio, res veſtras interturbari apertè ſenſiſtis. Taceo contumelias & iniurias, quibus per oppidi præfectos noſtra iuuentus quotidie afficietur, quibus neſcio qua de cauſa tantopere infenſa eſt. Alterum verò quod dicendum mihi erat, ne te ille, quod minimè credimus, præmio aliquo propoſito lactauerit. Sentis iam quantum ſpes huiuſmodi fallant: ſolent enim principes viri aureos montes, dum aliquid fieri cupiunt, facilè promittere, poſt rem verò confectam, non ſolùm aut nihil aut perpauca præſtare, ſed obliquè, & nonnunquam apertè proditionem exprobrare: quod Philippum Macedonem feciſſe ſcimus cum eis qui Olynthum illi tradiderunt. Quocirca ſi quid huiuſmodi cum Fonſeca pactus es, memento rectorem te huius academiæ eſſe, hoc eſt, parentem, protectorem, & patronum: cuius muneris & officij eſt, ſeuerè in eos animaduertere qui tale aliquid deſignarent: & pacta, quæ in manifeſtam noſtræ ſcholæ perniciem, & in tuum ſempiternum opprobrium futura erant, irita facito: quod diuis & hominibus laudantibus es facturus. Erige obſecro Alexander te, tuāq; vitam tanta hactenus integritate anteactam recolito, cui notam hanc inurere nullo pacto vir ingenuus debes. Habes hîc prope ſacrā

aram

aram, & diuum Ildephonſum huius academiæ tutelarem, noſtri cōditoris Ximenij oſſa, quòd ſi per maximam hanc iniuriam ædes has literarias perdideris, Deum vltorem, & Ildephonſi numen inimicum, & Ximenij manes iratos ſemper habebis, qui omnibus locis conſcientiam tuam terreant, & te grauibus furijs vlciſcantur. Hîc cùm ille finem dicendi feciſſet, illico ingens ſilentium fuit: manifeſtæq́ue notæ in Alexandro viſæ mutati animi, & culpam deprecantis. Nam & notabiliter expalluit, & lachrymæ ſponte ſunt illi obortæ. Vt primum igitur voci interclusæ locus datus fuit, omnia prout cum Fonſeca conuenerant exponit, ſibiq; magnis precibus veniam dari poſtulat, hoc vnum in tanto crimine bonum futurum prædicans, quòd ſe cum Fonſeca ſic eſſet geſturus, vt & ipſi ſuum antiquū animum, & caritatem in academiam eſſent agituri, & ille nullius vnquam animum de proditione eſſet interpellaturus. Quod tam conſtanter & fideliter præſtitit, vt eius propoſitum Fonſeca demiratus, ſe anguillam cauda captaſſe dixerit. At is talem ſe deinceps toto tempore rectoratus præbuit, vt æquè vtrique factioni carus eſſet: & munere tandem rectoratus functo, libenter erant ſi per leges licuiſſet, magiſtratum prorogaturi. Verùm non multò poſt in Hiſpalenſem eccleſiam ab Alphōſo Mārico archiepiſcopo vocatus, canonicatu & theologica eius cathedra donatus eſt. Fonſeca, aut quòd operæ fruſtra ſumptæ eum iam tæderet, aut quòd iniquo animo tulerit, Michaele Carraſco & Ioanne Vergara eius familiaribus indicantibus, Annam Vlloam Franciſci Maldonati (vt dixi) vxorem, curaſſe vt gradus ſecundum eius voluntatem diſtribuerentur, interminatā, ni id fieret, archiepiſcopi & totius familiæ indignationem, mirum in modum ſe continuit. Vidit enim ſi quod tantopere conabatur effeciſſet, omnia pro ſuorum libidine eſſe iactanda & inuertenda. Interim tamen magna & frequens conſultatio rectori, & academiæ patribus, de mutandis ſedibus fuit. Nam ex Ximenij lege apertè inuitabantur, qui prudentiſſimè in hoc quoque prouidit, vt de regum noſtrorum voluntate, ſi quid incommodi ex Complutenſis oppidi habitatione academia pateretur, aliò continuò migrarent. Cùm ergo præſulem, aliôqui benignum, tam iniquum erga ſe experti eſſent, frequentesq; item ſtudioſorum mortes, ex oppidi loco, & cælo peſtilēti contigiſſent, decreuerūt calamitoſis ſedibus cedere, & ſe pontificū Toletanorum moleſtijs liberare, quas perpetuas futuras ex princi-

 pijs

Universidad de Deusto Biblioteca

pijs illis diuinabant. Postquam id vulgatum fuit, crebræ multorum populorum legationes venerunt, commodissimas conditiones offerentes, & caritatem, rerumq; omnium mutuam coniunctionem. Fonseca non sine magna sui nominis iactura, & Complutensis oppidi imminutione, id futurum sentiens, dedit operam apud regium senatum, ne quid tale suo tempore permitterent: quare nihil actũ fuit. Quod si tunc effecissent, & suæ libertati academia consuluissent, & multi præstantissimi viri, qui immatura morte non ita pridem occubuerunt, magna studiorum vtilitate nunc starent. Sed huic malo obuiam itum esse affirmant, paludibus illis per emissiones in flumẽ siccatis, salicibusq; frequentibus, & populis ad eius ripas studiosè cõsitis, quarum attractu nebulæ illæ perniciosæ refringũtur, & magna ex parte vi sublata hebescunt. Moritur Fonseca Compluti intercuti morbo, & in eius locum Ioannes Tauera Compostellanus antistes suffectus est, vir quidem quod in elogijs in templo maximo Toleti habetur, tẽperantia & prudẽtia eximius. Verũ vt illis virtutibus maximè laudandus est, ita iuris quod suũ arbitrabatur adeo tenax fuit, vt suis emolumentis quantũuis minutis impendio plus studuisse dicatur, quàm pontificem deceret. Nam cùm statim vt ad Pontificatũ Toletanum designatus fuit, controuersiam sacerdotiorum Iusti & Pastoris componere à Cæsare iussus esset, idq; optimis cõditionibus actum fuisset, in mores sacerdotum inquirere voluit: & nihil grauius aut molestius ferebat, quàm si Compluti præfectus, atq; ipse Taueræ vicarius, diplomatibus quæ academiæ à summis pontificibus Alexandro, Leone, & Iulio benignè & meritò data sunt, à causarũ scholasticorum cognitione repellerentur. Sępe enim accidit, vt nonnulli scholastici iuuentæ vitio, noctu vagarentur, aut interdiu rixarentur, qui ab oppidi circitoribus intercepti in carcerem conijciebantur, & inter vilissimas custodias vincti tenebantur. Hos rector postquã suę iurisdictionis esse compertum erat, vt sibi traderẽtur curabat. Quod nisi fieret, prefectos oppidi sacris arcebat, & diris (vt solet) deuouebat: monebatq; ne academię iuuentutem irritarent. Tauera non multò post Compلutum veniens, aliquot scholasticorum iuuenum delicta plus æquo apud rectorem exaggerauit, & theologis patribus cõuocatis, sese illam remp. mutare velle dixit, quietemq; eius perpetuò stabilire. Nam quod Fonsecæ de rectoris potestate imminuenda visum fuisset, sibi quoque maximè placere: cœpitq; statim nonnulla schola-

sticorum

sticorum errata commemorare, quæ in tanta hominum diuersitate, quales quotidie in academiam conueniunt, accidere sanè necesse est. Quibus expositis ad rectorem cõuersus, permulta de eius negligentia dixit: quæ tñ condonabilia (vt aiebat) & ferẽda in homine priuato, & literaria tantummodo supellectile instructo essent. Annuo enim magistratu fungens, non erat cur sibi inimicos cõpararet, quibus vlciscendis omnino impar futurus esset. Idcirco ex Salmanticẽsis gymnasij exemplo, magistrũ scholarum se velle constituere, qui censu suo & fauore adiutus, academiam tranquillam teneret, omnesq; eas iurgiorũ causas obliteratas è medio tolleret: idq; se apud regem continuò curaturum. A quo si id obtinere nequiret, vel pedibus Romam iter facturum, vt id à pontifice max. impetraret. Dura oratio rectori, & patribus theologis fuit, tantiq; præsulis authoritate indigna: cæterùm magistrum illum, quem dicebat, scholarum, se suscepturos responderunt, modò vnus ex theologis patribus ad eum magistratum gerendum sumeretur: quod ille constanter renuebat, quasi idem tandem magistratus mutato nomine esset futurus. Aliquot dies cùm ea de re altercatum fuisset, nihil confectum est: illeq; ad cęsareum comitatũ discessit: vbi partim per regiũ senatum, partim per Romanos apud summum pontif. procuratores, academiæ libertatẽ nõ ille clam, quod Fonseca fecerat, sed apertis machinis expugnare conabatur: Erat enim iam antistitũ criminantiũ causa rectorius magistratus vulgo nonnihil inuidiosus. Missi sunt ad eũ legati Fernandus Balbasius, & Fernandus Mataticus, vterq; prudentia & doctrina commendatus. Hi cùm de rebus academiæ apud eum cœpissent tractare, liceat (inquiunt) præsul potentissime, hominibus priuatis, & lõgè infra tuam fortunam positis, de re propria ex ęquo tecum tantisper loqui, donec tu nobis tuam volũtatem, nos tibi cõtra nostrum propositum & consilium declaremus. Placuit Tauerę iusta petitio: atq; ita inter eos semotis arbitris actum fuit. Tandẽ cũ sermo produceretur, Tauera bili commota iratus, vir aliòqui animi sedati & cauti, quod fortasse iam diu in animo celabat, ipso dicẽdi calore (vt fit) effudit. Nihil (inquit) Ximenius, aduersus pontificiã Toletanæ sedis dignitatem perniciosius excogitare potuit, quã eo in loco academiam constituisse. Mirati id verbum legati, non ita (inquiunt) Fonseca sentiebat, à quo instar appensæ ad pectus pretiosæ gemmæ, academia nostra ostentabatur: idq; passim, & libenter præ

 dicabat

Universidad de Deusto Biblioteca

dicabat. Quid ille dixerit aut egerit, parum curo, Tauera respondit: ego præsentes discordias tantummodo cerno. Quòd si è re vestra futurum esse creditis, statim omni studio apud Cæsarem contendã, vt vobis sedes quócunq; libuerit mutandi facultas detur. Atq; eo dicto cùm fuisset colloquium solutum: legatis domum reuersis, post multas vltro citroq; habitas super ea re disceptationes, Academiã Compluto mutare decreuerunt. Quare rursus ad Taueram redierunt, & vt pollicitis staret petierunt: neq; enim aliam se posse rationem inuenire, ad eas turbas & contentiones euitandas. Cũ igitur, quod nunquã existimauerat, constantem de commigrando academiæ sententiam videret, hoc (inquit) viri optimi, non sine magno strepitu, grauiq; quodam & inuidioso apud omnes rumore fiet. Diu est ꝙ hanc rem conamini, atq; ab ipsis adeo academiæ primordijs, partim insalubris aeris iniuria, partim genio loci, hoc est, indigenarum auersatione, ab huius loci habitatione repellimini. Vos quid nunc tentetis obsecro attendite: nam si id tandem effeceritis, non propterea Cõplutum concidet, neq; ipse Toletanus antistes aut primatum, aut authoritatem deteret. Atq; in interius cubiculum se recipiẽs, nihil amplius de ea re egit: cœpitq; diem de die ducere, donec illi tædio correpti, pollicitis frustrati in academiam sunt reuersi. At cùm quotidie nouæ causæ acciderent, quæ præsulem aliôqui attentum, minimeq; ad ignoscendum nostris animatum, facilè rursus irritarent & accẽderent, semper lites paratæ erant: & inter rectorem & antistitis vicarium negotia animis exacerbatis gerebantur. Proinde cùm id mirum in modum Taueram vreret, & palam efferre rursus vereretur, ne eos de transmigrando iam dudum solicitos, eo pacto vt efficerent cogeret: gratia & fauore, causisque item adfabre confictis, apud Romanum pontificem contendit, vt proprio (quod dicunt) motu, sibi in omnes sacerdotes, qui Compluti studiorum causa conuenissent cognitio concederetur, atq; in eos duntaxat iuuenes qui diœcesis Toletanæ essent. Cùm academia per procuratores suos, qui Romæ erant, statim resciuisset, grauiter vt par erat tulit: & ad sacram (quod aiunt) anchoram confugientes, & pontificem maxim. eiusque intimos familiares, & in primis sanctæ Balbinæ Cardinalem academiæ patronum obtestati & deprecati sunt, vt academiæ labanti succurrerent, & è potentissimi aduersarij manibus afflictas musas, & studia eriperent. Sed cùm surdis caneretur, & academiæ negotia

negotia in vltimo discrimine essent, Deus (vt aiunt) è machina, & Ximenij Genius rebus perditis opem tulit. Nondum Romaponti ficijs tabulis allatis, cùm Pintię Isabellę Philippi principis vxoris exequijs Tauera interesset, siue atrarũ vestium, quibus pullatus venerat pondere, siue facum cerearum fumo, homo senex & longis laboribus confectus, in febrim incidit, & paucos post dies extinctus est. Eius morte academia respirauit, & veluti longa tempestate iactatis, lumen quoddam affulsisse visum est. Erat enim certamen cum magno aduersario, eoque magis formidoloso, quò probitatis & prudẽtiæ opinione, incorruptius de rebus iudicare, & quid esset in negotijs faciendum, rectiùs quàm cæteri præuidere credebatur. Designatus non multò post ad sedem Toletanam Ioan. Martinus Siliceus fuit, Philippi regis quondam magister: qui cùm animi erga inopes paterni, in annonæ per ea tempora caritate non parum multa indicia dedisset, comitate præterea quadam peculiari cunctorum animos sibi conciliasset, incredibili omnium fauore ad eam dignitatem promotus fuit. Academia partim hisce rebus persuasa, partim studiorum ipsorum coniunctione, nam & philosophus, & theologus, quæ duæ res in Complutẽsi gymnasio florent, habebatur, & libello de arithmetica Parisijs edito, se à mathematicis non alienum ostẽderat, ingentem quandam significationem lætitiæ dedit, supplicationibus ad omnes aras vno die habitis, & certamine literarum iuuentuti publicè proposito. Nam poetica themata, symbola, inscriptiones, multaque alia exercitamentorum genera ad nouam antistitis designationem celebrandam, non sine præmijs, rectoris edicto in medium sunt allata. Quanta totius gymnasij atque oppidi hilaritate, pegmatibus per vias erectis, Complutum ingressus fuerit, quoniam publicis typis vulgatum est, non est cur in eo recẽsendo immoremur. Fecit academiæ patres ad omne genus obsequiorum erga nouum antistitem eo tempore propensiores, imminens à Tauera paulò ante periculum: quod proculdubio aut euitare nequaquam potuissent, aut nõ sine maximis & durissimis molestijs eo sese tandem explicassent. Pollicitus omnem academiæ benignitatem Siliceus, Toletum quamprimum profectus est: vbi nouis legibus condendis occupatus academiam quietam reliquit, magna nostrorũ (vt ego existimo) fœlicitate: quibus si acrẽ hominẽ, & ad id in quod incubebat vehementẽ, hostem ex proposito habere cõtigisset, actũ fortè esset de nostra libertate

Universidad de Deusto Biblioteca

bertate. Nam anno M.D.L. doctore Fontinouilla cùm quadam de re inter Antistitis prefectos & rectorē litigaretur, & Ludouicus Catena abbas, cæterique Iusti & Pastoris doctores sacerdotes, sacrorum interdictum non timuissent, quòd rectori subiectos nulla interdicti religione obstringi dixissent, omnes ad vnum comprehendi per arcanas literas Compluti præfecto iussit. Quod cùm ad aliquot ipsorum permanasset, sibi in tempore consuluerunt: & eo die quo manus & vincula illis inijcere constitutum erat, templo abstinuerunt: & alius alibi delituit. Tres tantummodo, qui aut ętate senili freti, aut dignitatis & innocentiæ suæ conscij, aut potiùs quòd nihil de manus iniectione resciuissent, securè rebus diuinis peragendis intenti erant: Ludouicus Catena abbas, Alphonsus Almenara, Bernardinus Alphonsus: quos præfectus oppidi armatorum hominum manipulo stipatus capit, & iumentis impositos, ad Almonacitanam ditionis pontificiæ arcem, quæ Toleto duodecim millibus passuum distat, properè abduci iubet. Interim omnis Academiæ iuuentus commota, in maius collegium venit, & cubiculum armorum reserari poscunt, vt necessarijs telis communiti vindictam sumerent: idque facili negotio fecissent, copia & viribus longè oppidanis prestantiores, ni rectoris imperio, & patrum Theologorum prudentia, coërciti fuissent. Ponuntur illi in arctissima subterranei carceris custodia, anni tempore rigidissimo, nempe sub Christi Dei natalem. Concitauit apud iratum Antistitem risum Almenara, qui longęuior cæteris erat, homo innocentia & vitę sanctimonia apud omnes commendatus, cùm descendere in specum iuberetur: nam vt tabellio adesset postulauit, qui se in illum locum obscurum inuitum descendere, tabulis obsignatis fidem faceret. Adhibita est omnis custodia, ne quis ex amicis, aut ex familiaribus, ad eorum colloquium admitteretur. Nemo fuit in vrbe nostra inuentus, qui apud furibundum Antistitem intercedere pro eis auderet. At cùm periculum in mora esset, crebrique rumores Toletum deferrentur, partim temporis intemperie, partim animorum afflictione, tres illos viros in languorem incidisse, sed potissimùm Ludouicum Catenam, qui animi deliquium patiebatur: non defuit ex illorum discipulis Toleti agentibus, qui Siliceum interpellandi munus subierit. Erat tempus geniale, & Saturnalitium, quod mutua hilaritate inter omnes celebratur, ac proinde

proinde cùm antistes totius vrbis salutationibus occupatus conueniri non posset, postridie Dominici natalis, noctu aditus ad eū patuit. Sed vbi sensit de Complutensibus agi, vultum mutat, & illorum crimen multis verbis exaggerat: & ignorant (inquit) miseri isti quo cū litigent? existimant enim ab inferis Fonsecam, aut Tauerام reuixisse, quorum altero stolidè clemente, altero timidè prouido pro libidine sua abutebantur? Qui deprecabantur, ne se torrenti opponerent, tantum orare se dicebant, vt sibi & medico quem Siliceus vellet, vinctos liceret adire: ne homines id ætatis, negligentia perirent: & ipse non tam emendare voluisse, quàm interimere videri posset. His verbis commoueri visus est, & literas ad carceris custodem dat, quibus iubet vt Osogueræ medico, & Aluaro Gomecio, liceret vinctos Cōplutenses visere. Postea huius medici relatione, & multorum precibus factum est, vt Toletum in mitiorem custodiam adducerentur: è qua tamen dimissi non sunt, donec per tertias senatus regij literas, vt id faceret Siliceus est iussus, & coactus. Sed cùm ex iuris præscripto id per moras quasdam, & dierum interpositiones fieret, ab extremo Decembri ad calend. vsque Maias, non sine multis impensis & molestijs eorum qui asseruabantur, tempus est protractum. Post horum in academiam reditum, accidit vt aliquot adolescentes è nostra academia, scholasticum eorum amicum, è vinculis in quibus à Complutensi præfecto tenebatur, eripuerint. Factum id fuit carceris postibus effractis: vnde omnes simul custodiæ fugerunt. Erat tunc Siliceus rebus Toletanis, quæ multum negotij & odij crearunt, occupatissimus. Quare Complutum conquisitorem regium mittendum curauit, qui ea de re in academiæ ciues seuerè animaduerteret. Ob hanc causam, eo anno graue damnum studia passa sunt, scholasticis conquisitoris metu maturè ad parentes in patriam discedentibus. Tunc antistes intellexit, frustra huiusmodi regios iudices ad eos mitti, qui nihil priuatarum facultatum, præter libros aliquot, & vrceolos, curtamq; aliam supellectilem studiorum gratia posident: qua contempta, facilè solum vertunt, nullis focis aut liberis relictis. Quin & populus ipse Complutensis oppido vacuo, non mediocrem iacturam fecit. Longè diuersa quàm cum alijs præsulibus ratione, academia cum Siliceo contendebat: illi enim academiæ principatum curabant sibi asserere, vt euerterent: sed Siliceo ad alias res perficiendas

Toleti

Universidad de Deusto
Biblioteca

Toleti intento, pœnam de ſcholaſticis & Academiæ patribus quoquo modo ſumere, ſat erat. Complutenſes verò cùm tam pertinaci animi conatu rebus Toletanis incumbentem viderent, neque ſe facilè ab ijs explicaturum crederent, & inſuper apud regium Senatum aliquorum odijs laborare intelligerent, noluerunt optimam occaſionem prętermittere: ſed quod nunquam in animum ſub alijs pręſulibus olim induxerant, de Duumuiris ad cauſas cognoſcendas, more per Antiſtites abolito reducendis, qui ex ipſis ciuibus creari ſolebant, & de hoſpitijs Pontificiæ familię denegandis, deque Ianuarijs ſtrennis non dandis, apud regium Senatum contra Siliceum poſtularunt, & omnia ad vnum obtinuerunt. Qua de cauſa Siliceus grauiter offenſus, Compluti commoda & authoritatem, ratione ſagaciter excogitata, imminuit. Nam conuocatis ad ſe vicorum Compluto ſubiectorum ditioribus agricolis, vt ius municipiorum apud regium Senatum conſequerentur, effecit, magno Compluti detrimento, & Pontificiorum etiam iudicum. Nam plures quàm quindecim vici è territorio Complutenſi, municipali libertate fruuntur. Hiſce difficultatibus occupatus Siliceus, non ſine aſsiduis irarum cauſis, quæ quotidie in tanta rerum inuidioſarum turba, homini alioqui irritabili, neceſſariò paſsim occurrebant, calculo pariter & vrinę ardore octogenarium ſenem atrociter affligentibus, fatis concedere coactus fuit. Bartholomęus Miranda Dominicani ordinis ſodalis, Siliceo ſucceſsit, in cuius Pontificatu Academia competitore carẽs, quieta pace per hos annos fruitur: nouisque ſubinde ſtudiorum profectibus exultat. Hęc ſunt Philippe rex catholice, quę de rebus per Fr. Xim. Ciſneriũ geſtis ſcribi curauimus, in Hiſpanię, vel potiùs in totius orbis gratiã. Sub auguſtiſsimo verò tuę maieſtatis nomine in publicũ prodire voluimus, vt auſpicaciùs & tutiùs inter varias orbis nationes verſarẽtur. Simulq; fieret, vt nõnulli magni viri quibus ingẽtia ſunt patrimonia, ad Ximenij ęmulationẽ excitarẽtur. Nã vt nouas vrbes cõdere, & pilis molibusq; in mare iactis, neceſſarios nauigãtibus portꝰ moliri, & magnorũ fluminũ curſus mutare ne frugibꝰ noceant, aut arua agricolis neceſſaria occupẽt, aut quò irrigationi ſint aptiora, regum ſunt potẽtiſsimorũ opera: ſic ad opulẽtos pręſules, & regulos magnanimos pertinet, Academias iuuẽtuti erudiẽdę, & ędes ſacras virginibus alẽdis, & hoſpitia mẽdicis & valetudinarijs hominibus recipiendis

dis conſtruere. Quanquam ſic noſter Ximenius omnes Archiepiſcopos & regulos, quotquot illum præceſſerunt, aut ad noſtram vſq; ętatem floruerunt, operum magnificentia & amplitudine ſuperauit, vt æmuli quoque, ſi qui fortè tantarum laudum exorientur, longo interuallo ſint noſtrę Academiæ conditorem ſecuturi.

COMPLVTI,
Apud Andream de Angulo. Anno 1569.

Universidad de Deusto
Biblioteca
D REBUS

Universidad de Deusto
Biblioteca

D. REYS

Universitat de Lleida
Biblioteca